


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
3 A
33

Ad usu f. Laurentij
Romani

REINERI NEUHUSI. IC.

EXERCITATIO ELOQUENTIÆ.

Sive

SUADA ALCMARIANA

novissima.

Continens

ORATIONES LXV,

Cum

Fasciculo Poëmatum.









AMSTELODAMI,

Ex officina JOANNIS JANSSONII à WAESBERGE,

CIↃ. IↃ CLXXI.



De
ſtro
bita
inſc

bilißimis, Amplißimis, Prudentissimis

VIRIS,


.GERARDO à VLADDERACK,

p. t. Senatus Præsidi.

. ARNOLDO vander GRAEF.

. CORNELIO vander LYN.

. JOHANNI STEEN-HUSIO.



Illustris Reip. Alcmarianæ

ONSULIBUS.

bilissimi, Amplißimi, Prudentissimi

DOMINI,



S*Vadæ Alcmarianæ* Orationes Posteriores, LXV. numero, à proximo cennio, publicè in Ve- GYMNASIO ha- s, *Illustri vestro Nomini* ribo. Fidei & officii

(*) 2 ergò,

ergò. Quia nulli argumentam hoc jure eſt debitum ac proprium, quàm SOLI ALCMARIÆ, & Proceribus noſtræ Civitatis; Qui toties ad hæc Exercitia probati teſtes & Auditores fuerunt. Jam *Anni ſunt XXXII*, quod tali modo Juventutem exercuerim, Idque omnium Eruditorum applauſu & gratuiatione. Quo etiam fine & propoſito omnia ſacra noſtra ſunt tentanda & commovenda: Ut juventus, à teneris, illas inprimis Artes incipiat imbibere, quibus aliquando Reip. & Eccle-

ſiæ

ſiæ maximè utilem operam præſtare poſſit. Quæ, præ cæteris, ſunt *Studia Eloquentiæ*: à quibus ad Ingenuos & Excellentes viros ſemper honos pervenit. Quod ab omni ætate clariſſimorum hominum teſtimonia comprobarunt. Et uſus vitæ communis in ipſo Foro, in Curiâ, in Templis & Academiis, luce meridianâ clarius oſtendit. Quare obnixè Ego hanc ſemper operam impendi, ut illis præceptis ac diſciplinis diſcipulos noſtros informarem, quibus optimè Ingenia ſua perpolirent, & ad commu-

nem utilitatem maximum ſemper ornamentum & decus adferrent. Quæ, ut diximus, *Divina* eſt *Eloquentia*: De Cujus laude, etiam ante nos, Viri Sapientiſſimi diſectiſſimè toties diſſeruerunt. Materia nobis in hoc opere varia eſt & diverſa. Prout Reip. ſtatus & conditio fuit, ita quoque nos, pro re natâ, verba & ſermonem formavimus. Quando Bella, eorumque timor animos noſtros percuſſit, nos acinacem quoque & mucronem in manum ſumpſimus, quo pro Aris & Focis fortiſſimè

de-

lepugnavimus. Quando Pacis tempora divinitus de Cœlo nos respexerunt, mox in lætas gratulationes & applausus nos effudimus. Quemadmodum nuper in urbis *Anglicanis*, & Belli Pacisque illis negotiis facilè videre licet. Aut in alio argumento amorem nostrum in Patriam ostendimus. Semper parati optimis quibusque artibus Remp. juvare & illustrare. Adeo ut in ingentem numerum ORATIONES nostræ excurrentes jam plus quàm totas DUAS CENTURIAS confecerint. Uti-

nam! FELICITAS Belgarum, & inclytæ Civitatis ALCMARIANÆ Fortuna sic porrò prospere procedant, ut inceptæ huic coronæ Oratoriæ plures subinde Lauros & Lemniscos attexere liceat. Quantumque incrementi, Gloriæ, Dignitatis nostræ Reipublicæ, Ejusque PROCERIBUS & PROTECTORIBUS, imposterum attribuetur, tantum etiam MUSARUM nostrarum, SCHOLÆ quæ piis sudoribus & laboribus ornamenti accedat!

Quod ut fiat, DEUM

IM-

IMMORTALEM, ÆTERNUM, ex intimis animi medullis, oro & rogo. VALETE,

Illustres VIRI,

Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi

DD. CONSULES.

Ex Museo Alcmariano cIↃ.IↃCLXXI.

VOBIS

addictissimus

REINERUS NEUHUSIUS.

ORATIONUM PUBLICARUM.

Partis tertiæ & ultimæ.

XLVI.De

DIS-

DISCIPULI

Qui in ultimâ hac parte

SUADÆ ALCMARIANÆ

perorarunt.

I. ANthonius de HOOGHE. *Amstelodamensis.*

II. Theotardus Hobma. *Amelando-Frisius.*

III. Cornelius Schonæus. *Alcmarianus.*

IV. Adrianus Byll. *Alcmarianus.*

V. Antonius de Hooghe. *Amstelodamensis.*

VI. Theotardus Hobma. *Amel. Frisius.*

VII. Petrus Syms. *Alcmarianus.*

VIII. Joannes Dionysius. *Haerlemensis,*

IX. Joannes Suarten. hencht. *Alcmarianus.*

X. Edoardus Neuhusius *Alcmarianus.*

XI. Jo-

XI. Joannes à Nyenburch. *Alcmarianus.*

XII. Joannes Dionysius. *Haerlemensis.*

XIII. Joannes Dionysius. *Haerlemensis.*

XIV. Joannes à Nyenburch. *Alcmariensis.*

XV. Edoardus Neuhusius. *Alcmarianus.*

XVI. Lucas posthumus. *Alcmarianus.*

XVII. Guilielmus Bosch. *Alcmarianus.*

XVIII. Ioannes à Nyenburch. *Alcmarianus.*

XIX. Edoardus Neuhusius. *Alcmarianus.*

XX. Cornelius Schagen. *Alcmarianus.*

XXI. Iohannes Brant. *Alcmarianus.*

XXII. Lucas posthumus. *Alcmarianus.*

XXIII. Guilielmus Bosch. *Alcmarianus.*

XXIV. Theo-

xiv. Theotardus ab Aylva. *Nob. Frisius.*

xv. Adrianus Baert. *Alcmarianus.*

xvi. Guilielmus Moll. à Nyenburch. *Nob. Battavus.*

xvii. Simon Assendelft. *Alcmarianus.*

xviii. Guiel. Moll. à Nienburch. *Nob. Batt. Alcmarianus.*

xix. Simon Assendelft. *Alcmarianus.*

xx. Adrianus Baert. *Alcmarianus.*

xxi. Johannes Mina. *Alcmarianus.*

xxii. ~~Guiliel. Moll.~~ à Nyenb. *Alcm. Nob. Battavus.*

xxiii. Samuel vander Laen. *Roterodamensis.*

xxiv. Joannes Haltermont. *Alcmarianus.*

xxv. Epeus ab Aylua. *Nob. Frisius.*

xxvi. Matthias Rotterdam. *Amstelodamensis.*

xxxvii. Idem

XXXVII. Idem, Poëticè. *Amstelodamensis.*

XXXVIII. Jacobus Groen. *Alcmarianus.*

XXXIX. Fred. Ludov. Moll à Nyenburch. *Nob. Batt. Alcmarianus.*

XXXX. Ioannes Pierius. *Alcmarianus.*

XLI. Ioannes Berrien. *Alcmarianus.*

XLII. Iacobus Bosch. *Alcmarianus.*

XLIII. Fred. Lud. à Moll. *Nob. Batt. Alcmarianus.*

XLIV. Iohannes Atsma. *Leoverdiensis.*

XLV. Ferdinandus à Keulen. *Amstelodamensis.*

XLVI. Sebaldus Winninx. *Amstelodamensis.*

XLVII. Adrianus à Nyenburch. *Alcmarianus.*

XLVIII. Ferdinandus à Keulen. *Amstelodamenses.*

XLIX. Petrus vander Merct. *Zelandus.*

L. Ioan-

L. Ioannes Baart. *Alcmarianus.*

LI. Ferdinandus à Keulen. *Amstelodamensis.*

LII. Ioannes Baart. *Alcmarianus.*

LIII. Suffridus Burmania. *Nob. Frisius.*

LIV. Hieronymus de Haze. *Amstelodamensis.*

LV. Iohannes Guilielmi, Quaet. *Arenaco Geldrus.*

LVI. Ioannes Baert. *Alcmarianus.*

LVII. Iulius vander Moere. *Nob. Batt. Alcmarianus.*

LVIII. Gellius Wibr. à Iongestal. *Nob. Frisius.*

LIX Dominicus Feyo à Rhoorda. *Nob. Frisius.*

LX. Taco à Iettema. *Bolsward. Frisius.*

LXI. Gellius Wibr. à Iongestal. *Nob. Frisius.*


LXII. Iulius vander Moere. *Nob. Bat. Alcmarianus.*

LXIII. Rem-

LXIII. Rembertus ten Ham. *Nob. Groninganus.*

LXIV. Guilielmus ab Egm. à Nienburch. *Nob. Alcmarianus.*

LXV. Simon Deim. *Hagiensis.*



REINERI



REINERI NEVHUSI. JC.


EXERCITATIO ELOQUENTIÆ

in

Illustri Gymnasio

ALCMARIANO

Constans Orationibus LXV.



ORATIO I.

De improba Honorum, Divitiarum & Voluptatum Cupiditate,

Habita ab

ANTONIO de HOOGHE.

Amstelod.



Agna H.H. Audd. admiratio me tenet, quod tam multi mortales reperiantur, qui, tot tantisque vitiis addicti, turpiter tempus ætatis consumunt; qui proh pudor! in inanium rerum possessione, in perituris honoribus, in caducis divitiis, in fœdissimis voluptatibus s hujus ævi solatium ac salutem reponunt. oc uno vere triumphantes, quod, summo bo- orsus relicto, ac fastidito, ad solius fortunæ

aram, tanquam ad rerum humanarum tutissimum asylum se recipiant.

Quam cum ego miserrimam hominum conditionem tacitus mecum expenderem, nihil profectò turpius, nihil in terris terrius, immaniusque ante meos oculos versari censebam. Primo, omnium malorum omen, cretata Ambitio, falsique honoris detestabile nomen mihi occurrit. Quibus ita plerosque mortales deditos esse video, ut nunquam satis indulgere justissimo dolori possimus. Venenata enim Ambitio, & veræ dignitatis opinio multos homines falsos fieri coëgit: Quibus aliàs animi sui dotes ad omnia præclara decus & ornamentum fuissent. Unde velut ex pleno torrente, infinita scelerum colluvies promanat, & quâ sola, qui homines sumus, penè in brutorum speciem tranformamur.

Cùm tamen omnium sapientiū judicio id pro certo constet, nihil magis instabile esse, quàm potentiam non suâ vi nixam. Et hoc studium nostrum præcipuúm esse debere, ut malas artes, quibus Rempub: invadimus, longe à nobis remotas habeamus. Nec quicquam præter solidam virtutem veramque gloriam, quæ immortales nos esse facit, studiosissime affectemus.

Quæ enim in vitâ existimatio accedere unquam hujusmodi viro potest, qui tramite non legitimo ad honoris fastigia contendit? Qui, nisi pravis artibus, nisi largitionibus, nisi corruptelis ad hæc sacra viam sibi præmunivit. Cum, inquam, navis illa Reipub: quæ communis nostrum est salus, sola ab istis, inter fluctus ac procellas regi debeat, qui rerum peritissimi, & ab omni improbo sensu, & ingenio maximè alieni.

Is verus, teste Oratorum summo, honos videri solet, qui non propter spem futuri beneficii; sed propter magna merita claris Viris defertur. Quod

nec

sapiens ille alter in eodem foro ignoravit: *ltò rectius esse ingenii, quàm virium opibus iam quærere. Siquidem vera gloria radices , & etiam propagatur, ficta omnia, tanquam uli celeriter decidunt. Multoque magnificentius irtute acquirere parva regna, quam ex regum us nasci.*

uod, certè, olim non latuit illustres ingenio rtute Viros, quorum omnis industria in hoc fuit posita; ut ad Rempub: tanquam ad Deo- aras accederent, quam etiam sanctam, & ab i maculâ illæsam conservabant. Hujusmodi rum excellentium nomina ex hoc loco, H. A. ma sæpe audivistis, quorum adhuc recens oria aures, animosque nostros, puto, sensu dissimo afficit.

ec, charissimi Commilitones, nostra illa est & arena, in quâ dies noctesque occupari de- s. Hoc illud unicum theatrum est, quod sine , sine fastidio ingredi semper nos decet. , quod vere è Tripode sit dictum, quis un- illicitos honores manu sua versavit, nisi qui primum opum & divitiarum Avari- irpiter flagravit? Quarum cupiditas adeo grata acceptaque, ut susque deque ha- qua ratione, quibus artibus ad improbas tates perveniat; modò illud inde aucupium t, ut solummodò ditescere possit, & supra , quos infra se videat, verticem suum extol- Optime Satyrici sententiam edoctus:

Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere.
Quos Tartessiacis nunquam satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli.

ullum mortis periculum reformidant, nul- Oceanum exhorrescunt, Nullam ignomi- præ in explebili pecuniæ aviditate subter

 fugiunt,

fugiunt. Omni conatu, viribus id solum agunt, ut æraria sua refarciant acervis nummorum; Ut, Euclionum instar, suas illas ollas anlasque altissimè terris defodiant. Ne forte aliorùm insidiis artibusque hæc chara animula, pecunias dico, rursus eripiatur.

Quibus nullæ unquam satis divitiæ sunt; non Midæ,
Non Crœsi, non omnis Persarum copia,
Explere illorum tartaream ingluviem potest.

O verè inania, vere ludicra alternantis Fortunæ spolia, quæ tamen miseri homunciones tanti sæpe facimus, ut multo facilius placidiusque sit, ex hac ipsâ vitâ demigrare, quam tantillum de opibus suis, & male partis domi thesauris amittere.

Pudeat, Miseri mortales, vulgi hosce mores imitari, apud quod jamdudum Virtutes vera rerum vocabula amiséruot. Quod si nobiscum illi divinam Philosophorum mentem perspectam sibi haberent, nunquam ab hac tali insaniâ in sinistrum abriperentur.

O plus quam belluinam animorum rabiem! O cæcas, & inanes hominum cogitationes! Quibus nihil dulcius, nihil gratius est, quàm, quod alios emungant, alios fallant, suorum profusi, alieni appetentes. Qui omnem ingenii contentionem industriamque in acquirendis divitiis ponunt. *Atque utinam? qui divitias appetituri essent, cum divitibus primum deliberarent; Profectò vota sua jamdudum mutassent. Nam plurimis parasse divitias non finis miseriarum, sed mutatio fuit. Et multo securius tunc divites erimus, quando intelleximus, quàm non sit grave pauperes esse.* Tunc demum felices erimus, si pecuniis nostris nihil adjiciamus & cupiditatibus detrahamus.

Eant,

nt, ut volent res humanæ, dum animo compo-
o sua constet.

Cur invidendis postibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabinâ
Divitias Operosiores?

et, non sub Hymettiis columnis ultimâ recisis
icâ somnum capiam, Nec quicquid de Libycis
ritur areis, solus ego possideam; aut opimas
diniæ segetes feracis, vel pinguis Phrygiæ Myg-
iias opes, satis tamen beatus sum, qui omni-
illis bonæ mentis impedimentis carere pos-
n.

Non possidentem multa vocaveris
Rectè beatum: Rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,

sit tamen illud ab animo meo prorsus pueri-
it nullo modo divitias ego pati possim. *Apud*
ientem virum illæ in servitute sunt apud stul-
in imperio. Et nemo tam unquam insanus ex-
t, ut sapientiam paupertate damnaverit, aut
losophis pecuniam interdixerit.

Stoici verò omnes illos divites dicunt, qui cæ-
& terrâ frui possunt, & Divinus Plato in illâ
tentiâ fuit, quod nunquam quisquam in ma-
s divitiis bonis artibus operam navaverit. Sa-
nsque *Diogenes* ausus asserere: Quod neque in
no, neque in civitate opulentâ locus detur
uti. Ideoque cùm aliquando, quid essent
itiæ, interrogaretur *Chilon*, respondit: illæ
saurus sunt malorum, & Calamitatis Viati-
n.

Anacreon Verò Lyricus, cum auri talentum à
ycrate accepisset, illud paulò post ei restituit,
ens: *odi munus quodcunque vigilare cogit.*

 Nos,

Nos, Commilitones Charissimi, nunquam tam à bonâ mente simus alieni, ut cum tetricis illis Philosophis pecuniis odium indicamus. Pulcherrimæ sunt opes, quas nostro labore, & sudoribus comparamus; quas à Principum liberalitate consequimur; à Legationibus exterarum Gentium, à Magistratibus nostris, in vitæ gloriose institutæ memoriam

Tamque divinus aliquis poëta nunc existat, ut ab Auspicio & inauguratione maximi Regum Caroli aureas per colla sua ludentes catenas promereatur.

Hoc ante omnia H. A. nunquam satis ego admirari possum, quod in eodem contubernio nostri generis, & familiæ homines reperiamus, qui solâ voluptatum fruitione, in gula, in ventre summam felicitatem reponunt. Quorum vita nihil aliud est, quam bibere, pergræcari, helluari, in scortis, & in popinis pernoctare; inter aleam & pocula occupari. Verbo dixero: hoc unum agere, ut ab inferis iterum revocent veteres Bicongios, Tricongios, Tiberios, Biberios, Amphoras, Bonosos. Apage à sacris Musarum malè ominata hæc verba, Sardanapalos, Domitianos, Anthonios, Cleopatras, quorum nemo sine offulâ potuit vivere, aut bene unctâ patellâ. Qui in luxu, in mollitie, in purpurâ vitæ suæ bonum posuerunt.

Omnes famæ Nominisque boni prorsus securi, apud quos Sacrorum ipse Antistes,

rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum. Porro,
Si damnosa senem juvet alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Qui radere tubera terræ
Boletum condire & eodem jure natantes
Mergere ficedulas, didicit nebulone parente,
& Canâ

& canâ monstrante gulâ.

ia est Vita & Virtus, *Nobiliss: Adolescentes*, quâ famam, & honorum fastigia feliciter ascendi-s: si non sequuti temporum horum barbariem, n Cyro, cum Platone, cum Socrate ex pari vi-nus. Qui vel prope fluentem aquæ rivulum undissime cænabant & solo Naturæ desiderio nen suam condiebant.

Parvoque assueti producere vitam
Et quantum Natura petit.

ntumque cibi & potus sumentes, ut corporis es alantur, non opprimantur: Quibus vestis ebat frigus; domus munimentum erat adver-infesta corpori: Hanc utrum cespes erexerat, varius lapis gentis alienæ, nihil interrerat.

Sicci terga suis, rarâ pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare Diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Castrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat.

inam! & nos *Charissimi commilitones*, aliquid eterum illâ gloriâ hausissemus, ut improbam *iorum* cupidinem; ut *divitias malè comparatas*, noxias *Voluptates* quàm longissime profugere, mos verò nostros, artesque ingenuas ad solius ientiæ possessionem componere possimus.

DIXI.

ORATIO II.

De

Insanâ Regnorum Imperiique cupiditate,

Habita à

THEOTARDO HOBMA.

Ameland. Fris.

Nobilissimi, Amplissimi Domini Auditores,

PRæter illos, qui à caducis Fortunæ opibus toti dependent, vel in gulæ ventrisque sui deliciis, aut vanis honoribus salutem suam reponunt, etiam illi sese offerunt, qui, non privatis domi gratulationibus contenti, ad summa tantum imperia, & Regum Principumque fastigia, animos suos adjungunt. Haud cogitantes, quam sit mutabile atque lubricum, tot Regna & nationes suâ solùm manu & majestate complecti. Quàm periculosæ plenum opus aleæ, splendor ille regius, unumque hominem sua cura ac industria infinitis populis jura, & leges præscribere; belluamque tot capitum, vulgus, sapientiæ suæ gubernaculo feliciter regere ac refrænare. Quantò multò melius multis fuisset, manum à sceptro & corona abstinuisse, superbiæ suæ pœnam & ruinam jam experti, antequam optatâ imperii in sede, & solio jampridem, ut sic dicam, concaluissent. Id omninò ignorantes, qui fluctus in comitiis, quæ tempestates in Republica, quot metus terroresque regium tribunal circumstent: Quod summum imperium summum quoq; habeat periculum, & nunquam ab insidiis

fidiis fit tutum: Quod eminentis Fortunæ, as-
lui comites sint, crebræ viciſſitudines & mutatio
s rerum: Velut iter facientibus per ſolem, quos
ceſſario comitatur umbra: Utque illi, qui arbo-
m magnarum fructus ſectantes, dum altitudi-
em non metiuntur, & ad cacumina feſtinant,
æ properè cum ipſis, quos comprehenderint, ra-
is, decidentes, gravi ſeſe ruinâ affligunt.

Neſcitis cupidi arcium, Regnum quo jaceat
loco?
Regem non faciunt opes, non veſtis Tyriæ co-
lor,
Non frontis nota regia, non auro nitida tra-
bes.

unquam in aulâ Regum Principumque eſt tuta &
cura quies. Semper ſimultas, ſuſpicio, perfi-
a illic dominantur. Sive ingenia ſubditorum,
ibus imperamus, ſpectemus; Sive illorum af-
ctus animoſque cum quibus quotidiè converſa-
neceſſe eſt. Nemo tàm benè à Natura, ab edu-
tione, inſtructus, ut adverſus inſidias doloſ-
ue ſemper ſibi caveat ſatis prudenter. Omni ſub
pide hîc latet ſcorpius: Ut neque à propriis ſa-
llitibus & ab ipſis à latere purpuratis ſit certa
liquam ſecuritas. Quod ab omni orbe condito,
ab ipſâ hac noſtrâ ætate ſatis cognitum perſpe-
umque habemus: Quandò potentiſſimus Gal-
rum Rex Henricus quartus; & fundator noſtri
nperii, Princeps Auriacus, Guilielmus primus,
faria parricidarum manu de medio ſunt ſublati.
uibus addo, horreſco referens, Magnum Bri-
nniarum Regem Carolum primum, quem aliqua
uper ſuorum deſperata, puto, colluvies, infelici
curi percuſſit. Cujus regii ſanguinis vindicta
ndem matura, meritas ab ipſis hominum mon-
ris, ac ſceleratis Regicidis, pœnas exegit.
rum dicente Poeta:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, & siccâ morte Tyranni.

Mirum verò, quod nedum id Damoclis aliorumque exemplo edoctus fuerit famosissimus Europæ Tyrannus, Cromvellius, quod summi discriminis res sit, non tantùm regios honores malis artibus acquirere, sed ipsum regem, regem dico, tot coronis potentissimarum gentium innexum, suo jussu & imperio de solio disturbare, denique morte ipsa, vix posteris nostris credibili, crudeliter trucidare.

Speramus id, Belgæ Fœderati, Potentissime Carole Secunde, ut tu, quod regnum, à Patre tibi legitimum ac debitum, nuper recepisti, illud ipsum meliore fato, ac Diis semper propitiis, tibi sis conservaturus. Atque hoc habeas semper,

Magnificum & ingens nulla quod rapiat dies,
Prodesse miseris, supplices fida Lare protegere.

Nam quemadmodum ægrotantibus medici sunt servatores; sic Reges iis, qui injuriam patiuntur, neque enim specie tenus ac nomine, Fortuna imperii consideranda est Cogitet secum princeps, & Tu nunc imprimis, divino servatus auspicio, Carole potentissime, quod ex omnibus mortalibus placueris Deo, electusque sis, qui Deorum vice in terris fungaris.

Quid ergò est, miseri mortales, quod, tanta vos animi amentia ad Regùm subsellia ac honores contenditis? Quando videre hic licet, quibus vitæ anxietatibus, quibus ærumnis ac miseriis sceptra ac coronæ subjaceant? Ad ipsa demum regna si pertranseamus, quid, quæso, in illis perpetuum ac durabile? Quid de prima Assyriorum Monarchiâ, quæ olim sub Nimrodo, sub Nino, sub Semiramide aliisque floruit, nobis reliquum est, præter nudum Historiæ nomen & fidem? Quid de secunda Persarum,

ſarum, ſub Cyro, ſub Xerxe, ſub Dario præter fumum nobis reſtat? Quid de Græcorum, ſub Amynta, ſub Philippo, ſub Alexandro aliud nobis conſtat, quam ſolum id ipſum, quod mendaci, forte, hiſtorico ad nos perſcribere viſum fuit! Niſi quod omnium imperiorum reſtiterit maximum illud, quod à Trojanis olim Romani acceperunt,

Quo nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit.
Armorum Legumque parens.
Terrarum Dea gentiumque Roma
Cui par eſt nihil & nihil ſecundum.

Quæ primò quidem à paſtoribus condita, domina tandem terrarum orbis evaſit, & univerſi mundi compendium, arx nationum, lumen gentium, orbiſque miraculum meritò appellata eſt. Potentiſſima hæc Reſp., cui nunquam, ut diximus, par ulla in terris fuit, tamen vix ſui veſtigium amplius reſervat. Quid eſt, vos ô Regnorum capita ac proceres, quod coronas veſtras & ſceptra, tanti facitis! Nonne noſtra id ætate vidimus, quantum de imperio ſuo amiſerit Magnus Hiſpaniarum Rex Philippus? Qui primum à Belgis fatali vulnere impetitus, deinde à Luſitanis, præfectis ſuis, ac ſubditis, magnâ parte laceratus.

Multa poſſemus hoc loco referre exempla de regnorum ortu atque occaſu; de clariſſimis civitatibus jam dudum everſis; de Rebus publicis planè in fumum & pulverem ſuum redactis; de illuſtribus in bello Imperatoribus, niſi ſæpius ex ipſo hoc pulpito de nobili hac materia copioſe differuiſſemus.

Meo ingenio judicioque A. H. longè melius eſt, intrà modeſtiæ terminos ſe continere; nec eo uſque ceratis in cœlum pennis ſe extollere, ut nobis aliiſque non niſi ludibrium debeamus.

Magis, inquam, laudandi sunt illi, qui nimios honores fugiunt, quam qui anxiè illos desiderant; nam immodicæ potestates hominum animos ad fastum extollunt atque corrumpunt. Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit; non, qui ascendit per alterius incommodum. Affectabat paternos currus Phaëton, sed mundum vota illa incenderunt. Inhibendæ igitur rapidæ cupiditatum rotæ, nec tam alte unquam generosus animus in cursum intendendus, ut prorsus extra se rapi videatur. Nolim tamen tam quemquam esse socordem, ut prorsus ab omni in Republica authoritate ac dictaturà abstineat, tanquam à sarcinà aliqua gravi ac onerosa. Respublica, ut dixit aliquis, *terrestris quidam æther est, in quo, tanquam sidera, defixit nos homines natura. Exequamur in eo munus nostrum, & spargamus lumen, & irradiemus.*

Trahimur enim omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur: neque unquam excelsi ingenii virum humilia delectant. Si verò id perpetuo nos ageremus, ut insitos nobis divinæ rationis igniculos, quasi cineribus suis consopiremus; quid, quæso, aliud quam patriæ hostes, quam hujus universi inimicos nos profiteremur? Nam sublatis de foro legibus, justitiæque administris, omnia in suam facilè perniciem ac interitum properarent.

Vos igitur, potentissimi Reges Principesque, qui Batavis nostris vera fide & fœdere conjuncti estis, semper felices & invicti in imperio & honoribus vestris agite, ac efflorescite; populo, ne rebelles sint, leges & jura præscribite. Pacem nationibus: Securitatem civibus vestris asserite.

Et, quod caput votorum meorum est, vos, *Illustrissimi Alcmariæ proceres*, diu quoque secun-dam

n & prosperam dominationem in urbe vestrâ
nete.

DIXI.

ORATIO III.

De

Temporum nostrorum fatali calamitate.

Habita à

CORNELIO SCHONÆO.

Alcmariano.

Ratum mihi fuit, Charissime Collega, de veterum imperiis, crebrisque regnorum mutationibus te disserentem modò audire. Utrâ ego manu sententiam tuam divinam complector. Cui ego argumento porrò insistens, id opem obnixè dabo, ut ex fatali temporum nostrorum decursu clarissimè appareat, quàm cuncta ortalium opera suæ sint obnoxia ruinæ.

Ad nostra imprimis tempora si me convertam, rumque varios casus ac vicissitudines si tacitus ecum cogitem, vix putem antiqua sæcula plus bis lucis ac luminis ad præsens argumentum ferre. Hæc enim ætas nostra, tabella & speculum est universi: in quo omnibus intueri fas est, àm prorsus nihili sit rebus humanis confidere. t non immeritò & mihi exclamare liceat: Vanis vanitatum, & omnia vana! Sub ipsâ tranquil- pacis securitate, maxima bellorum monstra & odigia, velut uno torrente, Europam nuper inferunt. Quando ne per somnium de armis & affico cogitavimus. Sæpe tum temporis periculo ciniores, cum domi nos maximè tutos existimaremus.

Docuit hoc, præteritis annis, tristissimus in Germa-

Germania belli apparatus, cujus mala & miserias, nemo oratione, vixdum cogitatione suâ comprehendere potest. Per omnes Pronvincias in florentissimo illo imperio, nihil quàm incendia, & vastationes: quàm crebræ trucidationes, alterna vulnera, enses imbuti sanguine: quàm cadavera florentissimarum urbium, agrorum direptiones, conjugum liberorumque miserandæ strages & interitus. Cum quâ calamitate, valde dubitem, an aliqua è veteris ævi memoria conferri ac componi possit. Quæ, plus totis triginta annis, hosce fidissimos Belgarum socios & amicos fregit ac fatigavit. Donec tandem ipse Bohemiæ Rex Fredericus, miserando fato, solio suo deturbatus in exilium conjicitur. Cujus etiamnum Regina, cum omni sua prole, tanquam altera Pelopis domus, ad quas cunque miserias nata & conservata esse videtur Quo recente exemplo edocti nos sumus, quàm parum conveniat in humanis viribus, magnisque Regum Imperiis spes & opes suas collocare.

Nec minus proximis quoque diebus, instabilem rerum nostrarum conditionem didicimus, quando ab axe Britannico, sub novo illo Phalaride, fatale & infestissimum, vix nobis de armis cogitantibus, bellum fuit denunciatum: quo adeo vires nostræ sunt attritæ ac debilitatæ, ut cum Hannibale ad Cannas tunc temporis, adversis quasi astris, contendisse videamur Totâ belli mole, tam formidabili classe instructâ, pœnè intra mœnia & portus nostros, exilia nobis ac interitum minitante, quando, post gestum, in tot annos, cum Hispaniarum Rege bellum, vix tutò ad quietem nos composuerimus. Sed illa rursum Dei Omnipotentis mitigavit benignitas, quæ singulari providentiæ suæ exemplo exulem terris suis Regem restituit. Pro quo beneficio nunquam satis

amplæ

pplægratiæ, tibi, O Æterne in Cœlis Deus, à bis posterisque persolvi possunt. Modò non icitatem præsentem, ut fieri sæpe solet, aut inustæ disturbent nuptiæ, novâ aliquâ Hecubâ, aut elenâ in Regnum introductâ, aut pessimi Sinoes, tanquam mali angues, per impluvium dedant. Tu divinâ sapientiâ facequr cælesti præiâ, Potentissime Regum, Carole, fortunam tuam ressis manibus teneto, nec facilè ad ista descenlefædera &, amores, unde multo majora incommoda in civem & populum tuum promanare possent.

Ab hoc orbe & insulâ. H: A: si ad mare Balticum nos conferamus, Dii boni, quæ in de nobis nuper tempestas oborta fuit! Iterum nos Belgæ omnium Elementorum injuriis objecti: quibus ex longâ consuetudine jam in naturam & nervum id transiisse videtur, ut in continuis bellorum incendiis, non sponte nostrâ, sed acerbissimis hostium odiis, semper vivere cogamur. Quod, certe, bellum initio tam atrox ac truculentum fuit, ut si male illic rerum nostrarum alea cecidisset, nobis impostetum, cum durissimo necessitatis telo, fame atque inediâ, confligendum fuisset. Verum Optimus Maximus in cælo Deus, rursum imminentes nobis tempestates benigna suâ manu temperavit, scilicet:

Valet ima summis
Mutare, & insignem attennat Deus,
Obscura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hîc posuisse gaudet.

Vix etiam infelices infestasque hasce Hyadas, inita cum Gothorum Rege pace, evita veramus, ecce novum nobis, à majore hoste, Asiæ & Africæ Domitore, Turcarum illo Tyranno, immissum belli metum, Qui hoc unum operosè molitur, ut omnes

omnes suas vires, Martisque universi rabiem, in Christianum orbem evomere ac eructare videatur. Quod bellum an diri nobis in cælo Cometæ denuncient, an alia multa prodigia, jamdudum canere videantur, non facilè nos humanis conjecturis inquirere aut explorare volumus.

Attamen peccatis nostris adeo ad suæ maturitatis perfectionem productis, ut non extra omnem metum & suspicionem sit, temporum horum, quæ vivimus, varia portenta, aliquid nobis tacitè monstri malique præfigurare. Quare vos, o Potentissimi Europæ Reges Principesque, pariter id unum omnes instituere debetis, ut infestissimo huic hosti, qui humani generis Divinique Numinis contemptor est maximus, una nunc agmine animoque obviam procedatis. Vires vestræ, quibus hactenus in mutua, prô pudor! vulnera & cædes, usi fuistis, adeo sunt validæ ac potentes, ut, Deo Duce, Comite ferro, facile omnes illius exercitus profligare possitis. Agite, terrâ marique lectissimas copias conscribite. Inde ultra Pyrenæos & Alpes, recta in Italiam pergite, ut tempori succurrere possitis in ferro flammâque sociis jam versantibus: ne brevi suos limites ac terminos vis illa Barbarorum pertranseat.

Hinc à Rheno & Rhodano ad castra in Hetruriæ faucibus posita, mactis animis armisq; properate: ne frustra auxilia nostra exspectent Potentissimi Venetorum Patres. Inde à Sequanâ, à Tamesi, à Tiberi virtutem vestram, Bellicosissimi Heroës, provetere fortitudine, in campo ac acie ostendite: ne velut ruptis aggeribus, in nostram aliquando urbem, immanissima Turcarum tyrannis se immittat. Periculum est in mora, Christiani Principes: & Hostem, quem, fortasse, spernimus, contemptu nostro faciemus valentiorem.

Jam

Jam ad ultimos Germaniæ fines belli hæc flamma proserpit, & proxima quæque contactu suo adurit. Exercitatissimum militem Hostis non ex urbibus sed agris legit, masculam rusticorum prolem. Opes, commeatus abunde illi suppetunt. Locorum opportunitas, flumina, quibus classes suas devehat, non desunt. Omnia, quæ, in bellis, à bono Imperatore desiderari possunt, ille in promptu habet. Si unquam, Christiani Principes, virtutis memoriam feræ posteritati testatam cupitis, hic amplissimum hujus gloriæ theatrum vobis aperitur. Nunc bellum nobis infertur, post hominum memoriam, atrocissimum: in quo si aliquando victores exstiterimus, quos non triumphos, quas non gratulationes, jure summo, per universam Europam consequemur? At verò si remissi, si languidi nunc simus, illumque ardorem, quo antea in nobismetipsis opprimendis nimis alacres paratique fuimus, remittamus, nihil, præter summas miserias, præter calamitates maximas, à nobis exspectandum. Hoc demum verè bellum erit suscepisse, quod, jure summo, pro Religione, pro Libertate, pro aris & focis feliciter gestum esse videbitur. Quo, fortasse, aliàs prætextu non satis justas & legitimas nobis laudes ac titulos promeriti sumus

Faxit Omnipotens in Cœlo Deus, ut adversum Asiæ Africæque Potentissimum hunc Dominatorem diu prosperè feliciterque subsistere possimus. Ne à Scythico hoc Tyranno, qui totius orientis vires in Europam nunc parat; aliquando sub triste servitutis jugum redigamur.

DIXI.

ORA-

ORATIO IV.

De VANITATE RERUM HUMANARUM.

Habita ab

ADRIANO BYLL.

Alcmariano.

Audivistis H. A. ex Collegis meis, quo suo fato atque ordine res mortalium in hoc mundo administrentur. Quàm vana & inania omnia hæc sint opera, quæ nos aut manu aut ingenio nostro in terris molimur. Nihilque à solis ortu ad occasum, existat, quod solidam animis nostris tranquillitatem adferre possit. Qui semper inter præcipitia malorum suspensi, nusquam locorum nostris desideriis tutum aliquod asylum reperimus. Honores & opes, de quibus in principio verba fecimus, hominem plerumque in maxima mala impellunt, & quando ab hisce solatia aliqua expectamus, inde nisi maturam nostri doloris ac miseriarum messem metimus. Verè, natas rosas inter spinas & spicula acerbissima. Semper decumanis fortunæ procellis objecti, unde eluctari vel ipsi Alcidæ fortissimo, difficile nimis foret.

Ad corporis animique voluptates, si velut ad sacram aliquam anchoram confugiamus, eheu! quàm magnis multisque malis, meritò illæ nos mactant. Quod illorum imprimis facta docent, qui se semel Epicureorum nefariis castris, tanquam sacramento dato, obstrinxerunt. Unde

nemo sine stigmate diminuitur; nemo sine infamiæ notâ tutus unquam evasit. Hæc tamen illa sunt gaudia & Halcyonia, in quibus tam mirificè, pro pudor! multi, hoc seculo, homines, sibi placent. Quorum initia si fortasse paulò lætiora se ostendant, illorum finis & exitus, totus tristis ac infelix: quemadmodum, vetus Historia infinita nobis illorum exempla reliquit. De summi honoris fastigio, multi Reges Principesque acre inter se certamen susceperunt; sed vix oratione hæc illorum amentia digna fuit. Quale in Cæsare & Pompeio videmus, in Syllâ, in Antonio, in Alexandro, pluribusque aliis; de quibus antehac verba ex hoc loco fecimus. Quos omnes toto orbe primos vel secundos, ad miserabile postea vitæ suæ ludibrium, ludicra fallaxque Fortuna reservavit. *Dominandi enim cupiditas rarò bonos habet eventus.*

Ita quoque res se habet cum improbissimis Lupercorum sodalibus, quos nimia sæpe voluptas inter proprios suos complexus meritò occidit, ac strangulavit. Quemadmodum tota illa Cynædorum calamistrata cohors quotidie nos docet; quibus, gula & venter, sola subitæ mortis est causa & argumentum. Cujus certissimi testes etiam illi esse possunt, qui, post veteres illos Nattas ac Helluones, nostro quoque tempore, nullam nisi in majoribus Scyphis poculisque educendis, voluptatem percipiunt.

Quales verò cruciatus, animique dolores isti quoque homines quotidie persentiscant, qui, in avaritiæ volutari sordibus, solam felicitatē nummorum magnitudine metiuntur, vix verbis, puto, exprimere quisquam posset. Nôrint hoc illi, qui inexplebili divitiarū siti tanquam perpetuò damnati, omnibus modis pecuniam undique corradunt. Adeò ut prorsus res nihili sit omnis homo, nisi

nisi supra humana se attollat. Et illud, quodcunq; bonæ mentis impedimento est, longè à se removeat ac depellat.

Reliqua autem vitiorum genera, quibus animus noster est obnoxius, hoc nunc lôco referre, totus erubesco. Quorum alios vah pudor! in pessimam Invidiam, alios in odia Vatiniana ac internecina; alios in Iracundiam immanissimam propensos invenio. Multos, qui proximi sui famam Calumniæ morsibus infestant; nonnullos qui ex adversis vicini rebus, nescio, quod gaudium, quàm hilaritatem percipiunt. Quare, an deflere potius rerum humanarum vanitatem cum Heraclito debeam; an cum Democrito potius, deridere, id penitus ignoro. Hoc unum ex Collegis meis jam didici, quod Honores, quod Divitiæ, quod Voluptates, ne honesto quidem ore sint nominanda: præter hæc sola atque unica, quæ nisi ingenuis ac generosis animis à virtutis exercitatione contingunt. Et, quod ipsa Regna Principumque majestas, suis semper molestiis, suisque miseriis tam pacis, quàm belli tempore, sit exposita. Ut vel in communi proverbio videre licet, *omnes bonos Reges in uno annulo describi posse.*

Cæterum. H. A quando hæc omnia, quæ sub utroque cæli lumine clarissimo continentur, brevi tabellâ complectar, & ad unum me hominem, qui tales tantosque in hac vitâ tamen spiritus sumere sibi solet, orationem convertam; Quid est, amabo, cur in hisce caducis ac mortalibus rebus vel minimam delectationem percipere possis? tanti, quanti, inquàm, sumus, à summo vertice ad imos usque talos, si nos & corpora hæc nostra intueamur, ex Philosophi sententiâ: *Lucerna sumus in vento posita, quodlibet quassum vas sumus, & quodlibet fragilis* [illegible] exemplare merito liceat.


ô VANITAS VANITATUM ET OMNIA VANA!

Hoc autem unico nos magni sumus, quod animo, qui incorruptus, & æternus: illâ nostri meliori, inquam, parte, cum Deo nostro in Cœlis conjuncti sumus. Tandemque ex hoc Labyrintho communium miseriarum, in portum illum Divinæ tranquillitatis recipiemur.

Quod superest. *Nob: Prud: Dom: Auditores*, ingentes vobis habemus gratias, quod, pro solitâ vestrâ humanitate, tam benignè nos disserentes, de rerum humanarum vanitate, audiveritis. qui ut porrò Reipub: & Ecclesiæ, feris & plus quam ferreis hisce mundi temporibus superstites esse possitis, Deum Optimum Maximum ex animo precor. *Faxitque idem Sator Statorque rerum humanarum, ut invictissimus Belgarum populus diu in tuto subsistat. Ne aut novâ bellorum rabie impetiti; aut aliis calamitatibus miserè oppressi, in tristissimam fati periodum impingamus; sed semper felicia, semper nobis prospera, in Elysiis hisce Belgarum convallibus eveniant.*

DIXI.

Hæ quatuor Antecedentes oration habitæ Alcmariæ CIↃ. IↃCLXI. Examine Paschali.



ORA-

ORATIO V.

De

PRÆMIIS BONORUM.

Habita ab

ANTONIO DE HOOGHE *Amstelod.*

Nobilißimi, Amplißimi viri, Auditores Humanißimi.

QUanquam non semper ex æquo virtuti constituta sint præmia, & optimus quisque in debito honore ac æstimatione habeatur; Tamen, Laus Opt. Max. sit Deo, non ita prorsus fera ac ferrea nostra sunt secula, ut virtutem omni suo cultu, ac decore spoliatam neglectamque videamus. Habemus in Republicâ, in Rostris, in Templis viros authoritate eminentes, sapientiâ præclaros, qui nunquam impunè id ferent, ut excellentium virorum facta illustria, in obscuro sita, turpi silentio prætereantur; sed totis viribus & sudoribus masculè id agent, ut suæ pietati, virtutumque studiis æterna monumenta ac trophea erigantur.

Licet illa, inquam, tempora aliquando exstiterint, quibus ob regnantium malignitatem, boni viri ipsorumque probitas contempta fuerit; tandem tamen ex luto & tenebris suis semper clarior pulchiorque emersit. Quæ propria est egregiis ingeniis indoles, ac natura, ut non penitus in occulto detineri possint.

Nos *Nobilißimi, Amplißimi viri, Audd, Humanißimi*, ex Præceptoris nostri consilio & authoritate, hac horâ, de *Præmiis Bonorum & Pœnis malorum* perorare nobis proposuimus. Ipsa argumenti

argumenti majestas & amplitudo, non dubium, attentissimas nobis aures animosque vestros præbebit.

Profectò, id nimium nobis esset dolendum, si tam infelicia nunc tempora viveremus, ut nulla virtuti dignitas, nulla benemeritis præmia persolverentur. Omniumque industria sine fructu & mercede in situ suo ac squallore computresceret, et optimus quisque omnes suos labores, curas, conatus in patriæ commodum impenderet; dies noctesque unum hoc sedulo institueret, ut & nostræ ætati & posteris omnia prosperè, omnia feliciter evenirent, idque sine ullo præmio ac emolumento: quis, inquam, ferre ac perferre hanc contumeliam animo unquam modesto tranquilloque posset? Omnia altissimis in tenebris sepulta ac suffocata iacerent, quæcunque divini Homines præclaris suis ingeniis in hac vita moliuntur. Nemo tam animo obfirmato ac virili facilè existeret, qui, sine spe Gloriæ ac honesti ambitu, res aliquas difficiles susciperet.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam Præmia si tollas?

Priscæ fortitudinis vestigia nullibi existerent, callosas habentem manus, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam virtutem nullibi invenires. Domi militiæque egregia facinora conquiescerent. Nullum in togâ, in foro, in tribunalibus decus; nullus in religione, in templis splendor & gloria, si virtutum præmiis de mediis sublatis, omnia præstantis ingenii monumenta suſque deque æstimarentur. De nostrâ verò Pallade, e operoso illo Minervæ studio mente mea auguri quid possim? brevi, inquam, concludendæ omnes Musarum fores, si non aliqua à fama & præmiis illustrior gratia & Gloria illas cohonestet. Inde est quod Clarissimi viri, ab omni ævo tot

laboribus

laboribus se defatigarint; in omnibus terris tot trophea nominum suorum erexerint; tam laudabili studio ingenia sua vexarint. Quæ nunquam æquis animis perferri potuissent, si non bonæ mentis, ut sic dicam, nutricula ad res magnas perficiendas stimulum suum addidisset.

Mactianimis estote, Adolescentes. Etiamnum virtutum præmia nobis sunt integra. Nemo illa ea toto præ occupavit. Nostro ardori animisque relicti sunt triumphi, quibus orbi posterisque innotescere licet. Hastam suam nullus abjiciat. Nos viri fortes in famæ hanc aciem masculè contendamus. Si antiquum, si nostrum hoc ad amussim seculum excutiamus videbitis, profectò, nullam virtutem theatro suo destitui. Nullam rem bonis auspiciis susceptam suis unquam muneribus præmiisque indigere. Neminem, qui gloriose semel factorum memoriam exercuit, suo scopo & termino magnitudinis frustrari.

Licet aliqui nonnunquam temerè non ingemiscant, quod ex pari studiorum fructum non consequantur, & vix è laborum suorum Scyllâ & Charybdi eluctentur, nisi misera vitæ jactatione. Tamen parata veræ virtuti est merces, & honeste suas actiones instituentibus digna reservatur gloria atque dignitas.

Et semita, certè,

Tranquilla per Virtutem patet unica vitæ.

Studiorum verò illustrium præmia ac functiones desideratis? Philippos, Alexandros, Augustos habetis, qui doctorum virorum lucubrationes semper maximi fecerunt. Vespasianos, Adrianos, Alphonsos, Carolos, quibus unica fuit cura & voluptas beneficia sua in literas & literatos conferre. Olim in Grammaticos & Rhetores singulari affectu propenderunt Græci, qui Gorgiæ Leontino, Demetrio Phalareo, multo numero statuas aureas

aureas erexerunt. Ita quoque Romani, qui M. Tull. Ciceronem, novum hominem, in principem Senatus locum extulerunt, plurimosque alios, propter sola literarum studia, ad summæ dignitatis gradum evexerunt. Qui uni Poëtæ Virgilio*, quod carminis majestate excelleret, plusquam divinos honores concesserunt. Adeò ut vel nemo in aliquo scriptorum genere unquam præclarus, exstiterit, quem non gentium populorumque plausus, tanquam umbra gloriæ certissima, pulcherrimè exceperit. Philosophi Possidonii domum, Quis credat? Magnus olim Pompejus studiosè frequentavit. Platoni in Siciliam venienti vittatam navem obviam misit Dionysius.

Et Philippus Macedo beatum felicemque se deprædicavit, quod filii sui natales in tempora Aristoteles incidissent. Quo verò amore prosequuti sunt Athenienses Polyhistora suum Thycididem? Et, captis Syracusis, quo honore affecit, insignem Mathematicum Archimedem, Marcus Arcellus? DomitiumVlpianum, ac JuliumPaulum Alexander Severus? Quibus nec in cænâ, nec in conviviis catére unquam potuit. Hippocratem Artaxerxes? Cui tantùm auri, quantùm cuperet, annumerari imperavit.

Certissimum est H. A. raro aliquem suæ Virtutis teste ac testimonio defraudatum fuisse. Ut neque mechanicis artibus, quas nedum ingenuis studiis annumeramus, suus etiam honor unquam defuerit. Iterum Alexandro magno nobili hoc exemplo comprobante: qui Apellem, qui Lysyppum, qui Pyrgotolem, singulos suæ artis præconio commendavit. Quid dicam de illustribus, in tam vario senatu, consiliariis; de missis ad exteras gentes Legatis? Illi à Tiberio; ab Octavio Augusto, à Claudio Cæsare, ab Imperatore Nervâ summis laudum titulis affecti sunt. Prætereo tot

egregios in bello duces, *SCIPIONES, MARCELLOS, FABIOS*: quos omnes quia populi Romani memoriam omninò Immortalem fecerunt, ipsâ æternitate donarunt. Inter quos Lacones primò mihi occurrunt, qui, ob egregia facinora, in patriam exhibita, eximiis & præclaris viris divinos honores decreverunt. Et ipsi Athenienses, qui regem suum Codrum, propter singularem in patriam pietatem, in Deorum numerum retulerunt.

Quare nec immentò sapientissimi olim Poëtæ diviniſſimis Hominibus, qui Virtute aliquâ excellebant, locum aliquem in ipsis campis Elysiis designarunt. Illis, inquam,


Qui manus ob patriam pugnando vulnera paßi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, & Phœbo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecêre merendo.
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.

Cresceret in immensum Oratio mea H. A. si singula virtutum nomina, earumq; præmia & laudationes, hoc loco, recensere deberem. Nostra quoque secula ab hâc laude & gloriâ non prorsus sunt destituta. Quæ quoque suos Epammondas, Phociones, Aristidas in pretio habent, famamque illustrium virorum, quos terra hæc nostra alit, nulla temporum oblivione cupiant extinctam, ac deletam. Adeò, ut in ipso hoc nostro Belgio, verè adhuc gloriari nobis liceat de optimis florentiſſimisque legibus, quibus sua virtuti præmia & pretia constituuntur. Nondum, hac ipsa ætate, in illustri Nassoviorum domo, exhibitæ in patriam virtutis exemplis ingratâ taciturnitate oppressis. Et in prosperâ ac felici civitate Alcmariâ, pleniſſimis hujus gloriæ ac laudum monumentis, laus Deo, etiamnum pulcher-

pulcherrimè exiſtentibus. Ubi nullius boni viri ſudor, zeluſque divinæ pietatis ſuo caret plauſore & triumpho.

Quare vos, *Ornatiſsimi Adoleſcentes*, id unum ſtudioſiſſimè agite, ut honeſtiſſimarum artium ſcientis imbuti, patriam veſtram, & in illâ *Urbem hanc Auguſtiſsimam*, pro virili parte ornetis, illuſtretis.

DIXI.



ORATIO VI.
De
POENIS MALORUM.
Habita à
THEOTARDO HOBMA,
Amelando-Friſio.

Nobiliſsimi, Ampliſsimi viri Audd. Humaniſsimi.

QUemadmodum; laus opt. Max. in cœlis Deo, juſtiſſimæ virtuti ſunt remunerationes, paucique inveniantur, quibus non ſuæ laudes, ob egregia animi decora, tribuantur: Ita etiam unumquemque meritò ſcelus ſuum agitat, Nemeſinque in tergo is habet, qui aliqua vitæ turpitudine infamem ſe fecit. Quæ Regnorum ac Civitatum duæ fortiſſimæ columnæ, quando altiſſimis defixæ radicibus ſubſiſtunt, eſt, quòd jure meritòque de Legum integritate civibus ſubditiſque gratulemur. Tum hoc proprium ſit divinæ juſtitiæ officium; *Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos*. Neque aliter in unius populi corpus coaleſcere Reſpublica poſſet, niſi in eadem Themidos

bilance, hinc optimè meritis præmia, inde improbo cuiq; certissimæ suæ pœnæ distribuerentur. Quæ recta, sola &, regia est via, qua scelera & flagitia removemus, quâ maria frequentamus, & ubique cum securitate tranquillitas dominetur.

Egregie docente hoc nos Boëthio: quod *annus bonus, non tam de magnis fructibus, quam de juste regnantibus sit existimandus.* Nihilque unquam turpius possit existere, quàm à Legibus Principem eximere. Et, ex Caligulæ sententiâ, omnia ipsi & in omnes licere, regiumque id demum esse; *Impune quodlibet facere.* Quæ, certè, improbissima regnandi est consuetudo. Hæc verò una & optima est ad Rempublicam gubernandam ratio, quando bonis viris ad salutem sui præmia, improbis autem pænas ac supplicia constituimus. *Virtus sibi ipsi est præmium, omniaque illi bona adsunt, quem penes est virtus.* Nullum igitur Scelus, nullaque vitæ turpitudo impunita esse debet; quoniam ab hoc uno fonte ac fomite derivata clades ad omnium Populorum perniciem facilè promanet. Nec minorem, certè, voluptatem nobis id faciat, ut æquè severis legibus animadverti videamus in improbos hominum mores & delicta, quàm erga virtutum functiones, egregiâ beneficiorum memoriâ defungi. Illorum judicio prorsus pro vili contemptoque habendo, qui molli semper manu, minimaque clementiâ peccati magnitudinem tractandam esse censent. Liberè enim ac impunè grassantibus vitiis, quis illam tòt capitum belluam, intrà rectum orbem & orbitam contineret? Non eo tamèn fine, ut in suspicionem vocatam velim Alphonsi & Cæsaris benevolentiam, *qui nescire voluerunt, quid quisque peccasset.* Et amorem civium unum inexpugnabile esse munimentum, quo Rex & Prin-

Princeps in tuto esse possit. Tunc demum severiore remedio ac disciplinâ esse utendum, quando morbi, jam pertinaciores, proximè ad desperationem venerunt. Et vim sceleris pœnarum acerbitate coërcere debemus. Absit itâ animum humanum Principi exuerim, ut obvia crudelitate quemcunque laceret, & in minimos errores prolapsos, statim in tauro Phalaridis mugire faciat. *Cave homines feros, cave Scythas magistrâ Medeâ dignos*, et noli in mite nostrum Belgium novos Thyestas ac Lycaona adducere. Id tantùm urgeo vehemens Orator, ut pereat aliquando in partibus quid, ne rerum summa amittatur. Ut in patriæ proditorem, in perduellem, in Repetundarum ac Residuorum reos, acerbissimis pœnis animadvertatur. Et ne in contumeliam adducatur Lex Julia contrà adulteros; Lex Cornelia contra Sicarios, Lex Apuleia, Aquilia, Latoria, Licinia; quæ ab improborum injuriis nos tutos præstant. Laudabilem in eo Tiberii morem assecuti, qui multa adversum ambitum & potentium preces constituit; cuique suam defensionem tribuit, & non, nisi cognitâ causâ, jus & injuriam decerni voluit. Egregiam ex inde laudem meretur prudens antiquitas. Quæ ut sedula virtutum Nutrix, ita scelerum & flagitiorum vindex fuit acerrima. Adeò ut vix ullum crimen extiterit, cujus aut vestigia non deprehenderit, aut illud in herbâ, antequam ad maturitatem perveniret, falce sua resecârit. Quod, velut in speculo intueri nobis datur, quando sub oculos nostros veterem ac recentem historiæ fidem subjicimus. A mundi exordio auspicium si sumimus, & inde usque ad nostra hæc tempora descendimus, quis omnium illa, amabò, pœnarum nomina percurrere posset? Quando Opt. Max. Deus. toties de nocentibus supplicia sumpsit; toties sua fulmina, rubente dextrâ, in mise-

ros mortales conjecit;terrâ marique toties populum suum;immissâ quasi tempestate, ac pœnarum pœne diluvio, ad debitam sibi pietatem modestiamque revocare voluit. Hæc illa sunt in sacris paginis tonitrua, quæ nostros animos novo indies terrore percellunt. Unde vivo ad oculum exemplo nobis constat, quam meritò humanis flagitiis supremum illud Numen succenseat. Tam æquus exactæ in terris virtutis æstimator, quam sceleris ab unoquoque perpetrati Judex severus. Quam sententiam ex vero expressit Menander:

Ὁ γὰρ ἀδίκως καθ' ἑτέρου ζητῶν κακὸν,
Αὐτὸς προπάσχει τοῦ κακοῦ τὴν ἔκβασιν.
Ὅταν ἐκ πονηροῦ πράγματος Κέρδος λάβῃς,
Τοῦ δυστυχεῖν νόμιζε σ' ἀῤῥαβῶν' ἔχειν.

Ego A.H. ne aliorum flores delibem, intra nostra pomæria ac limites me continebo. Potissimus enim mihi sermo est cum Adolescentibus, quos mea hac oratione inflammare ad virtutem, & abducere à vitiis proposui. In utramque partem delineatâ vivâ imagine, quò ad meliorem animi habitum componere se possint. Certum est, *commilitones Charissimi*, quod sua quemque fraus, suus error maxime vexet, nosque quotidie magnum illud Numen irritemus. Et quasi puniendi justæ causæ non sint, horas illi demus. Cum illud præcipue curare deberemus, ut, perspecta impiorum vita, nostram inde vitam à vitiis repurgaremus. Non, puto, minorem vobis delectationem pariet, H. A. oculis mecum introspicere hominum improborum pœnas, quàm modò de virtutum præmiis Collegam meum disserentem audivisse. Vix ullum ego agnosco criminis genus quod non autori suo damnum meritò attulerit;

sive

ſive animo & cogitatione meâ vetus, ſive noſtrum hoc ſeculum contemplor. Fatalis fuit ruina priſcis Gigantibus, quando cœlum ipſum peterent ſtultitiâ, & pennis non homini datis, ire ad ipſa ſidera miſeri illi phaëtontes conarentur. Quam ſuperbiæ quoq; pœnam experti ſunt Domitiani & Caligulæ, qui ſibi ipſis divinos honores aſcripſerunt. Et illis in proximo poſiti Alexander Dionyſius, Cæſar, Joviſque ille æmulus Salmoneus, qui currum rotas æneis canthis obmunitas ſuper pontem æneum agitavit. De quo meritò princeps Poëta:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas.
Dũ flammas jovis & ſonitus imitatur olympi.

Ubi,

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ.
Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimæra;
Hîc & Aloidas geminos, immania vidi,
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cœlum
Aggreſſi, ſuperiſque Jovem detrudere regnis.
Nec non & Tityon, terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur eburno,
Immortale jecur tondens, fœcundaque pinnis
Viſcera; rimaturque epulis, habitatque ſub alto,
Pectore nec fibris requies datur ulla renatis,
Quid memoriem Lapithas, Ixiona, Perithoumque,
Quos ſuper atra ſilex jamjam lapſura, cadenti,
Imminet aſſimilis:

Hic quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusque parens, & fraus innexa clienti,
Aut qui divitiis soli incubuere repartis,
Nec partem posuere suis.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum,
Districti pendent. Sedet aeternumque sedebit.
Infelix Theseus. Phlegyasque miserrimus omnes,
Admonet, & magnâ testatur voce per umbram:
Discite Justitiam moniti, & non temnere Divos.

Hosce omnes propter immania illorum flagitia, merita ad Acherontem pœna damnavit. Et non istis inferiores Syllam, Antonium, Marium, Lepidum existimes, qui omnes dignum sua crudelitàte mortem obierunt. Tota denique regna, civitates, Principatus, quo alio argumento ad interitum suum sunt prolapsa, quàm ob fœdera rescissa, quam ob patriæ proditiones, ob leges malè observatas, ob fidem & amicitiam per scelera violatam? Ut nihil jam dicam de novis seculi nostris Sejanis & Cromvelliis, quibus ob pravas ac nefarias in reges suos molitiones meritò puniendis, vix rotæ ac unci, puto, in Europâ suffecerint. Deque Privatorum pœnis ac suppliciis, quæ pro sceleris sui magnitudine suo quisque jure commeruit. Inter quos infausti ominis nominisque homines mihi occurrunt Avari Euclìones, sordidi Adulatores, alienæ famæ fortunæque obtrectatores. Nati denique ex ipso male volentiæ sinu pessimi Calumniatores atque invidi, quibus hoc unum in vita est dulce atque jucundum; ut, odio suarum rerum, omnia mutari studeant. Qui secretis criminationibus alios infamant, & quo incautiores decipiantur, palam laudant. O genus homi-

hominum *nullâ virtute redemptum à vitiis!* Ipsi vobis, proh pudor, Carnifices, Tortores, ac Tormenta extitistis; qui ad omnia fulgura trepidatis ac impallescitis. Quibus tacitâ sudant *præcordia culpâ, cum frigida mens est criminibus.* Cuperetis lustrari quidem omnes

Siqua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida Laurus.

Sed, *Prima hæc est ultio, quod se*
Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.
Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit. Iuvenalis Sat. XIII.
Occultum quatiente animum tortore flagello.
Qui,
Nocte dieque suum gestant in pectore testem.
Perpetua anxietas nec mensæ tempore cessat,
Faucibus, ut morbo siccis, interque molares
Difficili crescente cibo. Cum vina misellus
Expuit, Albani veteris pretiosa senectus
Nec placet. *Densissima ruga*
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cœli.

Puto, ignorare vos,
Esse aliquos manes & subterranea regna.
Et contum & stygio ranas in gurgite nigras.

Quod cum latinis scriptoribus, cumulatissime, quoque testantur Græci, quorum si ore loqui hic licet, vere videbimus, quæ olim supplicia in illa gente apud improbos quosque obtinuerint. Egre-

gie *Isocrates* noster ad Nicoclem: τῆς ἀρετῆς οὐδὲν τοῖς πονηροῖς μέτεστι.

Et divinus *Plato*: ὅταν βούληται θεὸς εὖ πρᾶξαι πόλιν, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐποίησεν. ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πρᾶξαι πόλιν, ἐξεῖλε τοὺς ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ὁ θεός. Cui affine est illud *Menandri*:

Σοφοῖς ὁμιλῶν κ᾽αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός.
Κακοῖς ὁμιλῶν κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Adeò, ut nullum vitium reperiatur, quod non, divina quasi virgula & vindicta mox parata, ex merito pœna sua consequatur. Testante hoc iterum de Ebriis. ad Demonicum *Isocrate*: ὅταν ὁ νοῦς ἀπὸ οἴνου διαφθαρῇ, πάντα πάσχει τοῖς ἅρμασι, τοῖς τοὺς ἡνιόχους ἀποβάλλουσι. Et ut paucis multa comprehenderim: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει. Καὶ τιμωρία ἀδικίας ἀκόλουθος.

Nihil horum clara æternaque virtus admittit. Hæc adeo est gratiosa, ut insitum etiam sit malis probare meliora. Hæc gaudium præstat perpetuum & securum: etiam si quid obstat & nubilum intervenit. Hæc denique nos homines usque in cœlum attollit, & supra cara mortalibus collocat. Huc vos invito, *Generos. Adolescentes.* Illò me sequimini. Viam vobis rectam & regiam designo, quâ ad ipsam æternitatem contenditur. Mactis, quæso, animis, hoc illustre gloriæ certamen suscipite. *Et tu porrò felix ac prospera esto, O Augusta Almaria! diuque Virtuti tutissimum Asylum, Improbitati inimicissimum Tribunal oppone.*

DIXI.

Hæ duæ Orationes recitatæ Alcmariæ, post Examen Publicum CIↃ IↃCLXI, XII. *Septembris.*

ORA-

Exercitium Oratorium ad imitationem Salluſtii de Bello Jugurthino.

Præfatio.

ORATIO VII.

Habita à

PETRO SYMS.

Alcmariano.

Duæ ſunt exitiales Rerump. peſtes, Audd: ruinæ imperiorum, materies omnium malorum, *pecuniæ* ſcilicet & *dominationis libido*. à quibus occupatæ Reſp. in extremam miſeriam devolvuntur, tandemque à ſtirpe intereunt. namque Avaritia fidem ſubvertit, probitatem exterminat, Juſtitiam ex hominum ſocietate profligat, omnes virtutes, omneſque benè curandæ Reipublicæ artes eliminat. Horum in locum perjuria & fraudes ſubſtituit, ſacrilegum Dei Religioniſque contemptum inducit, parandæ rei rationes & opum aucupia edocet, ad rapinas, ad furta, ad proditiones patrandas facem præfert. *Ambitio* vero mortales ad deteſtanda flagitia impellit, amicitias magis ex commodo, quam fide æſtimare, blando verborum alloquio incautos decipere, aliorumque gratiæ & benevolentiæ, quam bono honeſtoque Reip. ſtudere, leges perfringere, ſacra humanaque permiſcere, nihil denique penſi nihil ſancti habere. Magnum olim lateque potens Græciæ fuit Imperium: quod parvâ ſæpe manu delevit, innumerabiles hoſtium copias, multas gentes armorum vi ſubegit, bonis legibus Reſpublicas adminiſtrans, rerum geſtarum & Sapientiæ laude toto orbe decantata fuit, quoad honoris pecuniæque cupiditatem à ſe repulit. At ubi illa ſeſe Principum animis inſi-

 nuaret,

nuaret, & pro se quisque, ut maxime poterat, ad honores opesque contenderet, tum viriles illi animi, quibus toties Persarum conatus represserant, conciderunt, virtus quasi venenis malis imbuta, elanguit, æqui & iniqui discrimen, nullum habitum fuit. Bonos ex fortunis suis expellere, exitio, carcere, mortę mulctare, per pessima flagitia ad opes & honores grassari. *Roma*, augustissimum quondam imperii domicilium fuit, domina orbis terrarum, lumen omnium Gentium, palæstra quædam ac theatrum, in quo pulcherrima virtutum spectacula publice exhiberentur. At quando stetit hoc felicius, quam cum ab aratro Dictatores ad capessendam Remp. vocarentur, cum Imperatores humi desidentes, raparumque ferculis contenti, hostium aurum repudiarent. Quid tibi difficile arduumque fuit inclyta dominatrix, quis hostis formidolosus, quibus periculis cessisti, cum Dictatores tui, à stivâ atque ab agris ad clavum summi imperii admoverentur, cum avaritiam & ambitionem sancitis legibus constringeres? Subversa est felicitas, cum tibi divitiæ bono honestoque potiores factæ. Cum dignitates, tuque ipsa, si modo emptorem nancisci potuisses, venalis reddita; cum potentiores furtim & per latrocinia ad honores niterentur.

Ipsa ubi æmula imperii *Carthago* à Scipionibus eversa est, convulsis Marium & montium claustris nihil amplius restaret, quod victoriæ cursum inhibere posset, tum hoc malum longe grassari cepit, ut nullis amplius legibus coërceri, aut suppliciis constringi potuerit. Maxime verò cum populo Romano cum Jugurthâ Numidiæ Rege bellū esset, hæ corruptæ civitatis mores patuerunt. Quod ut ante cognoscendum illustre magisque in aperto sit, paucis Jugurthæ genus & studia exponemus. *Masinissa* Numidarum Rex contra Carthaginenses

ses & Syphacem Regem Populo Romano, sub Scipione Africano militavit, & singulari virtute, quam in hoc bello exercuit, Principis Populi gratiam, Syphace capto, regnum ipsius promeruit. Hic Masinissa tres post sese filios reliquit, Micipsam, Manastabalem, & Gulussam, quibus extremis morbo absumptis, Micipsa solus regnum obtinuit. Manastabalis verò, antequam diem extremum obiret, Jugurtham, ex illegitimo concubitu suscepit, quem Micipsa, ignarus mali sui, cum Atherbale & Hiempsale, filiis suis, domi educavit. Hic ubi primum adolevit, ingenii & fortitudinis documenta de se præbuit, nec se ad inertiam & corporis voluptates pessum dedit, sed arma tractavit, venando corpus exercuit, impigre laborando, omnia, unde gloria peti poterat, conando, populi sibi studia & favorem comparavit.

Demũ sub Scipione apud Numantiam militans, & consilii dexteritate, & pugnandi strenuitate brevi tantum effecit, ut Imperatori suo acceptus, commilitonibus charus, hostibus terrori fuerit. Hac virtute viri & gratiâ, quâ apud omnes plurimum valebat, Micipsa patruus permotus, Jugurtham adoptat, & in regni societatem cum filiis suis assumit. Mortuo Micipsa cum Jugurtha altiora animo cogitaret, jamque totam Numidiam spe invasisset, primò Hiempsalem dolo aggreditur eumque per ministros domi suæ incautum opprimit. Inde Atherbalem invadit, copias ejus fundit fugatque, ipsum regno ejicit, fortunis omnibus exuit, denique in oppido Cita obsessum per summum scelus trucidat, totamque Numidiam per vim occupat. Ad extremam denique miseriam compellit. Atherbal regno ejectus, Romanorum opem implorat, de fratris miserrima cæde, de regni spoliatione, de audacia atque superbia Jugurthæ conqueritur, auxilium precatur, pœnam

impio parricidæ irrogari postulat. Pauci inter Romanos, quibus bonum & æquum diviiiis carius erat, miserabili Adherbalis fortuna movebantur. Maxima pars spe aut præmio inducti, pro Jugurtha steterunt, tantumque singulos Senatores ambiendo effecerunt, ut pro turpissimo parricidio amplissima præmia consequeretur, &, divisa inter duos Reges Numida, optima ejus pars, viris opibusque firmior, Jugurthæ traderetur. His non satiatus Jugurtha, Atherbalis regnum hostiliter aggreditur, omnia effusis populationibus, rapinis, latrociniis permiscet, ferro flamnaque late grassatur. Copias Atherbalis, quibus excursiones hostium prohiberet, profligat. Ipsum in oppidum Cirtam compulsum armis obsessum tenet, tandemque deditione urbis potitus, contra jus gentium datamque fidem miris excruciatum modis necat, & totam Numidiam per vim occupat. Tantum scelus impune fuisset Jugurthæ publico bono privatâ gratiâ devicto, nisi pauci invictum adversus largitiones animum habentes, senatum ad bellum Numidiæ movendum impellerent. Hujus belli historiam Sallustius, ille rerum Romanarum florentissimus auctor describit. ubi an magis sententiarum gravitatem, an relationes fidem, an verò styli elegantiam, & dignam tali Historico & Romanâ magnitudine sublimitatem mireris, nescias. Hunc quia, proximis diebus, nobis hæc à præceptore inculiata, succinctis aliquot Orationibus ex hoc loco exhibebimus. ut inde vos H. A. honestam aliquam delectationem, nos vero repetitæ lectionis fructum uberiorem perciperemus. *Primus* nostrum Micipsæ Regis personam sumens Jugurtham à Numantiâ reversum, & rerum gestarum gloriâ inclytum cum filiis Atherbale & Hiempsale Regni hæredem, instituet, singulosque ad concordiam,
quæ

quæ unicum regnorum est stabilimentum, hortabitur. *Secundus* Iugurtham repræsentans, habito suorum concilio, quid sibi in animo sit exponet. *Tertius*, sub Atherbalis personâ, Jugurthæ nequitiam, patris cædem, suam fortunam in Senatu Romano proponet, & auxilium implorabit. *Quartus*, pro Jugurthæ Legato se gerens, regem suum defendet, ipsiusque, in Romanos merita ac fortitudinem commemorabit. *Quintus*. L. Bæbium exprimet, fautorem regis, muneribus ipsius corruptum, publico bono privatam gloriam ante ferentem. *Sextus* L. Memmium adumbrabit, & fautores Regis culpabit. Ambitionem & Avaritiam reprehendet, adversos Jugurtham bellum decerni, & sanctè vindicari Adherbalem postulabit, recensitâ factorum Jugurthæ historiâ. *Septimus*, Consul Romanus Jugurtham hostem pronunciabit, bellum decernet, severè puniendos maleficos docebit, adversus avaritiam, & ambitionem leges sanciendas monebit. *Vos, Viri Nobilißimi, Amplißimi, Doctißimi, Auditores Humanißimi, quaso, de illustri, hac materiâ, & argumento temporum nostrorum moribus dignißimo, nos dicturos gratiâ & benevolentiâ Vestrâ, ut soletis, liberè benigneque prosequimini.* Verum enim Poëta dixit:

Excitat auditor studium, laudataque Virtus
Crescit, & immensum Gloria calcar habet.

DIXI.

ORA-

ORATIO VIII.

Habita à

IOHANNE DIONYSIO,

Haerlemense.

Sub PERSONA MICIPSÆ,

Qui JUGURTHAM,

à Numantia reversum,

Cum Filiis Atherbale & Hiempsale Hæredem adoptat, singulosque ad Concordiam hortatur.

Quod aliquando precatus à Jove Opt: Max: cæterisque Dijs immortalibus sum, ut opum mearum regnique Numidici hæredes, relinquerem, illius me voti compotem esse factum, maximè lætor. Video ante oculos *Atherbalem* & *Hiempsalem* filios meos, dignos avo Masinissa Nepotes, præsidia senectutis meæ, ornamenta gentis, fulcra Numidiæ, amplissimi regni, gloriæ regiæque dignitatis possessionem, præclare tueri, Vos mei filii, debitum charissimo Parenti amorem & reverentiam exhibuistis. Vos præceptis monitisque meis aurem semper præbuistis. Vos ab ineunte ætate magnarum virtutum documenta ostendistis. Non dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam ætatem exegistis. Non in magna fortuna omnia vobis licere existimastis. Ad gloriæ, ad bonarum artium studia animum assiduo intendistis. Nihil mihi in vitâ meâ acerbi obvenire potest, quod non talium filiorum recordatione mitigetur. Non molesta mihi est senectus, non sunt oneri curæ, non sunt dolori adversitates. Omnia

nia mihi in vobis possidere videor, quæ vel ore poscam, aut animo exoptem.

Nec jam mihi mors erit acerba, qui in filiis meis ut corporis, sic virtutis imaginem expressam, sim relicturus, & subditi, me è vivis erepto, non dominum, sed nomen tantum sint mutaturi. Hoc animi gaudium ex tuo, *Jugurtha*, conspectu geminatur. In quem ob virtutem tuam non minus ac in filios meos propendeo. Et si enim fortuna clari sanguinis ortum tibi denegaverit, & materno genere filiis meis sis impar, tuâ tamen virtute assecutus es, ut eodem cum liberis meis honore effulgeas. Veni itaque in potestatem Imperii, qui in virtutis venisti, & cum filiis meis Numidiæ sceptra æquo jure tracta, omnium mearum opum atque gloriæ hæres præstantissime.

Illum ego verè Regio nomine dignum arbitror, qui regnum, quod nascendo à parentibus accepit, virtute simul meretur. Quæ si abfuerit, non magis Regem dicam, quam si asinum diademate insignem in solio viderem. Qui reliquis honoris fastigio eminentior est, virtute etiam, animique dotibus antecellere debet. Ideòque nos fortuna evexit, & in amplissimo solio toti orbi conspicuos reddidit, ut subditis virtutis exemplo præluceremus, & ad omnem honestatem, ad omne decus facem præferremus.

Magnum sane Princeps ad rectè vivendum est momentum. Qui, si virtuti deditus est, cives in studii ipsi commoda protrahit. Sin verò malas hic artes sectatus fuerit, eâdem mox labe subditi inficientur. Sequuntur illi itineris monstrati Ducē, nec eunt, quo ire decet, sed quo Principis libido ducit. Non meliùs legū auctoritate, non suppliciorum gravitate, quam Principis vitâ in officio continentur. Qui, si exorbitaverit, secum regnum universum ad errores abducit.

Ut

Ut tandem ad domestica progrediar. Pater meus Masinissa quantâ gloriâ Numidiæ regnum extulit? quod anteà fœdâ sepultum barbarie in vastis Africæ solitudinibus latebat: Quam ardens ille virtutis studium in Numidis excitavit? Eos brutorum instar pecudum per agros pascentes civilis vitæ communione junxit, à latrocinijs & suppilationibus ad justitiæ cultum traduxit: Deorum metum, legum reverentiam, gloriæ honestum desiderium illis injecit. Nec id tam pœnarum formidine, quam vitæ, quâ omnibus præibat, integritate effecit. Nec sanè parvum onus est, quod Principum humeris incumbit.

Reipub: salus ab hoc uno capite dependet, Ab unius animâ populus universus vitam spiritumque trahit. Quo in loco Respublica futura, si illa, qui ejus gubernaculis assidet, virtute & consilio non sit instructus? Nisi adversum pericula animum firmare, armis hostem fortiter avertere, sceleratorum audaciam legibus & pœnis coërcere, innocentiæ præsidium præbere, omnia sapiente consilio moderari. Et, sane, corpus omni motu & actione destituitur, si, corde lethaliter sauciato, anima expiraverit: Ut navigium Palinuro suo destitutum in scopulos facilè impingit: sic Respub: in fatalem sui periodum protinus inclinat, si probo Rectore ac Duce suo destituitur. Scilicet virtuti omnia parent. Hæc rerum humanarum est una moderatrix, hæc regnorum custos, præsidium Reipub: columen populi. Huic ex meritò principatus offertur, huic imperii tutela & gubernaculum comitti debet. Atque hæc me causa movet, *Jugurtha*, quod te cum duobus filiis meis regni mei hæredem addopto; Nam tuæ virtutes tot illustribus operibus nobis perspectæ, hoc mihi propositum, tanquam Diis in Cælo testibus, confirmârunt.

Nunc

Nunc verò, quoniam mihi natura finem vitæ factura brevi videtur, per hanc dextram, per regni fidem moneo obtestorque vos, ut devinctis in fraternam amicitiam animis Rempub: concorditer administretis. Regnum vobis trado, filii, copiis firmum, agro divitiisque, imperio amplum, gloriâ inter omnes Africæ ditiones honoratissimum. Vos videte, ne rem hæreditate ad vos transmissam dissensione vestrâ accidatis.

Concordiâ enim res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

Non exercitus, non thesauri nec munimenta sic præsidio sunt regnis, quam animorum in imperio consensus & conspiratio. Videtis Romanum imperium, cujus gloria & magnitudo iisdem, quibus solis cursus Regionibus ac terminis continetur. At illud à Romuli casulis & angustis pastorum tuguriis initium sumens Principum concordiâ amplissimum evasit, terras omnes & maria victoriis suis emensum est. Sed parum abfuit, quin nuper civium dissensione florentissimum hoc Imperium penitus fuerit subversum. Nullæ tantæ sunt opes, nullum tam potens est regnum, quod non per discordiam brevissimi temporis spatio planè corruit ac labefactatur. Non ignoratis, filii, quos in vicino hostes habeatis, qui ad vos opprimendos & delendos omni ope adnitentur. Hinc Mauritaniæ Rex Bocchus invadendæ Numidiæ cupiditate exardescit. Inde veteres hostes Cartaginenses, à patre Masinissâ illatam injuriam ulcisci studebunt. Quomodo his pares eritis, si dissensione distracti vires vestras imminueritis? Sed vetat corporis mei imbecillitas, viresque meæ defessæ ac invalidæ, pluribus vos alloqui. Fidem mihi facit virtus & sapientia vestra, & in me amor singularis, vos monitis meis cupidissimè obtemperaturos. Tu verò, *Jugurtha,*

gurtha, qui ætate usuque rerum es prior, ante omnia providere debes, nè quæ inter vos simultates & odia prognascantur. Ego te parvum, amisso Patre, sine spe, sine opibus in regnum meum accepi; eodem te cultu habui, quo filios ex me genitos. Præstiti tibi tuo Judicio beneficia maxima, quibus non aliam gratiam reddi postulo, quam ut genitos ex me filios, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas. Neu malis alienos adjungere, quam sanguine conjunctos retinere. Vos autem *Atherbal & Hiempsal*, colite, observate hunc virum, qui fraternis consiliis animoque in vos propenso teneritudinem vestræ vitæ reget diriget que. Ego immortalibus Diis gratiam habeo, quod mihi ad hunc usque diem vitam prorogarint, ut videre liceat ex *Masinissæ* pro sapiâ optatissimos regni hæredes existere. Nunc, quando Superis hoc visum est, tantò tranquillior feliciorque ex hâc vitâ emigrabo.

DIXI.

ORATIO IX.

Habita à

JOHANNE SUARTENHENGT.

Alcmariano.

Sub personâ JUGURTHÆ.

Qui concilio suorum habito, quid sibi in animo sit, exponit.

TAndem aliquando, *Commilitones*, delirus ille senex luxu atque ignavia confectus, expers omnia

omnis virtutis, opprobrium Numidicæ gentis, in vivis esse desiit. Abiit, excessit, reliquit hoc amabile cæli lumen, & cum stulto Midâ, cum Tantalo in tenebricoso Tartari specu, æternas ignaviæ suæ & vecordiæ pœnas luit. Nulla jam pernicies à monstro illo atque prodigio mihi comparabitur. Nulla malevoli hominis invidiâ inceptum gloriæ curriculum remorabitur. Repulsa est sica cervicibus nostris intentata. Rejecti mucrones, qui jugulum nostrum petebant. Omnes insidiæ amotæ sunt. Datus mihi nunc est exercendæ virtutis campus latissimus; ad gloriam sempiternam, ad Imperium amplissimum iter patet. nihil mihi ad plenam felicitatis possessionem deëst; videor mihi videre popularium meorum animos in me studio benevolentiaque singulari accensos. Mihi imperium, mihi Masinissæ solium paratum; ipsa Numidia lætati mihi videtur, quod tam stolidum regem evomuerit, & ex amplissimi honoris sede projecerit; me suum servatorem complecti. Mihi copias & exercitum præbere; mihi opes & divitias subministrare; munitiones patefacere; montes submittere, fluminibusque ad vehendam classem, quietem injungere. Quanta est res, Commilitones, quam virtute nostrâ perficiemus? Quantas opes nobis cumelabimus? Quot terras victoriâ peragrabimur? quanta gloriâ Numidiæ regnum attollemus? Nihil minus in me quam animi magnitudinem, fidem, industriam desiderabitis; à vestra virtute mihi auxilium mutuandum est, quæ si obsequens fuerit, nullus labor erit tam asper ac arduus, nulla pericula tam gravia, nulli hostes tam rabidi, quos non feliciter subigemus. Ideòque vos in hunc locum convocavi, ut vobiscum consilia mea communicarem, quibusque in posterum opus sit, tempori admonerem. De illis rebus quando apud vos

sim

sim dicturus, mihi ut libenter attendatis, etiam atque etiam oro rogoque.

Micipsa fatali detentus lecto, cum & sentiret mortem sibi imminere, meque ob virtutem meam vobis carum magnumque haberi; filios verò suos luxuriæ & otio deditos tamò impares imperio esse, mecum illis in regni hæredem adoptavit. Hoc vero illi egregii filii ægrè ferre, mordere clanculum, insidias parare, hoc agere, ut & regno pariter & vitâ meâ exuant. Hoc facto *Commilitones*, quid commodi, quid præsidii ab illis habebitis? quibus hominibus Numidiæ regnum administrandum dabitis:

Quod si fiat, infelices sanè Numidos, qui fortissimis viris aut ejectis aut extinctis impotentissimæ corruptissimorum hominum dominationi subesse debent. Illinè amplissimi regni gubernaculum tractabunt, qui in Gynecæo irretiti, melius de conviviorum apparatu, & gulæ irritamentis, quam de regendo imperio judicabunt? illi in castris, in acie contra hostem dimicabunt? ego verò ab omni honore, ab imperio excludar? & qui ab ineunte ætate non pravis captus cupiditatibus, corporis sectatus sum delitias; sed laborem perferre, famem & frigus tolerare, pericula subire, hostem ferire, nullum egregii viri munus prætermittere didici. Sic itaque homines inertes viris fortissimis imperare, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis dorminentes vigilantibus? qui nisi accubantes in conviviis, complecti mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, regni curam negligent, & vos, liberosque vestros, atque hoc amplissimum imperium hostibus diripiendum permittent ô tempora, ô mores. Certus itaque sum Numidiæ regnū mihi vindicare, ipsosq; indignos tantarum opum possessione conficere, & ex medio auferre. Ego virtutem meam in illis experiar.

Quoad

Quoad egressus puerilis ætatis metam, animum rebus gravioribus intendi, & cogitationem in hujus regni statum gubernationemque converti. Semper Micipsam parum animo valuisse, & Reipub: gerendæ ignarus visus mihi fuit. Ut alia omnia præteream, in eo infirmæ mentis debilitatem satis superque detexit, quod nuper tribus sibi successoribus constitutis in tenuissimas portiones Imperium distinxerit. Quid verò eo dementius ab illo fieri potuit? Quid magis Reipub: damnosum & noxium? nulla æquè res regno exitio est, viresque ejus minuit & accidit, quam si convulsâ totius corporis compage, in plura membra dissipatum fuerit. Vires regni in se collectæ hostium injuriam facilè à se propulsare possunt. An non videmus flumina rapidissima si in quàm plures rivulos deducantur, vim omnem amittere, languidiusque fluere? ignis lucem æstumque plurimum imminui, si in multas portiunculas sejungatur: atque hoc est quod peritos hortulanos facere videmus, qui viti luxuriantem lignorum struem, hinc atque inde pullulantes à radice surculos resecant, ut in melioris succi uvas exuberet; sin secus, vires latius diffusæ debilitantur, & in ligno inutili evaporant.

Quid magis evertit Græcos, quam quod in plures principatus divisi, conjunctis viribus non resisterent Romanis? stultum verò est existimare veram animorum consensionem in Imperii consortibus esse posse. Scilicet,

Impatiensque loci Fortuna secundi.
Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem,
Pompejusve parem.

Et certè.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite,

Credite, nec longè Fatorum exempla petantur.
Fraterno primi Maduerunt sanguine Muri.

Diſſident conſiliis & ſententiis pro diverſo ingeniorum habitu; & raro idem in Repub. volunt diverſi Imperatores. Hic bello ſtudet, ille paci. Hic largitionibus populi gratiam præripit, & blando affectu ſe immergit ſubditorum animis. Ille nihil dando, nihil concedendo ſeveritatis laudem quærit. Diverſi mores, diverſa ingenia & ſtudia. Hinc inter regni ſocios ſimultates naſcuntur, contentiones, diſſidia oriuntur. Plebs pro ingenio ſuo in diverſas abit partes. Hinc factiones perpetuo aluntur, unde ſæpe cum Reipub. exitio bella inteſtina enata ſunt.

Docet hoc Reſpub. Athenienſium, Lacedæmoniorum, Romana. Reſpublicæ laudatiſſimæ unum habuerunt Regem, ut Macedones, Perſæ, Ægyptii, Æthiopes, Aſſyrii, Scythæ, Medi. Multorum enim potentia ſparſa eſt, ideoque minor; quando alius alium reſpicere ſolet, & patronum ſibi quiſque hunc aut illum comparare. Igitur etiam Aſſyriorum Imperium mille ducentos quadraginta annos ſtetit. Medi ducentos fere ſexaginta. Et Perſæ ad Alexandrum uſque Magnum ducentos triginta tres. Quod cum non ignorarent Romani, multorum ſcilicet Imperia eſſe periculoſa; igitur gravi bello exorto, & peſte graſſante, unum ſine provocatione Imperatorem dederunt. Dictatoris namque edictum pro Numine obſervabatur. Monſtrum enim eſt, unum Reipub. corpus, capita habere diverſa. Unus animus, unus Sol, unus Princeps Deus, & ut Græci ajunt.

Οὐκ ἀγαθὸν, πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω.

Quid itaque melius, quam ut luxu corrupti deleantur? & uni committatur Imperium. Quem

itaque Regno Numidiæ præficietis? illos luxu corruptos? nec infelix esset Numidiæ regnum, si tales Reges haberet? Ego vobis belli Dux ero: ego in prima acie periculis me objiciam, & pro salute vestra omnem fortunam subibo; ego vos opibus & honoribus cumulabo; vos gloriâ & immortalitate apud posteros donabo.

Ipsi sunt imbelles, metuentes magis, quam metuendi; copiæ illorum ex inermibus togatis constant, nullaque fortitudo in illis effæminatis. Quod si adversus eos florem totius Numidiæ eduxerimus, facilè in fugam præcipitabuntur. Romæ omnia sunt venalia, & avaritia ipsorum sine fine ac termino. Agite, corrumpamus omnes largitionibus, spargamus aurum & argentum, tanquam missilia in vulgus. Habeo ibi in Comitiis Bebium, Calpurnium, illi pro re nostrâ loquentur; & si parum feliciter dolus & insidiæ nostræ procedunt, ab ipsâ virtute petamus auxilium. Fortibus viris nihil est invictum; etiam Romani vinci possunt. Nec imo semper loco stat felix fortuna, gloria difficilibus constare solet; raroque quisquam excelsa aggreditur, nisi ad illa per pericula atque ruinas contendat. Nolo pluribus ad vos loqui, Comilitones, ne vestræ virtuti diffidere videar. Agite, itaque, & mecum sumptis armis illos ineptulos regno ejicite. In me Regem habebitis, qui pro vobis, qui pro liberis vestris nullum periculum reformidabit. Vos pariter auxilia vestra adjungite, & spem nostram masculis conatibus promovete. Eximite vos puerorum imperio, quibus viri fortes nunquam subesse possunt. Ita fiet, ut consiliis nostris tanquam felicibus auguriis, omnia nostræ potestati subjiciamus; ut opes, honores, gloriam denique immortalem nobis felicissime comparemus.

DIXI.

PRECATIO.

TE, Æterne, & immortalis in Cælo Deus, ex intimis animi medullis etiam atque etiam oramus precamurque, ut illa vitia, de quibus nos modò, sacro hoc loco, peroravimus nunquam in nostra Republicâ locum inveniant. Ut ab animis Imperantium longè absit Avaritia, pestis teterrima, quâ bonæ leges & patriæ salus destrui ac eradicari solent. Ut denique pessimi mores, ingeniorum corruptelæ, libido, artesque dolosæ nunquam animum civium à recto tramite abripiant. Nè Discordiâ aut Ambitione res Belgarum florentissimæ concidant, secumque rerum nostrarum fœdam aliquando ruinam trahant. Utinam! nunquam ista tempora vivamus, quæ improbos nobis Jugurthas aut Catilinas redonent, quorum consilia Ecclesiæ & Reipublicæ sunt noxia; sed Catones, Lelij, Scipiones, Nassovij & Auriaci ad clavum imperij admoveantur; à quorum pietate & fortitudine domi, forisque Patria nostra decus, gloriam, famam immortalem consequatur. Semperque optimi, semper prudentissimi Viri in Rostris ac Tribunalibus existant, qui communem hanc Reipub. navem, quâ omnes vehimur, in tutum aliquando portum deducere possint. Hoc imprimis periculosissimo mundi tempore, quando novas nobis tempestates, hinc indè Europæ reges Principesque minantur. Tu, ô sanctissime in cælis Deus, pro solitâ tuâ clementiâ, patrio tuo præsidio nos in Belgio hoc nostro protege ac defende. Contra omnia illa mala, quæ vel publicus hostis, vel privata pessimorum hominum injuria nobis machinatur: Hanc etiam illustrem, quam incolimus, ALCMARIAM & in illâ Nobilissimos & Amplissimos omnium Ordinum viros, Cives virtute & doctrinâ eminentes divinis tuis Auspiciis, tuæque curæ & fidei committimus. Denique ô Potentissime & mise-

& misericors Deus nobis omnibus & Docentibus & Discentibus ad PIETATEM & virtutes Christianas clarissimam tuam facem præfer: ne fortè, in tenebras, aut aliquos errores prolapsi nominis tui adorandam Majestatem, per injuriam aut incuriam nostram violemus. Tibi SOLI, ô Omnipotens DEUS, summa sit laus, Honor & Gloria pro omnibus tuis beneficiis, quæ cum animo, tum corpore quotidie percipimus: Per unicum illud meritum & mortem Filii tui SERVATORIS nostri, DOMINI CHRISTI: Cui modò pendenti in maledicto Ligno Crucis ab Orbe Universo, in æternum, Gratia debentur. AMEN.

Hæ tres antecedentes Orationes habitæ Alcmariæ, Examine Vernali CIↃ. IↃCLXII.

ORATIO X.

Continuatio Historiæ

ATHERBALIS,

Conquerentis in Senatum de injuriâ

JUGURTHÆ.

Habita ab

EDOARDO NEUHUSIO. R. F.

Alcmariano.

ETsi mihi miserrimum sit P.C. vehementerque doleam, quod vobis oneri esse cogar prius, quã usui; mallemque deberi mihi â vobis beneficia, quàm ea â vobis sollicitare; miseria tamen mea, in quam Jugurthæ scelere incidi, impellit me ad vos confugere, & præsidium opemque Po-

puli Romani implorare. Venio ad vos Patriâ extorris; regno fortunisq; omnibus, quæ mihi justâ hæreditate obvenerunt, expulsus: nudus à propinquis; spoliatus ab ope humana; omnibus denique miseriis; coopertus: quibus ille me involvit, quem Pater meus ex situ tenebrisq; ereptū ad regiam eminentiam subvexit? Heu! instabilis rerū prospere fluentium conditio! O rerum humanarum sors dubia!

Micipsa Pater jam morbo annisque confectus, cum videret me fratremque ob ætatem, injuriæ opportuniores, Jugurtham nobis adjunxit, ut in partem curarum nostrarum veniret, nobis Præsidio, regno ornamento, & decori esset. Unde verò Pater præsidium nobis venturum speraverat, inde pernicies & exitium manavit. Humana mens ignara fati difficulter consiliorum eventus casusque proponit. Vix fatis concesserat Pater cum Jugurtha latentem sub vulpe animum detexerit; in nostram regnique perniciem cum lictoribus suis conspirat; fratrem dolis aggreditur & trucidat; Provinciam ejus sui sceleris prædam facit.

Ego in isto rerum statu cum subditorum meorum vexationes regnique direptionem videre amplius non possem, nec ipse inter parietes meos à sceleratissimi hominis sicâ tutus essem, cessi furori ejus P. C. & ad vos confugi, à vobis in ærumnis meis solatium & præsidium petiturus.

Rogo itaque obtestorque P. C. ut non me vestro auxilio & patrocinio destituatis. Subvenite misero mihi; ferte opem rerum omnium egenti; ne sinite Regum præclarissimorum progeniem, Masinissæ nepotem, vestrum amicum & socium, scelere nequissimi hominis obrui, & Numidiæ Regnum, rejectis veris hæredibus, in potestatem spurcissimi latronis venire.

Nulla terra est P. C. adeò ab orbe vestro remota & dissita; nulla gens tam barbara, quò non

non virtutis vestræ gloria pervenerit. Inter reliqua virtutum ornamenta, quibus effulgetis, nullum est illustrius magisque præclarum, quam *Æquitas & Iustitia*, quâ Fœdera cum aliis inita servata habetis; sociorum injurias severè vindicatis; oppressis injustè auxilium præbetis. Hoc rem Romanam auxit; Populos nationesque vobis multas adjunxit; nominis vestri magnitudinem ad externas gentes divulgavit.

Cæteri Reges nationesque aut armis vestris edomiti, in fidem se vestram dederunt; aut Romanam amicitiam, commodo sibi futuram, contra urgentes hostes, omni ope ac diligentiâ appetiverunt. Nostra verò Familia necessitudinem vobiscum junxit; cum flagrante Carthaginensium bello, magis fides ejus, quam Fortuna ponderanda. An itaque me his coopertum miseriis deseritis? me ludibrio esse permittetis? me unum vestro auxilio indignum existimabitis? me nullo erectum solatio â pedibus vestris rejicietis? ille itaque sceleratus Parricida, adulterina proles, omnis virtutis & innocentiæ hostis; opprobrium Numidiæ, labes nostræ familiæ; ille turpissimus nebulo superbia sese & audaciâ efferet? ille in sanguine nostro bacchabitur? ille in pernicie nostrâ exultabit? ille in Regni ruinâ Triumphos aget? ille oculos bonorum intuebitur? ille animum ferocem incendiis, rapinis, vastationibus oblectabit? Non est in vobis tanta inhumanitas P. C. ut ad vestram opem accurrentem, vestram virtutem, vestram fidem implorantem deseratis.

Repetite memoriâ *Masinissæ avi mei virtutem*, pervolvite apud animum, quâ fide, quâ industriâ Populi Romani majestatem defenderit. Suscepit in se Syphacis odium ut rem Romanam augeret: in acie pro Vobis stetit; Exercitus, copias subministravit ad extremas infirmi corporis re-

liquias vestram amicitiam coluit. Hoc testantur nostri Imperatores, quibus ob merita virtutemque fuit acceptus, nec aliam mercedem laborum meritorumque suorum postulavit à vobis; quam ut vos hujus regni patrocinium susciperetis, nepotesque ipsius à vi & injuriâ defenderetis. Nunc datur vobis opportunitas, gratiam *Masinissæ* rependendi. Ipsius nepotes regno ejecti, quod ille virtute suâ stabilivit, vos illos reducite. Reciderunt in gravissimas miserias, vos illos eximite: opprimuntur à nefario homine, vos illos defendite.

Quod si vos me à conspectu vestro tristem abire sinatis, quò me conferam P. C. quorum opem & auxilium implorabo? quos Reges, quas nationes, appellabo, & ad mei misericordiam deducam? unde opes, unde auxilia expectem; in quas terras abirem, ubi non hostilia monumenta Familiæ meæ erecta viderim? Ad quos populos confugiam; quos non infensos infestosque mihi habeam propter amicitiam vestram? an quisquam ærumnis meis ingemeret ac condoleret? Populus Romanus est, quem solum colo; cujus societatem, cujus fœdera agnosco. In vestrâ amicitiâ abundè magna præsidia mihi sunt. Eâ contentus aliorum consilia non requiro; necessitudinem contemno, fœdera aspernor. Sic me *Masinissa* instituit; hæc præcepta Micipsa dedit, ut aliorum societatem fastidirem; vos cognatorum, vos affinium loco ducerem.

Si ad impetrandum nihil causæ haberem, præter miserandam fortunam, quæ me in miserrimo rerum articulo depræhendit; tamen vestri est officii P. C. me indignis modis vexatum, contra vim & injuriam defendere, & humanæ miseriæ condolere: respicite ad meas ærumnas; moveat vos fortuna mea.

Fui

Fui paulò ante Rex & latè diffudi imperii mei habenas, nunc miser, inops, & à multis ludibrio habitus, res meas despectas video : O fortuna cur placuit tibi in me sævire? cur me humanarum rerum spectaculum ac ludibrium præbes? extuleras me in sublime, nunc iterum in profundissimum miseriarnm gurgitem prolabor. Sed, absit longè à me, ut te *fortuna* accusem : Jugurthæ scelus in hasce me miserias præcipitavit. ;Punite itaque sceleratum nebulonem, nec patiamini illius Regnum per scelus crescere; me verò ex avito Regno detrudi: *Masinissæ* nepotem, illorum progeniem, qui suorum capitum fortunarumque periculo majestatem Populi Romani defenderunt.

Quod si SCIPIO *ille Africanus* è sepulchro caput erigeret, sic vos alloqueretur : *O Romani, vos perferetis nepotem Magni MASINISSÆ Regno expelli, & fortunis suis orbari? idcò Pater ejus suum corpus pro mea Regnique incolumitate armis subjecit, ut nepotes ejus expellerentur? Egone Carthaginem subegi SIPHACEM devici, ut esset ex Familiâ MASINISSÆ spuria aliqua Proles, quæ hoc faceret? O Masinissa! quod si tu me in hâc fortunâ videres; quid diceres? egone hoc Regnum virtute meâ stabilivi! adversus Carthagnienses fortiter depugnavi, ut aliquando nepotes mei expellerentur? ostenderet vobis cicatrices, ostenderet Trophæa à nostris majoribus reportata, & per ea vos obsecraret, ut mei memoriam haberetis.*

Heu Micipsa Pater, quo evaserunt beneficia tua, quo me miser vertam? domumne? ut fortunam fratris & propinquorum mæstus adspiciam? ut amicorum inter busta ambulem? ut Regnum misere vastatum, & in eo dominantem Iugurtham videam? an aliò, ubi deridear ab omnibus mihi infestis? O Frater! quanquam tuus casus sit acerbus; felix tamen es, qui hisce ærumnis præreptus,

nihil ab istâ calamitate animo tuo oculisque percipis. Utinam in acie mori licuisset, & hostis ferro cadere in prælio: nunc nec vivere, nec mori misero honestè licet. Tu verò, Iugurtha, quamquam ferox sis scelere, non elabêris tamen; nam nemo crimen gerit in pectore, qui non Nemesin habeat â tergo.

Rarò antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo.

Licet omnia jam supplicia Deorum hominumque desint, tuusque furor, & perversitas mortalium tantum in hâc Republicâ possit, ut deserar; Ego ex hoc discedens corpore *te pone sequar.*

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

DIXI.

ORATIO XI.

LEGATI IUGURTHINI

Qui Regem suum defendit, ipsiusque, in Romanos merita commemorat.

Habita à

IOHANNE NYENBURGIO.

Alcmariano.

QUod Alexandrum illum Magnum aliquando fecisse andivimus, cum alteram aurem accusatori, alteram reo reservaret, hoc unum nunc à vobis P. C. factum esse optarim, ne utrâque mendacibus calumniis adhibitâ, Iugurtham incognitâ causâ condemnetis; nam nullum

lum innocentiæ præsidium esset, eoque omnis obtinendæ salutis spes præcideretur, si accusatori liberum esset judicis aures sinistris rumoribus imbuere; ejusque favorem & benevolentiam fictis querimoniis præoccupare: vestra verò æquitas P. C. quæ apud omnes gentes laudatur, spem mihi facit, non omnibus adversariorum criminationibus fidem à vobis adhiberi; sed & Jugurthæ Regi defendendi sui potestatem benigne concedi: magnum autem innocentiæ præsidium præbet conscientiæ certitudo, quæ aheneus quidam murus est, quem nullæ improborum obtrectationes, nulla criminationum vis, nulla adversariorum malignitas convellere & excidere potest. qui enim integrâ est vitâ *scelerisque purus, non eget Mauri jaculis*, nec quicquam reformidat fortunæ alternantis: *Si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinæ*. Et, sane, non parum causæ nostræ nunc in Populi Romani favore & benevolentiâ positum est, quod in Jugurtham Regem meritò propendet. Norunt illi, quam fortiter adversus Romani nominis hostes pugnaverit; norunt quam sanctè semper vixerit; quàm Imperatoribus suis sedulo obtemperaverit.

Ille P. C. Rex fortissimus, multorum scelerum, patricidii, crudelitatis, perfidiæ coarguitur, à quibus ille, meo judicio, prorsus est alienus. Hunc ego legatus jure Naturæ & ex sincero animi affectu hoc loco defendendum suscipio. Omnibus, amabo, hoc gratum ut sit, etiam atque etiam vos rogo.

Quoties res Numidicas mecum animo percurro, & de Rege Jugurthâ cogitationem suscipio, toties Regno nostro gratulari soleo, cui singulari Deorum benignitate talis Rex datus est; qui Masinissæ solium non sine multarum gentium applausu nunc obtinet. Sunt enim divinæ in hoc Rege

nostro animi dotes, sunt virtutes eximiæ, est animi magnitudo supra humanam conditionem prorsus admiranda, à quo omnes Principes illustrium actionum exempla, quæ imitarentur, desumere possent. Quis eo Regum omnium in hostem est fortior, in subditos clementior, in secundis rebus submissior; in adversis animosior; in omni vitâ domi forisque sanctior? eo magis miror Atherbalis impudentiam, quod tantorum criminum culpam Regi nostro impingere sit ausus, idque in hoc consessu orbis terrarum nobilissimo, præsente populo Romano, audientibus Senatoribus, quibus fortitudo & integritas illius jam dudum cognita & perspecta est.

Inspicite, quæso, mecum Jugurtham à puero P. C. & videbitis totum illud ætatis florentioris tempus in virtutis studio collocatum. Non ille luxui sese inertiæque corrumpendum dedit; sed ad virtutem incumbere; militaribus exercitiis vacare; propositâ clarissimorum Regum imagine ad gloriam omni studio contendere. Non multum loquendo sed præclare agendo virum se præstare. Hinc ille populi studia in se accendit, qui non tanquam suæ naturæ consortem, sed tanquam aliquod de cælo missum numen suspiciebant, & venerabantur. Extollebant singuli in ipso animi indolem regiam; admirabantur agendi strenuitatem & ingenii vim divinam. Et quamquam magnæ hæ virtutes essent, magis tamen splendescebant, quòd alienus à fastu, dando, sublevando, ignoscendo, Numidarum animos sibi devinciret.

Depositis hisce tyrocinii rudimentis, ad rem gerendam se accinxit, atque hoc unum optavit, ut bellum aliquod novum oriretur, in quo virtus sua enitesceret. Bellum tunc populo Romano cum Numantinis fuit, qui socordiâ Imperatorum nostrorum

ſtrorum per multos annos obſidionem toleraverant, & Rom: juventutem exercebant. Ad hoc bellum profectus Jugurtha, quam ille utiliter Reip: operam navavit! quam multa quamque præclara rei militaris facinora fecit, quantam ſui nominis famam apud hoſtes pariter & ſocios excitavit! quid referam Scipionis erga ipſum propenſionem & benevolentiam, cujus ductu auſpiciiſque res apud Numantiam gerebatur, quid memorem commilitonum ſtudia? quid hoſtium formidinem? qui ad conſpectum aut nomen Jugurthæ totis animis percellebantur?

Quid verò adhæc dicis, tu Atherbal, nunquid res ita ſe habent, ut ego eas commemoro? repelle, ſi potes, verba mea; argue me, ſi potes, mendacii. Habes æquos judices; habes linguã in promtu, quâ magis quam virtute excellis: obmuteſcis tantarum virtutum mentione & Jugurthæ gloriâ, cujus ſplendorem nec capere nec ſuſtinere potes, ſcio, me in rebus celebratiſſimis ſermone omnium verſari, atqui ideo illa ipſa omnibus eſſe notiora, quàm mihi. Loquatur ipſe Scipio, columen aliquando hujus Reip. nominis Romani ornamentum, qui hoc ipſe, confecto bello, virtutis teſtimonium dedit. quid, per Deos immortales, dici de quoquam glorioſius poteſt, quæ laus major cuiquam dari? quid Jugurtha ad teſtandam animi innocentiam hoc teſtimonio amplius deſideret? quid uberiorem commendationem exſpectet? maxima equidem laus eſt à viris laudatis laudari. An vero huic Scipioni P. C. fidem denegatis, cui florem Iuventutis Romanæ, cui Remp. cui aras, cui liberos conjugeſque commiſiſtis? an ipſius teſtimonum rejicitis? cujus à ſanctiſſimo ore tanquam Delphico Apolline reſponſum petebatur? cujus fidem terrarum orbis ſanctam & inviolatam habuit. Hic ille Atherbal,

homo effæminatus Iugurtham sceleris & parricidii accuset? Scipio Africanus eum commendat, utri creditis P. C. illi omnibus sceleribus cooperto, an isti Regi? cujus virtus in orbe Romano tam cognita ac perspecta est.

Quæ verò tanta est tua, Atherbal, vecordia, ut patris tui Micipsæ testimonium de Iugurthâ rejicias? quæ hæc est tua pietas in parentem; ut eum tu accuses & scelerum pessimorum damnes; quem ille laudibus in cælum extulit? An verò non habuit genitos ex se filios, quibus imperium relinqueret? Videbat vos regno ineptos, luxu effæminatos, bardos, blennos, stupidos: ideoque Iugurtham vobis adjunxit, eumque ut colatis, pro patriâ authoritate vos est cohortatus.

Illius merita vos respuistis, fidem fregistis, Jugurtham regio quodam fastu despexistis, spuriam prolem, illegitimum hæredem dixistis: denique vitæ ipsius apertas insidias struxistis. Nec satis hoc erat; populum ipsum exactionibus exacerbastis. Hinc illi in cædem Hiempsalis proruerunt. Quæso, quid mihi ista imputas, quæ ipsus in se sua crudelitate accersivit? non potest Numidiæ populus duriora imperia perferre, ideoque jure ipsum interfecit, quid verò Iugurthæ, miserias tuas imputas, in quas te ipsum devolvisti? Tu, exercitum contra ipsum comparasti, Tu hostili animo contra ipsum in aciem descendisti, Tu ipsum fortunis expellere, Regno mulctare voluisti; sed non siverunt Dii immortales hominem fortissimum & innocentissimum à turpi Atherbale profligari. Quis igitur ille est, qui Numidarum sanguinem effudit; Atherbal. quis Numidiam vastitate & incendio subvertit? Atherbal. Tibi popularium cædes, Tibi subditorum expilationes acceptæ sunt ferendæ. Iussus est Jugurtha, cui

Natura

Natura ferrum in manum dedit, ut se contra vim & injuriam defenderet.

Nolo ulterius fortissimi viri innocentiam P. C. protegere, ne & favori vestro videar diffidere, & causam per se æquissimam inutili verborum præsidio confirmare; multò enim màjor est Jugurtha sanctiorque multo quam ut virtus ipsius satis digno à me encomio deprædicari possit: ideoque præstat de illo hoc jam loco silere, quam parum de eo dicere. Vos P. C. defendite Virum, qui injustis malevolorum criminationibus in odium adductus est. Suscipite Eum defendendum, quem virtus sua invidiæ facibus consumendum objecit. Nolite sanctissimum Regem conculcare, vos qui apud Numantiam militiæ olim contubernium habuistis. Defendite commilitonem vestrum, vos qui nuper ipsi acclamastis, & laudatum pro Tribunali in honore habuistis. Eripite injuriæ adversariorum. Vos illum perire sinetis, qui ne leges vestræ & Resp: concideret, sui corporis periculo prævidit, qui totam ætatatem in bellis vestris contrivit; illum sententiis damnabitis? quem vestri Imperatores testimoniis cohonestarunt; quem laudibus in cœlum extulerunt; nonne hunc etiam P. C. vestra æquitas & fortitudo contra odium atque improbitatem malorum defendet?

DIXI.

ORATIO XII.

BEBII TRIBUNI I: L:

pro Iugurtha,

qui ipsius muneribus corruptus, publico bono privatam gratiam antefert.

habitâ à

JOANNE DIONISIO.

Harlemense:

MAgna est in imperitâ multitudine varietas, & inconstantia, P: C: crebra sententiarum commutatio, subiti animorum motus, qui sæpè momento, quo oriuntur, languescunt, & in nihilum recidunt. Quod modò probat, interposita exigui temporis mora, reprobat. Consiliumque, à quo Reipub: salutem dependere credebat, interveniente levi rumoris aurâ, tanquam noxium, pestiferumque damnat. Audies aliquem uno die eximia laude ornari, & prædicatione in cælum efferri. Eundem mox imbutis criminatione auribus, omni verborum contumelia deformari, fortunis suis expelli, exitio mulctari; gravissimis suppliciis affici volet. Quanto apud ipsam in honore fuit Lycurgus, cum ob leges salubriter excogitatas, ob vitæ summam sinceritatem, ob constantissimum erga Patriam amorem, Deorum numero aggregaretur? At quantò postea in odio, cum lapidibus peteretur, cum oculo privaretur, cum Patria exterminaretur! Quanto in pretio Theseus, quanto Solon! quibus encomiis celebrati, qua gloria honestati! At iidem, muta-

mutato plebis affectu, Patria expulsi, in externo solo humati sunt. Quibus plausibus, atque acclamationibus, quo concursu, quo studio hominum exceptus est Miltiades, postquam trecenta millia Persarum apud Marathonem, sex millibus? profligasset? Quo filius ipsius, Cimon, post erecta de Persis trophæa, Græciamque sua virtute, & consilio à brûtorum impetu liberatam Quibus laudum titulis decorata fuit Themistoclis virtus, post Salaminiam pugnam! Quam benigno populi favore usus Aristides, illud continentiæ eximium specimen? Qua fuit æstimatione Phocion, illud Justitiæ firmissimum columen? At eosdem paullò post, beneficiorum gratiâ destitutos, alios in vinculis, & carcere mori, alios è Patriâ discedere, alios in eculeo spiritum reddere coëgit. Nihil dico de nostri generis hominibus: Camillis, Scipionibus, Fabiis, quibus non istæ gratiæ sunt habitæ, quas sua virtute, rebusque gestis æternum promeruerant.

Eò minus miror, Jurgurtham Numidiæ Regem fortissimum, nostræque Reipub: studiosissimum, ab irata plebe omni verborum injuria lacerari: Cujus paullò ante propensissimum favorem expertus est. Quàm secundo rumore res ipsius apud Numantiam gestæ? quibus laudum encomiis virtus ejus celebrata! cum populus Romanus ex ore Scipionis præstitum Imperatori obsequium, pugnandique strenuitatem cognovisset? Quis tum Jugurtha fortior? quis populo Romano acceptior? Hanc virtutis æstimationem, meritorumque in Rempublicam memoriam levis transmarini rumoris aura abolere potest. Hunc plebis animum unius effæminati viri lachrymulæ immutare, affectumque exstinguere possunt.

Vos verò, P: Conscripti, non ex criminatione Atherbalis, aut plebis temerario affectu Jugurtham

tham æstimare debetis, sed eum ex testimonio Clarissimi Imperatoris ex rebus gestis, ex virtutis actione, repudiatâ levissimi vulgi opinione, de illo judicare debetis. Perperam igitur agetis, meo judicio, si bellum adversus Regem fortissimum, nostri amantissimum, virtutis cultorem eximium decreveritis.

Fateor, sanè, magnas in Numidico regno, à morte Micipsæ, enatas dissensiones, quæ in gravissima bella exundarunt, quibus regnum opulentissimum vastatum, ædificia diruta, multorum cædes factæ sunt. Ad has dissensiones componendas cum vos P. C. vocemini, ante omnia respicere debetis ad harum dissensionum causas: quis fax & caput horum motuum extiterit. Stultus Judex, qui fortuna devictorum partium misericordia commotus, superiorem damnat, quem necessitas gladium sumere coëgit. Causa horum motuum est ingeniorum, studiorumque in utroque Rege diversitas, quæ aliis aliud volentibus, primò quidem simultates, deinde bella aperta excitare solet. Atherbal luxui, & otio deditus: Jugurtha virtuti incumbit: omnesque horas perdi putat, quas non in honestarum rerum meditatione consumsit. Ille subditos favore tenebat: hic dando, sublevando gratiam sibi conciliat. Ille regio fastu diffluit: Hic modestus est. Ille generi & familiæ diffidere; Hic nobilitatem in virtute ponere, seque sumptum regni hæredem meliorem, quam genitum, pronunciare.

Hinc ortæ simultates, & denique bella. Atherbal, quia fastu regio efferebatur, Jugurtham primus invasit. Si hic Jugurtha fortiter se gessit, an est damnandus? Si fortis, ignavum devicit: vigilans, somniantem: sobrius ebrium: an hoc ipsi, culpæ dari debet? Vidisses in alterius castris greges voluptuariorum hominum, meretrices, to-

gatos,

gatos, onera militiæ, luxuriæ instrumenta. In alterius viros, & milites.

Et, licet, fortasse, exorbitasset, & ingenii impetu plusculum usus fuisset, vehementiusque injuriam illatam ultus esset, condonandum tamen aliquid ingeniis magnis. Adhæret semper aliquid vitii ingeniis præclaris. At illud connivendum est, nè tota vis supprimatur. Ob hanc maculam non tota res est abjicienda. Quemadmodum in magnis Regibus & Principibus, in Alexandro, in Themistocle, Alcibiade, magni quoque nævi, & errores fuerunt. Quis tamen illustria hæc nomina sæpè non excuset, à naturæ aliquo defectu, & grandibus aliquando vitiis, cum ipsa virtute sese permiscentibus.

Non temerè igitur irritari debet virtus Jugurthæ, quod in magnum Reipub: incommodum sic cadere posset. Hic edoctus militiam nostram, amicitiâ cum multis Romanis conjunctus est, qui nunquam hostiliter ipsum invadent. Hic peritissimus est artis militaris. Hic in fallaciis, in dolis exercitatus. Numidarum ingenia ad fallendum aptissima. Numidia procul à domo, plena solitudinibus, per quam gravi agmine incedere difficile. Totam denique in nos Africam converteremus. Una Carthago satis nobis multum molestiæ creat. Quid si tota Africa copias suas hostiles in nos commoveat?

An excidit nobis, quomodo Hannibal nuper Italiam vastaverit? quomodo penè has ipsas portas insederit? Eundem bellandi modum Jugurtha sequitur. Consilio, fortitudine, fortunâ, imperator strenuus, ac felix. Sunt quidem Romanis opes maximæ, exercitus firmissimi. Non deest consilium domi, forisque: Sed, ut in rebus humanis evenire solet, fortuna facilè favorem permutare potest.

Quid

Quid verò alienis negotiis nos immiſceamus? Noſtra primum curemus, ut domi foriſque ſecuri ſimus. Aliis permittamus ſua precemurque cum Scipione, ut illa, quæ nunc poſſidemus, feliciter ad poſteros noſtros tranſmittamus. Quid noſtrâ refert, quis Numidiæ regnum teneat? Modò Romana Reſpublica ſit ſalva. Propria ſunt inprimis chara habenda: deinde in aliena inquirendum. Nunc Vir militiâ & annis exercitatiſſimus, Jugurtha, in aperto eſt. Hoc uti nunc poſſumus glorioſis inceptis ac auſpiciis. Hic Romano imperio pro munimento erit, barbariſque Africæ gentibus montes aggereſque opponet. Atherbal Homo imbellis eſt, nullis caſtris & milite qui robur ſibi comparavit. Qui nec modò nobis eſt inutilis ac contemptui. Vix ſe ipſum tueri ac defendere poteſt, ad nullam prorſus rem, & facinus præclarè inſtituendùm idoneus. Quare permittite illos inter ſe digladiari, factiones alere, Remp. peſſimis conſiliis in interitum adducere. Nos tantò tutiores erimus, majoremque ſibi autoritatem P. Romanus acquiret. Externis gentibus noſtram opem & præſidium implorantibus.

Nolite, igitur, P: C: bellum Jugurthæ inferre. Ille illatam injuriam reppulit, ſuumque decus, ac honorem defendit. Ille in Romanos beneficia contulit quam maxima. Illius virtus, & facinora egregia luce meridianâ ſunt clariora. Ipſo teſtimonio Scipionis, ac judicio Micipſæ, quod patet. Quid verò in Rempublicam Romanam contulit, Atherbal? ubi illius res geſtæ tam illuſtres, ac in ore omni populo? Hic, certè, qui virtute ſuccumbit, toto Cælo aliorum meritis, rebuſque geſtis eſt inferior. Nonne juſſus eſt Atherbal à Micipſâ Patre Jugurtham venerari? illum amore & affectu proſequi? illi ſe totum ex fide atque amicitia adjungere? cur ille ad regni ſocietatem admittere

admittere hunc noluit? adeô, ut ſpreto illius juſſu & monitu, bellum ipſi graviſſimū intulerit. Quicumque ſuâ pravitate, & culpâ eſt infelix; ille non in alterius vitæ integritatem turpi flagitio, ac facinore graſſari debet.

DIXI.

PRECES.

Dixit Tribunus Plebis, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Doctiſſimi. D: Auditores.

NUnc mutatâ perſonâ, in Theologū me converto: *Deumque Æternum & Immortalem in Cælis, precor, ut diu terrâ marique Principem Belgarum Populum in pace & libertate conſervare, velit. Nobis in hâc urbe inclytâ cuncta proſpera, cuncta felicia largiri; Gymnaſio huic illuſtri porrò Divinis ſuis dotibus benedicere; Ut inde, tanquam ex equo Trojano innumeri prodeant Adoleſcentes, qui aliquando Rempublicam hanc ſuis conſiliis, & prudentiâ ſapienter regere poſſint. Ut denique Vobis, Nobiliſſimi Domini Conſules: Vobis, Ampliſſimi Doctiſſimi Domini ſenatores: Prudentiſſimi, Doctiſſimi Domini Scholarchæ. Vobis Reverendi, Clariſſimi Domini, Paſtores; Vobis, Præceptores amantiſſimi, per Divinam gratiam, & benevolentiam omnia ſemper fortunata ac ſalutaria, pro ſpe, & expectatione veſtra eveniant!*

DIXI.

Hæ tres antecedentes Orationes habitæ Alemariæ Examine Autumnati cIↄ. Iↄcℓxii. xx. Sept.

ORA-

ORATIO XIII.

MEMMII contra IUGURTHAM.

Qui fautores Regis culpat. ambitionem & avaritiam reprehendit. Bellum contra illum suadet.

Habita à

JOHANNE DIONYSIO,

Harlemensi.

ETsi sciam, Quirites, quàm grave odium factiosorum Hominum in me derivaturus sim, si vos ad coërcendam improborum audaciam incitavero: Studium tamen Reip. & patriæ amor me impellit, ipsorum Furori & sceleri obviam ire; Libertatem nostram contra malevorum dominationem defendere. Video animum vobis ita ab ignaviâ & socordiâ corruptum esse, ut mala, quæ vobis impendent, non capiatis; eosque timeatis, quibus vos terrori esse debebatis. Hinc improborum furor in singulos dies accrescit; Legum authoritas concidit; Libertas opprimitur; Superbia, Avaritia, Ambitio dominantur Fuerunt fortes aliquot Viri, qui malis hisce medicinam adferre voluerunt; vosque hortati sunt, ut adversus publicæ salutis eversores exsurgeretis, nec ferretis Remp. paucorum furore & scelere subverti. Vos verò, tanquam torpore aliquo & veterno consopiti, otiosi in præclaro opere spectatores sedistis. Imò, hostes vestros honore gloriaque extulistis; defensores publicæ incolumitatis, in vestro conspectu, fœdè ac inultè perire sustinuistis. Hoc virtutis præmium, similemque fortunam

cum

cum & ipsus ego exspectem, privatam tamen utilitatem publico commodo anteferre nolui. Boni enim civis est, nullo odio malorum, nullo periculo deterreri à Reipublicæ defensione. Suscipiam odium improborum; profitebor me ducem isti bello, atque omni conatu contra ipsorum furores Remp. defendam.

Quare, si communem salutem, Quirites, sartam tectamque habere unquam cupitis; si populi Principis authoritatem defendi, Iugurtha Rex igne ferroque est prosequendus. Et factiosorum civium audacia, avaritia, ambitio omnibus modis comprimenda ac punienda est.

Olim in hac Republica, quod dolendum est, multò sanctius, multoque religiosius Majores nostri vixerunt. Qui omni ope & vigilantia id unum fortiter ac gloriosè instituerunt, ut bonis legibus authoritate sua stabilita, adversum vitia & mores improbos acerrimè dimicarent. Nunc verò in peius cuncta se inclinant. Ut vix, prô pudor! ulla nobis vestigia relinquantur Majorum istius gloriæ: Quos, tanquam de cælo demissos Tutelares Deos meritò vetustas omnis venerabitur. Pro animi continentia, pro temperantia, pro virtutibus illo ævo & populo principe dignis, nunc, ...quam, pessima vitia & flagiter inter cives grassantur. Alius sordidam avaritiam cum turpi fænore exercet; alius fædâ ambitione & superbia ...pra æquales se extollit. Ut paucissimos, hoc ...mpore, pudeat; quod publicas res & rationes ...nturbent; quod corrupti muneribus, largitiobus, sacra & profana promiscuè habeant. Res ...ciorum, tanquam hostium spolia & rapinas fæ... deripiant: quos ab omni læsione ac contume... fas est defendere. Hisce sceleribus & flagitiis ...rimis Iugurtha Rex fuit obnoxius. Quo uno ...no unquam in terris improbior, magisque im-

perium

periumRomanum hostis oppugnavit. Cui hoc proprium ac usitatum fuit, ut Æraria, quæ sunt anima & nervus civitatis, per malas artes exhauriret; ut bonorum civium fortunas imminueret; hoc unum sedulô ageret, ut foro & Tribunalibus sua ruina & vastitas properaretur. Iustitia, Æquitate, Virtutibus Majorum, velut publico quodam incendio, penitus de medio sublatis. Alio animi proposito, quam prisci illi in Rep. nostrâ Cives: quorum sola studia atque gloria erat ut de virtute invicem certamina haberent, & secundum Honesti normam vitam instituentes, se mutuò ad fortitudinem; ad Patriæ salutem defendendam; ad Modestiam & Probitatem exhortarentur ad sacra denique & Religionem sanctissimis Officiis conservandam acriter se impellerent. Quales, Illustres illæ Animæ, Quintii, Curii, Fabricii extiterunt. Qui dona à Regibus ad se missa magnis animis repudiantes, vitam suam in gloriosa istius ævi paupertate traduxerunt. Magisque se beatos esse prædicarunt, si, ex solius naturæ desiderio, aquâ & pane contenti viverent, quàm si corporis servitio ac libidinibus paterent. Cum quibus hominibus quando horum temporum turpitudinem ac molitiones conferimus, immane quantum res humanæ in deteriorem partem sunt immutatæ. Illi, Proavi nostri, in omni re honestâ laudem ponere; cum finitimis pacem colere, domi forisque probitatem, & egregias animi dotes exercere. Illi, sine metu, hostem ad arma provocare; periculis procellisque omnibus obviam ire; suum sanguinem, corporisque salutem Patriæ bono impendere. Tunc demum de Sociorum Civiumque fortunis præclarè meriti, quando, suis rebus neglectis, ne quidem animam ipsam communi securitati præferrent. Hi verò, quos Jugurtha sibi similes habet, posthabita omni Religione,

one, fide, concordiâ, sic se in omne scelus
t præcipites, ut Majorum virtuti & rebus egre-
gestis veluti bellum ac odiũ indixisse videan-
In eo dominationẽ & imperium collocantes,
ndo, aliorum jugulis crudelissimè insultantes
per fas & nefas ad Honores & Dignitates eve-
tur, solâ Ambitione, quâ optima quæque
abi videmus, facti potentiores. Diurnis no-
nisque laboribus id unum agentes, ut turpiter
isando, emendicando, largitionibus, con-
is animos aliorum ad se trahant. Et,
s virtute, industriâ parare non possunt,
robis artibus ac lenociniis figmentisque ver-
um propitios sibi reddant. Nihil ex illis pha-
s fucoque intermittentes, quibus ad illam rem
turpitudinem impudentissimi homines festi-
e solebant. Et, quando privatis suis studiis pa-
a ad spes suas augendas promovendasque pro-
te se vident, ad aperta arma & bellum itur.
Civile id fuerit, sine ullo jure ac lege; sive
ili animo odiisque nefariis suscipiendum.
os barbaros vivendi ritus, si nunc majores
rum ante oculos suos viderent, vah! quàm il-
es illi viri Nepotum suorum facta detestaren-
quàm deplorandam, quàm miseriam Remp.
e nostram judicarent! in quâ illi olim tàm for-
sua consilia ac sudores adhibuerunt, ne quid
imenti caperet. Quamque ex ipsis inimico-
faucibus ereptam ad summi honoris fastigium
erant. Nos vero Quirites, nos impiissima
im studia, improbasque vexationes, æquis
nis perferemus? nos Jugurthæ, sociorumque
s plusquam tartaream audaciam atque pestem,
nperii nostri finibus, latius grassari sinemus?
permittit hoc nobis nostri Generis Gentis-
sanctissima memoria. Quæ, quantum in no-
st, sine ullâ labe & maculâ, pura integraque
consex-

conservari debet. Nec minus, hac nostrâ ætate, in pessimos hominum mores ac facinorosos cives animadvertendum, quàm quondam in Urbe hac æternâ, sanctissimoque orbis domicilio, nostri avi proavique laudabiliter facere consueverunt. Cum ea virtus ac potentia penes optimum quemque erat, ut non minus civem improbum, quàm hostem infestum ac apertum pœnis coërcerent. Nullum enim majus periculum esse potest, quàm si quis patriam suam, laresque proprios, in quibus vitalem hanc auram aliquando accepit, igne ferroque prosequatur. In quo solo natali infantia nostra vagiit, pueritia lusit, adolescentia se exercuit. Sempiternam illi gratiam, honores, statuasque merentur, qui magnam suam matrem, in quâ quondam lac illud sanctum suxerunt, debito amore prosequuntur. Qui vitas & fortunam suorum civium omni ope & consilio, tam pacis, quàm belli tempore, constantissimè juvant, protegunt defendunt. Quales, Fortunatis illis temporibus, in hac Rep: fortissimi viri exstiterunt, qui vitam suam & sanguinem, pro patriæ salute, summo cum applausu profuderunt. Et in hoc solo verè beatos sese existimarunt, quando, ad communem Libertatem nati educatique, quacunque ratione Patriæ suæ utiles esse possent. At verò cum illâ nefariâ pessimorum hominum multitudine; cum Catilinis, cum Cethegis, Antoniis, Manliis, quis ille Sanctus & Sapiens Arpinas, Consul intrepidus, qui cum ejusmodi Cerdonibus iisdem Civitatis mœnibus atque parietibus concludi se denique patiatur? Quis ante oculos suos videre posset naturæ hæc potenta, monstra operosæ educationis? quibus nos ipsi, quibus Liberi, Conjugesque nostræ jam dudum invisi damnatique sumus. Secedamus, cum Majoribus nostris, aliquò terrarum; vel in ipsum Aventinum montem,

ntem, ut ab illorum ſaltem conſpectu, pro
npore, liberati ſimus. Non ſervi, puto, non
ncipia & ergaſtula ipſa horum injuſta impe-
& dominationem tolerare poſſent. Ingenuus
, nobiliſque Romuli ſanguis hæc in oculis
auribuſque unquam inultus perferre queat?
empora, O mores! Exterminanda ſunt à
ium ſocietate tam improba capita. Ejicien-
in ultimas terrarum oras, ne aërem hunc no-
m, haſce ſacras Capitolii ſedes ſuâ peſte ac
eno inficiant. A parte noſtrâ ſanctiſſimi
it mores, Probitas, Fides. Ab illorum ani-
auſpiciiſque nulla abeſt turpitudinum nota
amis. Quare nec vita ipſa, quâ fruimur,
ra nobis eſſe poteſt, quamdiu cum perditis
ac depravatis hominum moribus, eodem
itatis jure victuque continemur. Mea eſt ſen-
ia, Quirites, ut Atherbalem, Micipſæ ne-
m ſanctiſſimo jure ac religione defendatis.
urtham verò, belluam hanc immanem, pe-
que nefariam, extra anni ſoliſque vias, ad
lices damnatorum inſulas relegetis, ne qua
i Tyranni immanitas in hoc orbe noſtro
lius exiſtat; aut quemquam ſuorum delectare
unquam poſſit.

DIXI.

ORATIO XIV.

MEMMI, *Contra Jugurtham, Personæ Continuatio.*

Habita à

JOHANNE à NYEN-BURCH,

Alcm.

Quid eſt, Quirites, quod tam lentis conſiliis ſuppliciiſque contra nefarium hunc hoſtem, Jugurtham, proceditis? Quod non in ſcelera perfidiamque ejus acrius, alacriuſque advigilatis? quod non everſorem Libertatis, defenſorem improbæ multitudinis tandem communi ſociorum manu oppugnatis, profligatis? Qui ſi porrò ingenii ſui virus ac venenum in vulgi animos aureſque credulas diſpergat, metuendum eſt, ne latius id malum brevi proſerpens, proxima quæque contactu ſuo comprehendat, talemque in Rep. hac noſtrâ flammam propediem accendat, unde ad plures, & nondum infecta ab hoc veneno pectora, hoc malum infeliciſſimè ſe diffundat. Periculum in morâ eſt. Nec locus aut ſpatium illi concedendum, quo illam tam immanem vim & flagitia ad perfectionem perducere poſſit. Neminem enim bonorum civium hoc latet, quibus ille artibus, quibus fallaciis innocentes circumveniat. Quâ dexteritate & fiduciâ rerum ſuarum communem imperii pacem conturbet. Idque unum omnibus cum animi tum corporis viribus aſſiduè agat, ut Rempublicam Romanam ad ſummæ egeſtatis terminos ac miſeriam detrudat. Qui ne id quidem animo ſuo tolerare poteſt,

test, ut virtutis vestræ fama per finitimas natio-
s populosque gloriosè concelebretur. Igitur
primum civium saluti nervos animumque inci-
t, atque avaritiam suam frequentibus spoliis &
pinis valeat implere, ad opes & divitias conge-
ndas summo studio sceleribusque contendit.
nc demum supra ipsam fortunam adscendisse
ratus, nihilque suo furori resistere posse cre-
ns, quod à spe & fastigio Honorum ingentem
ius exspectationem amovere possit. Didicerat
im, ab omni ævo, Sceleratissimus Iugurtha,
antum potentiæ ac virium habeat una, in cumu-
s suos congesta, Pecunia. Quæ perrumpere amat
a durissima, & per medios armatosque ire sa-
lites, ictu fulmineo potentior. Hisce armis at-
e telis, Quirites, vos ille ex inopinato Homo
lidissimus est aggressurus. Perque civium ve-
orum cadavera, ni obviam huic monstro ma-
è eatis, superbè victorem se attollet. Quò enim
isque potentior est, eò plus nocere imparatis
test. Omnisque occasio, cum ingenio & viri-
s studiosè inquiritur, quâ populum discordiâ
inimicitiis committat. Quæque paratâ Rep.
equi non potest, illa hac conturbata facilè se
equuturum sperat. Illò jam opum suarum ma-
itudine productus, ut quemcunque volet, au-
s illis machinis, hastisque argentatis expugnet.
arum tinnitum & splendorem pluris sæpè vul-
facit improbitas, quàm omnes in bello atque
e districtos mucrones. Cavete, Quirites, cave-
vobis ab impio hoc Rege parricida: nec illum
mittite, in venas & viscera vestri imperii tam
is habenis, spatiisque grassari. Hic ipsa Æra-
Reip., censumque Populi Romani flagrantis-
o desiderio inhiat. Opes civium, fortunasque
nes intra dentes suos conclusas cupiat. Quem
invalescere, majore audacia sibi sumpta, per-
 mittatis

mittatis, periculum eſt, ne communi quodam incendio, ad ruinam & deſperationem prolapſi, ſerò, de re noſtra amiſſa doleamus ac conqueramur. Nondum vis noſtra ac potentia ex toto eſt fracta; Nondum animi bonorum Civium deſperatione torpeſcunt. Domi foriſque arma militis ſunt ſtrenui: quibus aggredi Perduellem hunc liceat. Nolite præſentem occaſionem de manibus veſtris turpiter facere elabi. Eo adhuc loco res noſtræ poſitæ, ut nec extimeſcere hunc hoſtem debeamus, nec de Reip. ſalute, quæ ut minus proſpera nobis ſuccedat, malè unquam ominari. Alacri animo, Quirites, bellum nobis eſt ſuſcipiendum. Standum in procinctu & acie, ne imparatos nos inveniat atque obruat. Olim contra publicam vim inimicorum, contra clandeſtinum proditorem feliciter arma noſtra expedivimus. Conjuratorum manum & exercitus extra vallum & mænia projecimus; alios in longinquas regiones & exitium abire fecimus. Urbem & Capitolium Jovis Opt. Maximi ab exteris & domeſticis latronibus invictam & intactam conſervavimus. Nunc novus ad portam eſt Hannibal qui omni ſtudio vigilantiaque unum hoc molitur, ut pacem noſtram turbet; ut ſeditiones ac diſcordiam ferat; Cives, adverſus Senatum, armis odiiſque impellat. Ne ſinite, Quirites, defenſionem hanc veſtram & authoritatis aciem hebeſcere. Majorum veſtrorum virtus & res glorioſè geſtæ ad priſtinam laudem decuſque vos excitent ac cohortentur. Reſurgent, ſpero, ab Inferis Bellorum nova fulmina, *Scipiadæ, Catones, Marcelli, Fabii, Pompeii:* qui immaniſſimo huic Tyranno caſtra ſua & aciem opponent. Remque Romanam publicam à vi & contumeliâ Sociorum promptiſſimis manibus defendent. Quibus omnes nos ludibrio eſſemus, principiſque Populi nomen

omen in contemptum adduceremus, si non hoc
æsertium tempore, pristino nos robore fortis-
mos viros ostenderemus. Non patitur Senatus
thoritas bellum hoc diutius differri; non Ci-
um salus, non legum sanctitas; non denique
istinæ disciplinæ morisque majorum integritas.
m proprium Romano id nomini semper fue-
, ut afflictis succurrerent, ut opem & auxilia
digentibus præstarent, sociosque suos fido lare
otegerent. Quæ una res ad omnia maxima sum-
m illis honorem apud posteros constituit. Ju-
rthæ verò scelus in periculosam magnitudinem
dudum jam extulit. Ut nulli extra Romanum
bem Regi Principique id jure factum videri
ssit, si non totis exercitibus; si non igne fer-
que tanta in Remp. injuria vindicetur; Ather-
lis probitas, innocentia, calamitas defenda-
r; Massinissæ denique beneficia virtutésque per
opuli Romani ingratitudinem nulla unquam
livione silentioque obliterentur. Cujus Par-
cidæ improbissimi pænas & supplicia si non ma-
rè satis ad manum sumpserimus, id imprimis
: metuendum, ne finitimarum gentium ac na-
onum odia meritò in nos & posteros nostros
ovocemus. Qui, hac in communem hostem
npunitate conspectâ, suis quoque auxiliis, soli
que benevolentiâ, qua illi prosequi nos sole-
nt, amicitiam Populi Romani destituent. Nul-
m nobis imposterum fidem habituri, si non
norem affectumque in patriam, in propinquos,
amicos sociosque imperii sanctissimè probe-
s; pænas vero & supplitia in hostem nostrum
rbissimè exerceamus.

DIXI.

ORATIO XV.

CONSUL ROMANUS.

Qui Jugurtham Hostem pronunciat: Puniendos maleficos docet: adversus Avaritiam & Ambitionem Leges sanciendas monet.

Habita ab

EDOARDO NEUHUSIO. R. F.

Alcmariano.

QUod felix faustumque sit vobis, Quirites, Reique Publicæ salutare, velitis, jubeatis, ut Jugurtha Numidiæ Rex, Hostis Reipublicæ judicetur. Idque maturè ut fiat, viri de Rep. meritissimi tacitè exoptant. Sic Senatus decrevit; Huc optimus quisque civium voto & precibus contendit. Vestra, Quirites, voluntas ad hoc sola desideratur. Quam ut cum Patribus conjungatis, imperii nostri Majestas & salus, Hominisque nequissimi scelus, temporumque ratio ac necessitas nunc postulant. Scelera enim quò majora sunt, hoc acrius in illorum vindictam & pœnas est vigilandum. Hoc enim uno Jugurthâ authore, tanta tamque immania in hac Rep. nostra facinora improba existunt, ut nullius linguæ facundia, ad illorum turpitudinem enarrandam sufficere unquam possit. Multa Collegæ mei proximo anno de ingenio hujus parricidæ verba fecerunt. Etiam mihi hoc loco dicturo infinita ad illam rem argumenta supersunt. Quid enim in hujusmodi Hominem aut dici, aut cogitari satis unquam copiosè potest? Quem non puduit fraterno sanguine manus suas commaculare, legitimos

nos hæredes, Liberos regios occidere, regno-
e ejicere. Illos ipsos, quorum beneficentiâ ad
nores pervenerat, inauditâ contumelia & in-
riis afficere. In hoc inprimis terræ angulo san-
issimo; in hac legum disciplinâ; his Majorum
ostrorum factis & meritis immortalibus. A-
orum vitia & improbitas sæpe in partes eunt:
ic unus cuncta mala flagitiaque pariter com-
isit: à quo nullum facinus, nulla turpitudo, Li-
do, qua pissimus quisque bonis odio esse possit,
nquam abfuit. Ingenio & corpore juxta depra-
atus ac perditus. Quasi communi Fatorum suf-
agio ad omnem & Hominum & Deorum inju-
am ac vexationem infeliciter sit conservatus.
eges nostros ac imperia pro nihilo qui duxit;
op. Romani jussa & authoritatem qui contemp-
, Legatis qui illusit. Hanc denique Urbem,
ui sceleris sui prædam & rapinam destinavit.
uousque tandem, Jugurtha Rex, abutere patien-
â nostrâ? quamdiu nos furor ille tuus illudet?
ihil te movet hoc sanctissimi orbis consilium?
ihil magistratus authoritas? nihil populi princi-
s ac comitiorum potentia, majestas? Aliorum
elera justissimis semper pœnis prosequuti su-
us. At Tu, qui unus omnium pessimorum Ho-
inum & Princeps & Antesignanus es, impu-
hæc feres? Vide, quo jure, quibus olim hi à
obis sint mulctati, qui malis artibus Remp. no-
am sunt aggressi. Nullus eorum judicia, tor-
enta, quæstiones, aut violentas carnificum ma-
s effugit, *Gracchos* ipsos, quando tyrannidem
ditionesque affectarent, nos laudabiliter ad pœ-
s & supplicia deduximus. *Tarquinios* exege-
nt Brutus & Collatinus. *Romulum*, tantum
egem, ac au horem hujus Gentis, cum crudeli-
agere inciperet, nonne illum in senatu Patres
scerpserunt? Sic apud Athenienses *Thrasybuli*

 virtute

virtute triginta Tyranni sunt oppressi. Sic *Archias* à Pelopida; sic *Alexander Pheraus*, *Nicocles*, *Sicyonius*, *Dionysius*, pluresque alii, quando in cives suos deliquerant, justissima supplicia sunt passi. Nos verò pro jure ac legibus in Te refrænando parum diligentes erimus?

Disce porrò, quibus odiis fœda tua Ambitio, & insana Honorum cupido sit obnoxia. Quas pœnas mereatur tua insignis Avaritia. Quâ severitate vindicari in te debeant improbissimæ tuæ in patriam molitiones. Quasi tu unus nescias, Magistratum in illos tantùm conferri debere, qui, procul ab ambitione sunt remoti, ac verâ virtute nituntur. Jamque dudum latas à nobis esse leges de ambitu coërcendo; Legem *Petiliam*, *Cinciam*, *Calphurniam*, *Marianam*, *Æmyliam*: quibus innatam huic sæculo malitiam comprimeremus. Igitur ut malum hoc, velut objectis aggeribus, quam primum averruncaretur, statuit olim *M. Cato*, ut qui Magistratus designati, q. nquam accusatorem haberent nullum, tamen juramento assseverarent, se non muneribus, aut largitionibus ad honores & officia pervenisse. Et *Publius Scipio Nasica*, cum ille Censor factus, omnes statuas, per ambitionem in foro erectas, fortiter sustulit. *Quintus* autem *Ceponius*, quod vini amphoram ei, cujus suffragio magistratum petebat, dono dederat, mox ambitus condemnatus, acerbè pœnas dedit. Quid verò, an indignum sit, Jugurtha, tuam quoque malevolentiam, tuum scelus iisdem pœnis legibusque inhiberi?

Immanē deniq; avaritiam tuam quâ veri, quâ honesti specie pallioque tegere Tu potes: quando nostram in illâ profligandâ curam & vigilantiam animadvertis? Docet Historia, quod illi ipsi, qui in Provinciis avarè ac crudeliter se gessissent, juxta Legem Juliam, Capitis pœna sint affecti.

Quod

Quod *Scipio Asiaticus*, postquam Antiochum devicisset, Asiam imperio Populi Romani adjecisset, in carcerem & catenas sit abductus, quando à Chiis & Rhodiis peculatus esset accusatus. Quod *Lucius Posthumius*, quia militum suorum operâ in suo agro colendo fuisset usus, tanquam criminis reus, sit condemnatus. Quod *Athenienses* quoque Timagoram, quia legatus ad Artaxerxem missus, munera sumpsisset, mortis supplicio affecerint. Alia virtutum trophæa in posterorum animis erigere decet. Cum *Cn. Fabricio*, misso ad Pyrrhum legato, dum aurum & regnum offertur, hostium dona sunt repudianda. Cum *M. Curio Dentato*, præda ex victoriis parta in militem dividenda. Cum *Lucio Cincinnato Dictatore*, defensa jam patriâ, belloque sopito, ad stivam & aratrum redeundum. Tu autem, Jugurtha, sine metu, sine aliquâ pœnæ formidine hæc cuncta liberè admittes? rem Sociorum immani tuâ avaritiâ depasces, absumes? Ubi, ubi nos denique gentium nunc vivimus, quod non in nervum te abducimus, &, more majorum, meritas de te pœnas exigimus? Tibi uni permissum erit legatum Romanum injuriis afficere: cum in eo virtus nostra potissimum semper eluxerit, ut missos ad nos fæderum Ministros & Caducatores, velut sanctos ac inviolatos haberemus? Quod docet suo exemplo *Lucius Munacius*, qui, Romanis legatis à Corinthiis lotio aliquando adsparsis, illorum urbem, parato ingenti exercitu, solo adæquavit. Et *Alexander Macedo*, qui suis legatis à Tyriis in pelagus præcipitatis, ut iracundiam suam leniret, illos arctissimè obsedit, crudeliterque expugnavit. *Senatus* quoque *Romanus* in eam rem locuples est testis. Qui *Quintum Fabium*, & *Lucium Manlium*, quod legatos Carthaginensium pulsassent, per fecialem, ut sup-

plicium de illis sumeretur, Carthaginem misit. Prætereo, Jugurtha, reliquas vitæ tuæ contaminatæ sordes, quibus usque à puero, & primis unguiculis fuisti obnoxius. Quem, credo, cum in cunis & cunabulis ad huc ageres, sinistrum Saturni sidus de calo oculis suis adspexit.

Quare, ò Regum omnium improbissime, & Divino & humano jure ad hoc exstimulatus, Consul Romanus Bellum tibi indico. Bellum, post hominum memoriam atrox & horrendum. Et cum aliquando, Diis propitiis, sub jugū te nostrum miserimus, non unâ simplicique morte scelus tuum vindicabimus. Audiet ultimus orbis, quam Romana virtus in patriæ proditorem pulcherrimum pœnæ exemplum statuerit. Ne unquam frustra Tu tantum scelus designasse videare in nobiles atque innocuos Masinissæ Nepotes. Quippe boni Principis officium est, socios defendere, miseris & afflictis opē auxiliumq; præbere; domi concordiam, foris metum & formidinem circumferre; à perfidiâ & crudelitate animum longè habere alienum ac remotum; sed amore, beneficiis, liberalitate non minus exteras gentes, quam suos sibi subditos devinctos habere. Bonus inquam, PRINCEPS, imago & umbra est Deorum Cælestina: quem in omni negotio & facto honesto imitari debemus. Qui, velut fatali atque occultâ quadam naturæ vi civium suorum animos ad sui amorem & exemplum trahit. Ab hac Regum Principumque divinâ virtute atque ingenio cum longissimè tu absis, Iugurtha, age, Populi Romani infestas nunc in te Aquilas exspecta. Et, qui aliorum hactenus fortunis opibusque tanquam prædo & raptor crudelissimus inhiasti, inposterum durissima Populi Romani imperia, æternasque iras & odia accipe. DIXI.

Finis Historiæ Jugurthinæ.

Ha

Hæ antecedentes tres habitæ Alcmariæ CIↃ. IↃCLXIII. *Examine vernali.*

ORATIO XVI.

De Præstantiâ & Difficultate Studiorum.

Habita à

LUCA POSTHUMO *Alcmariano.*

Nobilissimi, Amplissimi DD. CONSULES, Clariss. Doctiss. Rev. DD. SCHOLARCHÆ, AUDITORES HUMANISSIMI.

QUando, post publicè habitum Gymnasii nostri examen, cum divite ac frugifero hoc Autumno, etiam aliquot Condiscipulorum nostrorum studia & labores feliciter maturescere contingat, non alienum à re & Pallade nostra esse videtur, dignam quoque ipsis Spartam & honores gratulari. Ut, hoc industriæ suæ testimonio magis inflammati, generosos animos spiritusque, in illo, quo macti nunc decurrunt, pulvere sibi assumant. Et illi, qui nondum ad sacros hosce Termini limites pervenerunt, ingenii quoque sudore sic pergant, gradumque promoveant. Quo pulchro plausu & acclamatione ad decus & laudem excitati, augustiore imposterum successu fortunas suas illustrent. Nam ad optimum quemque gloriæ stimulis impellendum, magnas in se habet vires honesta ambitio. Quæ adeo in Adolescentum animis altè radices agit, ut non inde, nisi cum morte ipsâ, facilè avelli possit. Animus igitur est, H H. A A. hoc tempore, de VERA ERUDITIONE vobiscum disserere. Ad quam acquirendam, certè, non nisi assiduis asperisque la-

boribus est opus. Quoque hæc est major magisque inaccessa, eo etiam gravioribus undiquaque periculis est obsessa. Meum nunc pensum est de *Literarum præstantiâ, earumque difficultate*, hoc loco, verba facere. Cupiam ex animo quotquot adestis, VIRI LITERATI, ut me & Collegas meos benigna vestrâ attentione, auribus animisque acribus, prosequamini.

VERÆ ERUDITIONIS præstantia, quam apud ingenuos in Repub. Viros laudem mereatur, omnis ætas, hominumque memoria abundè testari potest. Quæ una si è regno aliquo, aut civitate turpiter ejiciatur, nec in debitâ existimatione ac reverentiâ habeatur, jam pridem optima quæque in ruinam suam & perniciem prolabi necesse est. Actum tunc de felicitate humana; de florentissimis regnorum successibus, actum inquam, & conclamatum est. Tolluntur bonæ leges, & Justitia de Tribunalibus, abeunt de foro & Comitiis fas, fides, probitas. Languet in templis & Ecclesiâ pietas, sanctitas, salus ipsa. Fugiunt Gymnasia, & Academiæ: quas merus torpor & barbaries mox occupat. Ubique locorum, sublatis de medio sapientiæ illis Magistris ac Mysteriis, nihil nobis reliquum est, quam vanitas, quam vastitas, quam rudes & indigesta quædam moles. Verbo dicam, Chaos Antiquum, meræque tenebræ, & nox alta. Quod non ignorabat, divinissimus Plato, cum Græco hæc ore diceret: ὅταν βούληται θεὸς εὖ πράξαι πόλιν ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐνεποίησεν. Ὅταν δὲ μέλλει κακῶς πρᾶξαι πόλιν, ἐξεῖλε τοὺς ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ὁ θεός.

Quàm felix, iterumque felix ista est Respublica, in quâ Reges philosophantur, aut Philosophi sunt Reges! ubi bonorum artium scientia semper

primas

primas tenet, nec Consilia nisi à solis sapientibus in senatu accipiuntur. Nec, ad vulgi, ut solet, morem, suffragia temerè numerantur, sed consulto & cum ratione ponderantur. Ubi solis virtutibus patet locus, nullus vitiis. Ubi nostram Pallada non turpis mendicitas, non egestas, non esuritio, sed honor, sed Equestris Dignitas, sed ostrum & purpura comitantur. Hac felicitate & Fortunâ rerum, per Optimi Maximi DEI gratiam & benignitatem, nobis etiamnum in Belgio hoc nostro perfrui licet. In quo Viri prudentes, et' erudita pietas nondum suis honoribus atque præmiis destituuntur. Quæ sola est ratio, quod extra anni siderumque spatia, tam benè generoseque nos Batavi audiamus. Qui, Togâ & Armis inclyti, famam nostri Nominis cum ipsis Cœli regionibus determinamus. Vera Eruditio quippe una est sacra Anchora, quâ omniū Regum regnorumque felicitas firmissimè subsistit: quâ singulæ virtutes, ut earum quædam perfectio existat, quasi ad numeros & in ordinem suum coëunt. De cujus Dignitate, usu, Præstantia, Necessitate, si hoc loco, non perfunctorie dicendum mihi foret, fateor, & temporum augustia facilè excluderer, & Vobis, mei Commilitones, vix aliquam dicendi materiam relinquerem. Græci & Romani, quorum facta & fama per literas immortalitati jam dudum sunt consecrata, in hoc imprimis argumento, de Doctrinarum laudibus dicturi, maximè excelluerunt. Qua de causa *Socrates* pulcherrimū in terris animal, Hominem doctrina excultum judicavit. *Plato* doctos ab indoctis tantum differre dixit, quantum medici ab ægrotis. Et tanta discendi cupiditatè fertur fuisse *Solon*, ut multò felicius moriturum se dixerit, quando ab adstantibus ad fatale m lectum amicis, extrema etiam vitæ hora, aliquid addiscere illi licuisset.

 cuisset.

cuisset. Tanta quoque ejus amore flagravit *Diogenes*, ut hominem indoctum onus terræ gravissimum dixerit. O verè candidæ Musarum fores! quas meritò soli hi cupiant intrare, quibus,

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Sapientem enim esse literisque humanioribus egregie imbutum, cum Cœlestibus Diis ex pari est vivere. Quod cum perspectum exploratumque sibi haberent *Mytelenenses*, quos gravissimo supplicio afficere volebant, illis literarum usum adimebant. Et *Apostata Julianus*, qui ut facilius subjugaret Christianos, Philosophiæ illos exercitio privavit. Hæc doctrinarum amœnitas ita sæpè multorum animos in se pertraxit, tacita quadam vi ac voluptate sensuum suorum, ut illi plus quam Herculeo labore ad hæc studiorum præcipitia sese contulerint. Quemadmodum pulchrè id videre licet in *Phil. Chrysippo*, qui jam jam fame & inedia periisset, si non Melissa uxor, Viro, rerum meditationi altissimè defixo, cibum in os ingessisset. In *Cleanthe*, qui solidas noctes in hauriendis aquis impendit, ut diem sapientiæ studiis destinaret, haberetque unde Præceptoribus suis mercedem persolveret. Nec minus in *Diogene*, qui ab institutione Antisthenis nullo modo removeri potuit. Verbera, inquit, quantum potes, nullum tamen baculum reperies tam durum, quo, à te modò aliquid didicero, averres. Credo, sacram hanc opinionem illustres istæ animæ ab ipsis Diis superis imbiberunt. Unde, proxima oraculo, vox illa divini Philosophi:

Καθάπερ ἐςὶ φυλακτικὴ σώματος ὑγεία ὅτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέςηκε παιδεία.

Quamobrem nihil prorsus ego demiror H. A. quod veræ Eruditionis præstantia, de cujus laude

hactenus

ctenus dicere incepi, tantis difficultatibus mo-
tiisque undique sit obnoxia ac circumscripta.
imquam si ipsa Averni hic ostia aperiantur; ip-
fauces Tænariæ, Cocytique palus; *quam novies*
yx interfusa coërcet. Hoc equidem ipso major est
nti boni possessio, quo ad sacra illa Adyta dif-
cilior, est accessus; pluribusque dumetis ac sen-
bus via illa sit obsita occlusaque. Quæ una,
l Honoris templum quæ ducit, si molli facili-
ue labore iniretur, profecto, valde exiguum id
ret, nos istis doctorum ordinibus accenseri.
unc, quia per inaccessa, per prærupta, ardua mul-
est incedendum, pulcherrima illi palma ac ve-
eratio debetur. Digna quoque Majestas, quæ Pro-
metheos suos, Sisyphos, Ixionas habeat: quo-
um solis conatibus & sudoribus propiore ad il-
m gradu acceditur. Quare nec immeritò sapiens
ntiquitas doctrinam ex ipsis Egeriæ convalli-
us; ex profundo Democriti puteo hauriendam
se dixit. Non ab ignavis inertibusque fucis un-
uam comparari illam posse. Non votis puella-
ibus, non suppliciis muliebribus. Non ab illis,
ui totos dies in popinis, in alea, in luxu & li-
idine agunt. Sed cum *Demosthene* in subterra-
eas terræ cavernas est descendendum; cum *Al-*
ide, apud inferos monstra Aetnæa perdoman-
a; cum Hydris, cum avibus Stymphalicis, cum
sa Lernæa Bellua fortiter dimicandum. Omni,
nquam, vitæ tuæ tempore, O Adolescens, id
olum atque unicè est agendum, si aliquando in
questri Eruditorum pulvino, cupias residere, ut
divina Oraculi voce assiduis domi laboribus
igiliisque impallescas. Totus denique mortuis ut
ncolor sis factus. Hoc unum pro solatio & præ-
io habituros, *Quod unus vitæ tuæ dies, plus pa-*
bit quàm imperiti longissima ætas. Eoque nós
iquando felices Musarum alumnos processuros,
ut

ut pro mortalibus, gloria æterni ſimus, vitæque noſtræ, quæ brevis eſt, memoriam quàm maximè longam efficiamus. Verè enim eſt dictum:

Σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον.

DIXI.

ORATIO XVII.

De REMEDIIS,

Quibus Studiorum difficultas ſuperatur.

Habita à

GUILIELMO BOSH,

Alcmariano.

EX animi ſententiâ hoc fuit, *Chariſſ. Collega*, quod veram Eruditionem vivo quoque præconio ſis proſequutus. Et hanc, quaſi humeris tuis, à terrâ uſque iu Cœlum extuleris. Quare nec præſentem hunc diem cum ſilentio mihi patiar præterire, quin in perpetuum ſumma animi neceſſitudine totum Tibi me devinctum addictumque pollicear. Cui prudenter quoque id viſum eſt, non tantùm de ſtudiorū ſcopulis ac difficultate, tanquam cum gemitu, & fracto animo, voluiſſe differere, quam quidem ipſam Doctrinam, ſuo jure & merito contra vulgus ignorantium ſtrenuè defendere. Perge, ingenuo hoc eſſe animo, mi *Collega*, in Pallada noſtram & Literas, nolique id crimen facinuſque in te committere, ut de iſto propoſito infeliciter unquam recedas. Studia Literarum, tecum ſentio, quò ſunt clariora, hoc etiam magis habent difficiles circuitus & ambages.

Quemad-

Quemadmodum non facilè hunc hostem, dejicimus ac prosternimus in suis castris, qui militum robore pollens potensque est. Habet nostra hæc quoque Minerva plurimos inimicos, qui ad omnes aditus tela ingerunt, qui die noctéque illi insidiantur, vias infestant; hinc inde pericula & difficultates quàm plurimas obtendunt. At verè isti injuriæ malisque avertendis abundè nobis suppetunt Remedia: quibus triumphare inposterum licebit. Nec necesse sit, pro vulgi opinione, hanc sacerrimam nobis Divam ab amplexibus nostris removere. Manet illa, stabili semper loco posita. Ridetque omnes procellas & æquora, quæ otium & ignavia illi solet opponere. Per medios fluctus rupesque generoso spiritu ausa perrumpere. Quare nemo nostrum, Commilitones, tam infelici astro, utinam! sit genitus, ut propter itinerum asperitates, propter malorum Symplegedas in medio quæ sunt positæ, à scopo Fortunarũ suarum facile aberret. Qui infami, ut sic dicam, ore de gravibus impensis sumptibusque, quos artes nostræ requirunt, imprudens conqueratur: neq;enim alio modo thesauri illi Divinæ Sapientiæ comparantur. Quique vitæ accuset brevitatem, aut laborum arguat magnitudinem. Qui, post tot annorum tædia & lucubrationes lentas promotionum difficultates prætendat, Credite cum centuplo fænore fructuque hæc in agellis nostris semina resurgunt. Unde nec in paucos vitæ dies, sed in seram usque posteritatem illa ingeniorum nobilitas pertransit. Censu & opibus majores, quàm unquam aliquis de fœce & sentinâ in vulgo. Omni verò turpitudine ac dedecore is merito est afficiendus, qui ad Divinam istam Penelopem sine labore, sine curis & cruciatibus patere sibi viam imaginetur. qui in rosis & violis admiranda hæc rerum, veram puta sapientiam, posita esse

esse exspectet. Erras, erras toto cælo, mi Commilito. Ut excelsam hanc arcem, Pernassi Montem, invadas, Labore, Vigilantiâ, Virtute multâ Precibusque apud Deum Religiosis est opus Adversum otia & desidiam dies noctes depugnandum est acriter. Nihil omnium illorum, est intermittendum, quibus ad pulchram hanc Adoream rectis itineribus pervenitur. Solent, fateor, salebrosam hanc viam, nescio, quam infelices Harpyæ; quæ Siron infamis suis incantationibus ac veneficiis inficere ac infestare. Opponenda hisce monstris est acies firmissima, Vigiliæ perpetuæ, quibus in auxilium advocatis, facilè per medios ire satellites, per saxa, per ignes incedere licebit. Nihil enim à naturâ ipsâ tam inaccessum, ad quod non jugi diligentiâ, perpetuisque laboribus securè tandem penetretur. *Exurge modò, & te quoque dignum finge Deo.*

> *Nec quisquam fruitur veris odoribus:*
> *Hyblæos latebris nec spoliat favos.*
> *Si fronti caveat, si timeat rubos.*

Verissimumque enim illud, est & ex Tripode dicturi:

> Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι.

Et, Prof. ctô, non anicularum somniis, non negligenter agendo Dei Omnipotentis auxilia parantur. Ubi ignaviæ & socordiæ vos tradideritis, nequicquam Deum imploretis, iratus ille infestusque est. Cum *Laconibus* admotâ manu Fortuna imploranda est. Et quod Græci, iterum ajunt: μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη, τὸν δ᾽ εὐκλείας πατὴρ. μισθὸν ἀναβαλλομένῳ. Hæ erant illæ tesseræ militares, quibus olim sapiens vetustas, tanquã bonis Auspiciis, res suas & negotia perficiebat. Illi nunquam fessi aut fatigati; sed sudarunt

sub

ſub clypeis Ancilibus. Illi patientes pulveris atque ſolis, nunquam medio in torrente brachia remiſerunt. Semper in aperto: in amico generoſos ſuos Spiritus ad famam gloriamque intenderunt. Priſcos illos Philoſophos, *Platonem*, *Socratem*, *Carneadem*, *Cleanthem*, *Chryſippum* imitari oportet! qui indeſinente magnarum rerum ſtudio hanc ſibi nominis ſui Æternitatem compararunt. *Apelles*, *Demoſthenes*, *Homerus* pro face & exemplo prælucere debent. Apud quos viros ſolus labor, ſolaque induſtria unicum ſuarum rerum Præſidium & Palladium fuit. Quibus quoque maximi Græcorum Oratoris divina, hæc ſententia placuit:

Δία καρτερίας καὶ φιλοπονίας, οὐδὲν τῶν ὄντων ἀγαθῶν ἀνάλωτον πέφυκε.

Otium verò, & inertiam legibus ſuppliciiſque conſtrinxerunt. Quam & nonnulli vivi hominis ſepulturam appellarunt. A quâ, certè, peſte ac contagio nihil unquam recti, nihil boni in genus humanum derivatur. Utque non immeritò *Ægyptii*, homines otioſos, inſtar brutorum, ſine aliquo ſepulchri honore, terræ mandarint. *Lacedæmonii* autem capitalem in illos pœnam conſtituerint, qui corpus ſuum otio effæminaverant. Vitanda eſt igitur *improba Siren Deſidia*, ſitus, torpor, ſquallor, ignavia. Et omne illud, quod animos vitio aliquo exulcerat. Ad improbum laborem, ad illuſtris Gloriæ certamen nervi lacertique intendendi. Et, quod omnium eſt primum & præcipuum, *ſanctiſſimis Precibus apud Immortalem in Cælis Deum aſſiduè eſt intercedendum.* Vt Ille fortes nobis animos in tanto rerum diſcrimine ſuppeditet. Perque medium hoc profundum euntibus benignos faventeſque ſemper Zephyros adſpiret. Sic demum fiet, ut *aurea* illa *Libertas*, quæ *Vera eſt Eruditio*, ſudoribus noſtris ſe amicam

amicam facilemque prabeat. Nuncuam enim in sublimi folio is constitit, quem illiberalis pudor torporque ad terram suam affixit.

Hîc animus opus, Ænea est, hîc pectore firmo.

DIXI.

ORATIO XVIII.

De CONCEPTO GAUDIO, post promotionem Scholasticam.

Habita à

JOHANNE à NYENBVRCH.

Alcmariano.

ADmodum me exhilaravit, H. A. præstantissimi mei *Collegæ* oratio. Qui verè, ut dicitur, rem acu tetigit. Veraque Eruditionis Remedia graphice nobis ad oculum proposuit. Quasi uno ictu & impetu in caveam immiserit omnes illas difficultates, scopulos, hostesque: cum quibus tanquam cum Gorgone aliquo aut Hercule, per totam vitam periculosè est decertandum. Concedo tibi libens mi *Collega*, quod nullo alio pacto & limite ad Sapientiæ fastigium pervenire possis, quam certè destinatâ tuis rebus curâ, & labore intensissimo. Neminemque oculis suis melior Pallas unquam adspexerit, quam solum illos, qui à teneris unguiculis & materno lacte didicerunt, ponere Sudorem ante Honores. Quæ una fuit recta & regia via, quâ omnis ætas & tot sæculorum memoria & mortales, ad maximæ dignitatis fastigium feliciter evaserunt. Sine quibus præsidiis, frustra spes nostras in longum sæpe mittimus, & anxiè illa desideramus: unde in nomen

omen & famam, exſurgere aliquando poſſimus.
Hæc cum perſpecta & cognita mihi haberem,
iam à prima ſtatim pueritia illorum inſiſtere in-
pi veſtigiis exemploque, qui laborum hac luce
: lampade egregiè nobis præluxerunt. Quare &
go, quamdiu vitalem hanc auram animamque
axero ne latum unguem ab honeſto hoc propo-
to veterumque conſuetudine unquam deflectam.
Hoc vero unum & præcipuum illud eſt, quo ſoli-
m mihi gaudium contingit, tandem quod, ſub-
tâ hîc loci, ſeveriore Pallade, cum honeſta tandē
anumiſſione, hinc in publicam Libertatem vin-
care me poſſim. Relictis jam à tergo tot anno-
m vexationibus, moleſtiis, cruciatibus, quos
imam illam rudemque ætatem, ſub aſſiduâ do-
ntium ferulâ & ſupercilio tolerare oportet.
uod vitæ genus quam ſit durum, quàm aſperum,
am cum multis moleſtiis conjunctum, illi jure
ecum teſtari poſſunt, qui totum illud ætatis,
od retrò eſt, in ſordido Scholarum pulvere
ntriverunt. Quaſi in piſtrino & carcere illic
mpediti: unde in paucas horas & dies ſe ſub-
icere, pene capitali ſupplicio, brevi-
s Gyaris & carcere eſt dignum. Hoc tamen
um ad illam ætatem pro ſolamine accedit, quod
ī potiſſimum ignoremus mala noſtra & ærum-
s, cum quibus, immane quantum tunc tem-
ris colluctandum fuit. O diem illum ſereaum,
verè felicem! non atro carbone, ſed niveo la-
lo atque unione ſignandum! quando ex hac
vitute, depoſitâ jam Prætextâ, ad togam vi-
em componere me poſſim. Poſthabitiſque
nibus nugis & nucibus, aliud vitæ genus, alioſ-
e vivendi mores aſſumere. Quanquam, certè,
n ignorem, quam utile nobis fuerit, etiam æta-
illud lubricum ſub viris præſtantibus, eorum-
e diſciplinâ & plus quam patrio affectu, non
ſine

fine fingulari fructu, confumere. Nec fic dicta hæc à me velim H. A. ut inde *Commilitonibus* meis, quafi argumenta fubminiftrem, quibus illi odium aliquod, aut bellum in labores fuos & ftudia concipiant. Paullò antè, candidè iftâ de re judicium meum interpofui. Idem nunc, conceptis verbis, *Adolefcentes*, liberè apud vos facio. Nam nihil, fub fole, unquam inventum eft utilius; nihil ad juventutis mores rectè formandos excogitatum divinius, quàm bonarum artium Templa ac Gymnafia inftituere: quæ veræ Sapientiæ & Pietatis funt officinæ & feminaria. Et, quod Græci ajunt: *Διδασκαλεῖα λογικῶν, καὶ θεογνωσίας παιδευτήρια.*

Meritò vobis author monitorque effe velim; mei Commilitones, ut fanctiffima hæc domicilia, in quibus, fortaffe, aliqui veftrum nec abfque murmure nunc fedent, non fine teftimonio publicæ Virtutis temerè turpiterque deferatis. Nemo enim unquam folidæ Eruditionis Vir evafit, qui antè merita juftè ftipendia, ut transfugæ illi folent, à militari hoc agmine ac vexillo ignominiofè fe fubduxit. Ego vero quod animo meo juftiffimum gaudium hodierno die conceperim, non eft, fcio, quod aliquis veftrum H. A. in finiftram partem interpretetur. Solent enim fidi Parentes, quibus vel aliquà eft in filiorum fuorum Educatione cura, infinitis votis ac fufpiriis facrum hunc ftudiorum TERMINUM exfpectare. Quibus & nihil eft acceptius, nihilque jucundius, quàm metere aliquando ex illo agro tot fumptuum ac laborum, facras illas primitias, operofæ Minervæ fructum. E contrariò quibus nihil magis eft dolendum nihil acerbius, quàm videre chara fua pignora, inter tot tricas & fpinas tanquam cum Antæo, & Encelado ætatem omne colluctari.

IMMOR-

IMMORTALI in Cœlis DEO ingentes Ego gratias habeo, quod infames hosce scopulos, Acroceraunia, tutò ac incolumis tandem evasarim: atque inde in liberiorem vitæ campum, quò nunc ætas & aura Musarum vocat, Divino me instructu monitisque sim recepturus. Ubi alias tunc lauros alia laborum meorum trophæa exspecto. In luce tot Gentium ac nationum positus; quando dispersas hinc inde varias Virtutes in unum quasi fasciculum comprehendam, magnorumque Virorum adjutus præsidio, me rectâ ad sacram Themidos aram, Justitiæque Templa recipiam. Ut istis artibus, quibus ingenuos homines imbui oportet, non leviter primum tinctus inde ad inclytam hanc Urbem, ubi aërem spiritumque hunc hausi, post limininiò revertar. Deoque Duce, Comite Fortunâ, id manibus pedibusque conabor, ut non ignobilem me Patriæ Charissimæ, Civium optatæ Saluti Custodem tunc præstem. Utinam! utinam modò BATAVO IMPERIO, rebusque nostris, illa Temporum porrò adspiret felicitas, quâ nos, per Superum benignitatem, non sine totius orbis admiratione, terrâ marique, præsente hoc rerum statu, perfruimur.

Et vos, *Viri Nobilissimi*, *Viri Ampliss.* Honore & Dignitate vivite Felices Florentesque: Quibus, pro acceptâ tam nobili Institutione, pro tot tantisque Beneficiis, atque Præmiis, non uno exemplo gratum meum animum comprobera tunc possim.

DIXI.

ORA-

cuisset. Tanta quoque ejus amore flagravit *Diogenes*, ut hominem indoctum onus terræ gravissimum dixerit. O verè candidæ Musarum fores! quas meritò soli hi cupiant intrare, quibus,

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Sapientem enim esse literisque humanioribus egregie imbutum, cum Cœlestibus Diis ex pari est vivere. Quod cum perspectum exploratumque sibi haberent *Mytelenenses*, quos gravissimo supplicio afficere volebant, illis literarum usum adimebant. Et *Apostata Julianus*, qui ut facilius subjugaret Christianos, Philosophiæ illos exercitio privavit. Hæc doctrinarum amœnitas ita sæpè multorum animos in se pertraxit, tacita quadam vi ac voluptate sensuum suorum, ut illi plus quam Herculeo labore ad hæc studiorum præcipitia sese contulerint. Quemadmodum pulchrè id videre licet in *Phil. Chrysippo*, qui jam jam fame & inedia periisset, si non Melissa uxor, Viro, rerum meditationi altissimè defixo, cibum in os ingessisset. In *Cleanthe*, qui solidas noctes in hauriendis aquis impendit, ut diem sapientiæ studiis destinaret, haberetque unde Præceptoribus suis mercedem persolveret. Nec minus in *Diogene*, qui ab institutione Antisthenis nullo modo removeri potuit. Verbera, inquit, quantum potes, nullum tamen baculum reperies tam durum, quo, à te modò aliquid didicero, averses. Credo, sacram hanc opinionem illustres istæ animæ ab ipsis Diis superis imbiberunt. Unde, proxima oraculo, vox illa divini Philosophi:

Καθάπερ ἐςὶ φυλακτικὴ σώματος ὑγεία οὕτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέςηκε παιδεία.

Quamobrem nihil prorsus ego demiror H. A. quod veræ Eruditionis præstantia, de cujus laude

hactenus

actenus dicere incepi, tantis difficultatibus mo-
stiisque undique sit obnoxia ac circumscripta.
'amquam si ipsa Averni hic ostia aperiantur; ip-
æ fauces Tænariæ, Cocytique palus; *quam novies
tyx interfusa coërcet.* Hoc equidem ipso major est
anti boni possessio, quo ad sacra illa Adyta dif-
cilior, est accessus; pluribusque dumetis ac sen-
ibus via illa sit obsita occlusaque. Quæ una,
d Honoris templum quæ ducit, si molli facili-
ue labore iniretur, profecto, valde exiguum id
oret, nos istis doctorum ordinibus accenseri.
Nunc, quia per inaccessa, per prærupta, ardua mul-
a est incedendum, pulcherrima illi palma ac ve-
eratio debetur. Digna quoque Majestas, quæ Pro-
netheos suos, Sisyphos, Ixionas habeat: quo-
um solis conatibus & sudoribus propiore ad il-
am gradu acceditur. Quare nec immeritò sapiens
Antiquitas doctrinam ex ipsis Egeriæ convalli-
us; ex profundo Democriti puteo hauriendam
sse dixit. Non ab ignavis inertibusque fucis un-
uam comparari illam posse. Non votis puella-
ibus, non suppliciis muliebribus. Non ab illis,
ui totos dies in popinis, in alea, in luxu & li-
idine agunt. Sed cum *Demosthene* in subterra-
eas terræ cavernas est descendendum; cum *Al-
ide*, apud inferos monstra Aetnæa perdoman-
a; cum Hydris, cum avibus Stymphalicis, cum
stâ Lernæa Bellua fortiter dimicandum. Omni,
nquam, vitæ tuæ tempore, O Adolescens, id
olum atque unicè est agendum, si aliquando in
questri Eruditorum pulvino, cupias residere, ut
divina Oraculi voce assiduis domi laboribus
igiliisque impallescas. Totus denique mortuis ut
oncolor sis factus. Hoc unum pro solatio & præ-
nio habituros, *Quod unus vitæ tuæ dies, plus pa-
bit quàm imperiti longissima ætas.* Eoque nos
liquando felices Musarum alumnos processuros,
ut

ut pro mortalibus, gloria æterni simus, vitæque nostræ, quæ brevis est, memoriam quàm maximè longam efficiamus. Verè enim est dictum:

Σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον.

DIXI.

ORATIO XVII.

De

REMEDIIS,

Quibus Studiorum difficultas superatur.

Habita à

GUILIELMO BOSH,

Alcmariano.

EX animi sententiâ hoc fuit, *Chariß. Collega*, quod veram Eruditionem vivo quoque præconio sis prosequutus. Et hanc, quasi humeris tuis, à terrâ usque iu Cœlum extuleris. Quare nec præsentem hunc diem cum silentio mihi patiar præterire, quin in perpetuum summa animi necessitudine totum Tibi me devinctum addictumque pollicear. Cui prudenter quoque id visum est, non tantùm de studiorũ scopulis ac difficultate, tanquam cum gemitu, & fracto animo, voluisse differere, quam quidem ipsam Doctrinam, suo jure & merito contra vulgus ignorantium strenuè defendere. Perge, ingenuo hoc esse animo, mi *Collega*, in Pallada nostram & Literas, nolique id crimen facinusque in te committere, ut de isto proposito infeliciter unquam recedas. Studia Literarum, tecum sentio, quò sunt clariora, hoc etiam magis habent difficiles circuitus & ambages. Quemad-

uemadmodum non facilè hunc hostem, dejici-
us ac prosternimus in suis castris, qui militum
bore pollens potensque est. Habet nostra hæc
ioque Minerva plurimos inimicos, qui ad om-
es aditus tela ingerunt, qui die noctęque illi in-
diantur, vias infestant; hinc inde pericula &
ifficultates quàm plurimas obtendunt. At verè
ti injuriæ malisque avertendis abundè nobis
ppetunt Remedia: quibus triumphare inposte-
ım licebit. Nec necesse sit, pro vulgi opinione,
anc sacerrimam nobis Divam ab amplexibus no-
ris removere. Manet illa, stabili semper loco
osita. Ridetque omnes procellas & æquora, quæ
ium & ignávia illi solet opponere. Per medios
ctus rupesque generoso spiritu ausa perrum-
re. Quare nemo nostrum, Commilitones,
m infelici astro, utinam! sit genitus, ut propter
nerum asperitates, propter malorum Symple-
das in medio quæ sunt positæ, à scopo Fortunarū
ırum facile aberret. Qui infami, ut sic dicam,
e de gravibus impensis sumptibusque, quos ar-
s nostræ requirunt, imprudens conqueratur:
q;enim alio modo thesauri illi Divinæ Sapientiæ
mparantur. Quique vitæ accuset brevitatem,
t laborum arguat magnitudinem. Qui, post tot
norum tædia & lucubrationes lentas promo-
onum difficultates prætendat, Credite cum cen-
plo fænore fructuque hæc in agellis nostris se-
na resurgunt. Unde nec in paucos vitæ dies,
l in seram usque posteritatem illa ingeniorum
bilitas pertransit. Censu & opibus majores,
àm unquam aliquis de fœce & sentinâ in vul-
. Omni verò turpitudine ac dedecore is meri-
est afficiendus, qui ad Divinam istam Pene-
pem sine labore, sine curis & cruciatibus patere
i viam imaginetur. qui in rosis & violis admi-
ıda hæc rerum, veram puta sapientiam, posita
esse

esse exspectet. Erras, erras toto cælo, mi Commilito. Ut excelsam hanc arcem, Pernassi Montem, invadas, Labore, Vigilantiâ, Virtute multâ Precibusque apud Deum Religiosis est opus Adversum otia & desidiam dies noctes depugnandum est acriter. Nihil omnium illorum, est intermittendum, quibus ad pulchram hanc Adoream rectis itineribus pervenitur. Solent, fateor, salebrosam hanc viam, nescio, quam infelices Harpyæ; quæ Siron infamis suis incantationibus ac veneficiis inficere ac infestare. Opponenda hisce monstris est acies firmissima, Vigiliæ perpetuæ, quibus in auxilium advocatis, facilè per medios ire satellites, per saxa, per ignes incedere licebit. Nihil enim à naturâ ipsâ tam inaccessum, ad quod non jugi diligentiâ, perpetuisque laboribus securè tandem penetretur. *Exurge modò, & te quoque dignum finge Deo.*

Nec quisquam fruitur veris odoribus:
Hyblaos latebris nec spoliat favos.
Si fronti caveat, si timeat rubos.

Verissimumque enim illud, est & ex Tripode dicturi:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι.

Et, Profectò, non anicularum somniis, non negligenter agendo Dei Omnipotentis auxilia parantur. Ubi ignaviæ & socordiæ vos tradideritis, nequicquam Deum imploretis, iratus ille infestusque est. Cum *Laconibus* admotâ manu Fortuna imploranda est. Et quod Græci, iterum ajunt: μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη, τὸν δ' εὐκλείας πατηρ. μηδὲν ἀναβαλλομένῳ. Hæ erant illæ tesseræ militares, quibus olim sapiens vetustas, tanquã bonis Auspiciis, res suas & negotia perficiebat. Illi nunquam fessi aut fatigati; sed sudarunt

b clypeis Ancilibus. Illi patientes pulveris atue solis, nunquam medio in torrente brachia miserunt. Semper in aperto: in amico generoos suos Spiritus ad famam gloriamque intendeunt. Priscos illos Philosophos, *Platonem, Soatem, Carneadem, Cleanthem, Chrysippum* imitaoportet! qui indesinente magnarum rerum stuo hanc sibi nominis sui Æternitatem comparaunt. *Apelles, Demosthenes, Homerus* pro face & emplo prælucere debent. Apud quos viros sos labor, solaque industria unicum suarum rerum æsidium & Palladium fuit. Quibus quoque mami Græcorum Oratoris divina, hæc sententia acuit:

Διὰ καρτερίας καὶ φιλοπονίας, οὐδὲν τῶν ὄντων ἀγαθῶν ἀνάλωτον πέφυκε.

tium verò, & inertiam legibus suppliciisque nstrinxerunt. Quam & nonnulli vivi hominis pulturam appellarunt. A quâ, certè, peste ac ntagio nihil unquam recti, nihil boni in genus manum derivatur. Utque non immeritò *Ægyp-*, homines otiosos, instar brutorum, sine aliio sepulchri honore, terræ mandarint. *Lacedaonii* autem capitalem in illos pœnam constitueat, qui corpus suum otio effæminaverant. Vitanest igitur *improba Siren Desidia*, situs, rpor, squallor, ignavia. Et omne illud, quod imos vitio aliquo exulcerat. Ad improbum larem, ad illustris Gloriæ certamen nervi lacerque intendendi. Et, quod omnium est primum præcipuum, *sanctissimis Precibus apud Imrtalem in Cælis Deum assiduè est intercedendum.* Ille fortes nobis animos in tanto rerum disimine suppeditet. Perque medium hoc profunm euntibus benignos faventesque semper Zeyros adspiret. Sic demum fiet, ut *aurea* illa *Litas*, quæ *Vera est Eruditio*, sudoribus nostris se

amicam

amicam facilemque prabeat. Nunquam enim in sublimi solio is constitit, quem illiberalis pudor torporque ad terram suam affixit.

Hîc animis opus, Ænea est, hîc pectore firmo.

DIXI.

ORATIO XVIII.

De

CONCEPTO GAUDIO,

post promotionem Scholasticam.

Habita à

JOHANNE à NYENBVRCH.

Alcmariano.

ADmodum me exhilaravit, H. A. præstantissimi mei *Collega* oratio. Qui verè, ut dicitur, rem acu tetigit. Veræque Eruditionis Remedia graphice nobis ad oculum proposuit. Quasi uno ictu & impetu in caveam immiserit omnes illas difficultates, scopulos, hostesque: cum quibus tanquam cum Gorgone aliquo aut Hercule, per totam vitam periculosè est decertandum. Concedo tibi libens mi *Collega*, quod nullo alio pacto & limite ad Sapientiæ fastigium pervenire possis, quam certè destinatâ tuis rebus curâ, & labore intensissimo. Neminemque oculis suis melior Pallas unquam adspexerit, quam solum illos, qui à teneris unguiculis & materno lacte didicerunt, ponere Sudorem ante Honores. Quæ una fuit recta & regia via, quâ omnis ætas & tot sæculorum memoria & mortales, ad maximæ dignitatis fastigium feliciter evaserunt. Sine quibus præsidiis, frustra spes nostras in longum sæpe mittimus, & anxiè illa desideramus: unde in nomen

men & famam, exſurgere aliquando poſſimus.
:c cum perſpecta & cognita mihi haberem,
ım à prima ſtatim pueritia illorum inſiſtere in-
ı veſtigiis exemploque, qui laborum hac luce
lampade egregiè nobis præluxerunt. Quare &
o, quamdiu vitalem hanc auram animamque
xero ne latum unguem ab honeſto hoc propo-
veterumque conſuetudine unquam deflectam.
Hoc vero unum & præcipuum illud eſt, quo ſoli-
m mihi gaudium contingit, tandem quod, ſub-
à hîc loci, ſeveriore Pallade, cum honeſta tandē
numiſſione, hinc in publicam Libertatem vin-
are me poſſim. Relictis jam à tergo tot anno-
n vexationibus, moleſtiis, cruciatibus, quos
mam illam rudemque ætatem, ſub aſſiduâ do-
tium ferulâ & ſupercilio tolerare oportet.
od vitæ genus quam ſit durum, quàm aſperum,
m cum multis moleſtiis conjunctum, illi jure
cum teſtari poſſunt, qui totum illud ætatis,
od retrò eſt, in ſordido Scholarum pulvere
ntriverunt. Quaſi in piſtrino & carcere illic
npediti: unde in paucas horas & dies ſe ſub-
cere, pene capitali ſupplicio, brevi-
Gyaris & carcere eſt dignum. Hoc tamen
ım ad illam ætatem pro ſolamine accedit, quod
potiſſimum ignoremus mala noſtra & ærum-
, cum quibus, immane quantum tunc tem-
is colluctandum fuit. O diem illum ſerenum,
verè felicem! non atro carbone, ſed niveo la-
o atque unione ſignandum! quando ex hac
itute, depoſitâ jam Prætextâ, ad togam vi-
m componere me poſſim. Poſthabitiſque
nibus nugis & nucibus, aliud vitæ genus, alioſ-
vivendi mores aſſumere. Quanquam, certè,
ignorem, quam utile nobis fuerit, etiam æta-
llud lubricum ſub viris præſtantibus, eorum-
diſciplinâ & plus quam patrio affectu, non
fine

IMMORTALI in Cœlis DEO ingen-
s Ego gratias habeo, quod infames hosce sco-
los, Acroceraunia, tutò ac incolumis tandem
isarim: atque inde in liberiorem vitæ campum,
ò nunc ætas & aura Musarum vocat, Divino
: instructu monitisque sim recepturus. Ubi alias
ic lauros alia laborum meorum trophæa exspe-
. In luce tot Gentium ac nationum positus;
ndo dispersas hinc inde varias Virtutes in
um quasi fasciculum comprehendam, magno-
nque Virorum adjutus præsidio, me rectà ad
ram Themidos aram, Justitiæque Templa re-
iam. Ut istis artibus, quibus ingenuos homi-
: imbui oportet, non leviter primum tinctus
le ad inclytam hanc Urbem, ubi aërem spi-
umque hunc hausi, post liminiiò revertar.
oque Duce, Comite Fortunâ, id manibus pe-
ousque conabor, ut non ignobilem me Patriæ
arissimæ, Civium optatæ Saluti Custodem
ic præstem. Utinam! utinam modò BATA-
) IMPERIO, rebusque nostris, illa Tem-
rum porrò adspiret felicitas, quâ nos, per Su-
rum benignitatem, non sine totius orbis ad-
ratione, terrâ marique, præsente hoc rerum
u, perfruimur.

Et vos, *Viri Nobilissimi, Viri Amplis*. Ho-
re & Dignitate vivite Felices Florentesque:
ibus, pro acceptà tam nobili Institutione,
) tot tantisque Beneficiis, atque Præmiis, non
) exemplo gratum meum animum comproberа
c possim.

DIXI.

ORA-

ORATIO XIX.

Pro

AUSPICIO ACADEMICO.

Habita ab

EDOARDO NEUHUSIO. R. F.

Alcmariano.

TRiumphalis hic tibi videtur dies, *præstantissime Collega*, cum, sumptis alis pennisque, tanquam rara aliqua Avis, aut Aquila sis in nubibus, terrasque omnes & maria dispiciens, ipsi cœlo caput nunc inferas. Quia, huc usque tandem studiorum limite feliciter producto, ex hac Gymnasii nostri umbrâ, ad publicam ACADEMIÆ te lucem ac libertatem mox recipies. Quasi omnes nunc Scyllas & Charybdes tutò evaseris, quæ in hoc pelago navigantibus fatale aliquod periculum minari possent. Deinceps nihil tibi restare, præter plena rosarum atria, præter lacteam ac facilem Cœli viam, cum ipsis Heroibus ac Semideis calcandam. Ita est, *mi Collega* ad majora nunc animos nostros intendimus, & ab hisce Scholarum umbraculis, ad ipsam Parnassi culmen macti gradum inferimus. Quæ fortuna, fateor, post primos labores confectos, non ingrata nobis est. Qui sæpè illum diem in votis nostris habuimus, quo tandem ex tenebris tetricisque illis minutiis eluctari liceret. Sed noli putare, eò nos esse provectos, in implexo hoc studiorum Labyrintho, nullo prorsus Theseo, nullo sapientum virorum filo ductuque indigeamus. Si istam

tam animo tuo opinionem ſtulte induxeris, ô
uam vanam, quam inanem de te ipſo exſpecta-
onem concepiſti! Meo judicio, majores tumul-
s, procellæ, imbres ſupra caput ſunt: quando
propinquâ Academiâ cogitatio mihi ſubit.
menſi ſumus aliquot viarum ſpatia, metamque
ıtatam privati laboris ſumus conſequuti, fateor.
uæ res quidem digna eſt ſuo trophæo ac trium-
io. At verò ab hiſce Adoleſcentiæ noſtræ ſpo-
s opimis, tantò majora nobis bella & certami-
adhuc reſtant. Quæ non armis gerenda ludi-
s ac puerilibus, ſed toris lacertiſque pluſquam
ilibus, Herculeiſque. Quando tot monſtra,
t prodigia; unde non ſimplex circa pectus me-
ò eſt metus, vias noſtras vitamque infeſtabunt.
ando rurſum cum Ignaviâ, cum Libidine, cum
luptatibus, idque in majore theatrro, decertan-
m eſt. Quando in vitia, & errores publicos,
rum quæſtus eſt uberrimus, cum periculo in-
emus. A quorum contactu & contagio ut ni-
ad nos prorſus redundet, ô quanto robore,
ientia, fortitudine eſt opus! Hactenus ductu
no uſi ſumus, &, quod dicitur, cortice non
ſtro natavimus, ſub fido tecto & lare. Nunc
u & oculis illorum procul remoti, noſtro re-
gio res fortunasque noſtras regemus & mode-
mur. In qua Studiorum orbita quæ ſæpe rapi-
quæ naufragia, quæ pericula occurrunt! quam
renda, quam adverſa multa eveniunt! uti-
! non plurimorum infelicitas quotidie hoc
doceat! Quibus longè melius fuiſſet, aut
quam iſti albo manipuliſque nomen dediſſe;
le Eruditione ſibi comparanda vel perſom-
cogitaſſe. Quanquam non literis humaniori-
Muſarumque id ſanctitati ſit imputandum,
oleſcens, parum cautus, in vita dedecora
niſque ſui infamiam; in voluptatum ac libi-
E dinum

dinum illecebras sese conjiciat. Hoc dico; *mi Collega:* Cum illo Libertatis nostræ Pileo, infinita se mala & monstra conglomerant. Quibus hinc, inde ætatem nostram præcinctam atque obsessam undique videbimus. Nunc demum tempus illud aderit & appropinquat, quo dies noctesque in procinctu ac acie est consistendum. Ne catervæ illæ insidiantes, ne turmæ & turbæ lascivientium Epicureorum ex occulto nos obruant; ne voluptuosorum illi greges, fex maligna Adolescentum desperatorum, etiam partem nobis de suâ peste & veneno affricet. Hic plusquam septemplice Ajacis clypeo est opus, contra Medusam hanc & Gorgona. Ipsa fortissimi Græcorum, Achillis, arma hîc requiro, sub divinâ Bellipotentis Minervæ tutela, fabricataque tela Cyclopum.

Tres imbres torti radios, tres nubis aquosæ
Rutili tres ignis, & alitis Austri.
Ægydaque horrificam, turbatæ Palladis arma.

Ne in terribili hac Martis palæstra, quam, cum Deo, brevi sumus ingressuri, cum honesti nominis famæque jactura infeliciter succumbam. Tanquam si nondum satis esset nobis laborum malorumque; ab artium præcipitiis ac difficultatibus, ut etiam abunde bellum habeamus, quod vim metumque nobis incutiat. VERA siquidem Eruditio, quæ in hos rivulos se diffundit, à magno illo Sapientiæ, Oceano, in patentissimos campos excurrit. Ut unde hic nexus incipiat, quove se recondat, penè incertum sit: Gordiumque hunc nodum tandem solvas, certè, nescio, quem novum tibi indè à Macedonia Alexandrum hîc quæram. Video ante oculos hîc positum agmen non unum, quod me deterreat. Toti, inquam, malorum montes exercitusque vim suam minantur. Universa illa area & arena, in quam nos hodierni Quirites, post paucos dies, descendemus,

mus, plena est insidiarum, plena scopulorum:
nc, indi difficiles inviasque vias aditusque
endens. Igitur prudenter aliquando fecit Vlys-
, quod, cum periculum illi esset à dulci sed ve-
nato Sirenum cantu, hic aures suas cera obtura-
rit, se sociosque suos ad prudentiæ malum col-
ans: ne cum temere prætemavigantibus in bru-
rum speciem transformaretur. Idem penè no-
faciendum est, qui ad novum & ignotum hoc
ademiæ contubernium accedimus. Oculi, au-
, manus, cuncta animi corporisque nostri of-
ia & sensus rectæ rationis gubernaculo sunt di-
endi regendique. Ut tandem, sine offensâ, fe-
iter in studiorum nostrum portum deveniamus.
eo discamus à sapiente *Senecâ*, nulli præclusam
Virtutem omnibus illam patere Nudo homi-
contentam esse; non domum aut censum elige-
Hanc non sordidum amatorem admittere,
n falsum; sed perpetuum gaudium præstare.
eterque se ipsam nullò honestamento indigere.
scamus à *Democrito*, *Apelle* omnes labores otio
undiores esse, nullumque diem sine aliqua du-
linea negligenter transmitti debere. Ab *Hi-*
rico Romano, eorum vitam mortemque juxta
imari, quibus contra naturam, corpus volup-
i, anima oneri fuit. Et ab ipso *Patre & Prin-*
Oratorum, quod consilii magnitudo, fortunæ
temptio, virtus denique ipsa solam unicam-
Humanæ vitæ felicitatem constituat. Vel, si
t, *Antisthenem*, *Platonem*, *Diogenem*, *Socra-*
nobis proponamus: quorum Oraculo moni-
ue edocti, jam dudum sacram illam semitam
ressi sumus, quò spes & exspectatio Patriæ, pia
entũ vota, labor & industria Docentium nos
at. Et, inprimis, verè aurea, verè divina il-
Græcorum præcepta animis nostris reponamus
er quæ illud *Plutarchi*.

Μὴ ἀνὴρ σπουδαῖος, ὁ πολύτιμα ἱμάτια κεκτημένος; ἀλλ᾽ ὁ τὴν ψυχὴν γενναῖος. Et illud Athanasii: *Δεῖ μὴ μόνον ἀπέχεσθαι τῶν κακῶν, ἀλλὰ καὶ τοὺς τοιοῦτα πράσσοντας ἀποστρέφεσθαι.*

Cæterum, quod unum restat, ad opem Divinam confugimus. Deum Optimum Maximum ex animo invocantes, ut ille Sancto suo Spiritu quocunque locorum nos comitetur; ut Facem in nobis Sapientiæ suæ cælestis accendat: quâ in omnibus nostris rebus negotiisque illustrati, utilem aliquando operam cum Reip. tum Ecclesiæ adferre possimus. Ut, servati, tranquillique in mediis Studiorum undis fluctibusque tandem feliciter ad BONÆ SPEI CAPUT, Portumque Salutis nostræ deveniamus!

DIXI.

Alloquutio ad Promovendos,

JOHANNEM à NYEN-BURCH,

Et

EDOARDUM NEUHUSIUM, FIL.

Nobilissime NEOBURGI,

POst totum exactum Triennium sub meâ disciplina & manu, nunc Literarum studiis præclarè te imbutum ad publicæ Academiæ libertatem promoveo. Illâ spe & Fiduciâ, ut, peractis in majore theatro laboribus officiisque, tandem ALCMARIAM, ad patriam civitatem feliciter revertaris Ibique studiorum tuorum messem aliquando auream expromens, Magno Reip.

eip honori ac usui esse possis. Iturûs per vestigia
ajorum tuorum, illam quæ sacram orbitam, quam
mici tui, viri in familiâ vestra Nobilissimi, quo-
die tantâ virtute ac laudum certamine decurrunt.
ge igitur, Præstantissime Iuvenis, & illam Spar-
m, quam tibi à primâ Adolescentiâ proposuisti,
ndem egregiè exorna. Et ita virtutem, pietatem
omni opere exerce, ut à me hactenus edoctus
. Cave inprimis, cave tibi ab illis ingeniis, mo-
busque Hominum, qui felicibus tuis inceptis An-
iciisq; damnum adferre possint. Audivisti modò
Collegis tuis, quæ illa sit via, quæ ad veram eru-
itionem rectum aditum tibi paret. Illorum Tu
ctum filumque macto animo persequere. *Cæ-
ra, quæ ætatem & fata tua manent à Deo O-
imo Maximo piis votis precibusque exspecta.*

EDOARDE fili, per intimas pectoris mei
edullas, *Ego, Pater tuus* te adhortor, ut omnia
a consilia & cogitationes ad Omnipotentis
ei laudem & gloriam conferas. Neque ullo vitæ
æ tempore à sacrâ amussi pietatis ac virtutis re-
das. Ab isto enim principio feliciter se habent
mnes res humanæ. Nam *Pietas, sacer textus est,
l omnia est utilis, habetque promißionem hujus &
turæ vitæ.* Sine quâ hec Hominem Hominem
e judicio, nec Ego unquam Te filium meum
noscam. Pietati verò egregiam & excellen-
m bonarum artium scientiam adjunge: quâ &
clesiæ & foro utilis aliquando esse possis. Illò
arissimus Avus primum te ducit. Qui totos
XX annos Literarium hoc saxum volvit. Hunc
nos, proximo ex intervallo, non degeneres,
ro, consequimur. qui pari quoque annorum
mero hanc Pallada etiamnum exercemus. Ca-
, mi fili, ab istis nostris sudoribus, qui hominis
nè ætatem conficiunt, exemplum domesticum.
la enim Pietas, cum pulchrâ Doctrinæ laude

conjuncta sacra tua est anchora. Quibus, velut geminis remigiis, te attollere ab hac terrâ in cœlum debes.

Et nunc inprimis, quando meâ manu & disciplinâ ad aliud vitæ genus pertransis. Ad publicum, inquam negotium, & vitæ periculosæ forum. Vbi, ut statim coram monuisti, tot Monstra stabulantur, & Feræ immanes. Cautus hîc esto & catus; ne aliqua ex istis Sirenibus suavi suo cantu te fallat ac decipiat. Cum ingenuis Adolescentibus, quorum mores & vitam probe nosti, honestè conversare. Improbos, inertesque illos fucos, qui pietatis nulla habent rationem, canè peius & angue, fuge. Verbo dixerim: Perfice, mi fili, optata mea. unumque hoc age, quod Ego, quod Amici, quod Alcmaria, Cui uni Te filium unicum devovi, pariter à te exspectamus. Cæterùm, DEVS IMMORTALIS, ad sui Nominis gloriam, diu te sospitem & superstitem conservet. Vale.

Alcmariæ CIↃ. IↃCLXIII. *Idib. Sept.*

Gratiarum actio Discipulorum in promotione publicâ.

Tibi, *Clarissime, Charissime* D. RECTOR, pro paterno erga me affectu, pro sedulâ piaque institutione omni officio & observantiâ, me totum devincio ac obstringo. Qui me fideli tuâ manu & curâ per Profundum hoc studiorum pelagus euntem fideliter feliciterque duxisti. Tibi Deus O. M. vitam & vires porrò largiatur, ut *Illustri huic Gymnasio*, cum *Doctissimis tuis Collegis* facem felicem ac fructuosam præferre possis. Vt ex hoc loco, velut ex equo Trojano, innumeri prodeant adolescentes, qui *Celeberrimæ huic Civi*

tati,

tati, & populis finitimis operam suam præstare possint.

Vobis, *Nobb. Amplissimi DD. Consules*; Vobis, *Prudentissimi*, *Reverendi DD. SCHOLARCHÆ*, quod variis præmiis & honoribus luculenter me honoraveritis, par gratia nunquam à me referri potest. Semper *inclyti vestri Nominis* fidam memoriam apud me retinebo. De vestrâ *Civitate*, de Vestrâ *Ecclesiâ*, de vestro *Gymnasio* omnia sanctissimè testaturus.

Vobis, *amantissimi, Præstantissimi DD. Præceptores*, æternas quoque gratias pro benevolâ Vestrâ institutione, habeo. Hoc quoque immortalem Deum orans rogansque, ut porrò commissum vobis Gregem, quâ soletis, industriâ, ac fidelitate ducatis, doceatis.

Tu, *Nobilissima Corona Batavæ Juventutis*, sub præsidio divino age semper feliciter, talesque & pietatis & virtutis fructus profer, qui præsenti huic sæculo & posteris nostris utiles esse possint!

Joannes à Nyenburch, Alcmarianus.

Tibi, *Charissime PARENS*, novit Opt. Max. in cœlo Deus, quos ex intimo Ego animo gratias & habeam & debeam. Hoc unum ab *Immortali Numine* precor, ut tam diu in hisce terris superstes esse possis, ut dignum me aliquando videas hac *Illustri Civitate* Civem, ad quam ornandam cohonestandamque omnes animi vires nervosque jugiter intendam:

Vobis, *Nobilissimi Amplissimi DD. Consules*; Vobis *Prudentissimi*, *Doctissimi*, *Reverendi DD. Scholarchæ*, pro infinitis beneficiis, quæ à benignâ vestrâ manu nuper accepi, in omnem ætatem

ac vitam, singulari affectu me totum devincio ac devoveo. Faxit O. M. DEUS, ut porrò *illustri vestro imperio & Reip.* omnia prospera, omnia felicia succedant. Ut Sacro sanctæ hic *Ecclesiæ*; ut *Gymnasio huic nostro* fama suâ, & claritas quam nunc divinis successibus semel promeruit, diutissimè constet ac perennet. Nobis denique omnibus, & DOCENTIBUS & DISCENTIBUS, ea præcipuè sit cura & relligio, ut *inclytam* ALCMARIAM nostra virtute studiisque magis ac magis felicem florentemque faciamus!

EDOARDVS NEVHVSIUS.

Alcmarianus.

Hæ quatuor antecedentes Orationes sunt habitæ Alcmariæ, Examine autumnali CIↃ. IↃCLXIII.

ORATIO XX.

DEMOCRITUS.

Quod Vanitas rerum Humanarum sit deridenda.

Habita à

CORNELIO SCHAGEN,

Alcmariano.

NOn omnes Homines H. A. eadem æstimatione res mortalium metiuntur. Plurimi capti hujus mundi illecebris, & dementati caducarum rerum amore, easdem supra verum & fas extollunt. Quibus, meo judicio, contingit, quod amatoribus, qui deformem amicam rugis & maculis

naculis deformatam, sæpè ipsam HELENAM orporis pulchritudine exsuperare existimant. Equidem non providet animus verum, si ab amore aut odio occupatus fuerit. Nec enim homo libidini suæ simul & rationi paret. Cupiditatibusque uis obsequitur, & imperium Virtutis audit. Namque ut corpus nullam voluptatem admittit, nisi ptimè sit constitutum, & ab omni ægritudine acuum: Sic nec Animus veritatis gustum percipit, si perverso libidinum succo fuerit, imutus.

Longè nobis alia mens est H.A. cum res hominum consideramus. Quibus, certè, nihil vanius, nihil vituperio, risuque magis dignum. Sentio taque res Hominum ita comparatas, ut meritò b omnibus pro ludo & ludibus haberi debeant. olumque illum ex omnibus mortalibus ad sapien-tiæ apicem pervenisse, qui despicere res mortalium otest, prorsusque pro nihilo illas ducere. Quod um probare annitimur, optaremus nobis aut Momi dicacitatem, aut Democriti Cachinnos, aut Diogenis Æsopive nasum, Luciani morsus; aut potius sapientissimam Salomonis vocem, quâ vanissimam rerum Humanarum vanitatem graphicè est rosequutus.

Vos, Cæteri Catones, Heracliti serenate, uæso, paulisper frontem. Demite supercilia, meumque stultam Hominum insaniam largiter deridete. Si aliàs aures Vestræ Fori circulatoribus, fugivendulis, ineptientibus comœdis, scurris, Morionibus patent, quæ maxima stultitia est, pa-eant & nobis illæ exiguum nunc tempus. Quano vobis insanientium nugarum spectaculum hîc præbebimus. Equidem, universus hic terræ ambitus, nihil aliud est, quam quædam palæstra; & amphitheatrum, in quo ridiculi homines nugas uas exercent. Videbitis, *principes hic viros*,

omni stultitiæ apparatu insignes, in arenam procedere, & ingentes Morionum copias post se trahere. Utque eorum insania sit evidentior, sonitus tympanorum, clangor tubarum, procul splendentium signorum fulgor, tormentorum fragor, grassantem latè Stultitiam insigniunt ac comitantur. Illic *ridicula Deliriorum Phalanx*, ficto ad gravitatem vultu, superciliis contractis, barbâ promissâ, in theatrum sese infundent, & sub sapientiæ habitu, Stultitiæ fabulam ludent, nugabuntur, disputabunt, linguâ calamoque hostem lacessent, supera inferaque turbabunt. Alibi verò suis moribus ac ingenio *Fœmina* insaniet, amabit, faciem fucabit, ventosâ in linguâ Martem geret. *Equitabit in arundine longâ Puer*. Dilirabit decrepitus senex. Cæteri, ejusdem materiæ mortales, laxato dementiæ fræno, nihil sancti, nihil pensi habebunt. Tam stultè ac ridiculè se gerent, ut nec ipse sibi Cato à risu temperare possit. Homo vix annum vivendo explevit, cum manifestissima stultitiæ suæ exempla mox præbeat. Quid enim aliud est, puerum esse, quam desipere ac delirare? Odimus namque præcoci sapientiâ Pueros, quibus, ante annos, animus virilis. Nec quicquam stultius est, quam viros ætate maturâ hanc puerorum stultitiam sic fovere, sic amplecti, sic exosculari. Et quis non rideat meritò, tacitoque voluptatis sensu afficiatur, cum puerum baculo insidere, illumque, Equi instar, calcaribus conci tare, jam poppysmo excitare, jam in gyrum contorquere videt. At verò felicem hunc Hominem, qui cum puerili prætexta, simul stultitiam illam ridiculam abjiciat. Illa etiam sibi togam virilē indui patitur. Crescit cum annis stultitia. Quoquemagis ad senectutem acceditur, hoc propias ad insipientis Pueri similitudinem pervenitur. Nulla re nisi rugis à puero senex differt.

iffert. Os edentulum, corpus accisum, balbuties, garrulitas, oblivio, incogitantia. Audite de illa Poëtam Venusinum.

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti
Vel, quod res omnes timidè, gelidèque ministrat.
Dilator, spe longus, iners avidusque futuri:
Difficilis, querulus, Laudator temporis acti
Se puero; Censor Castigatorque minorum.

Audite quoque eodem argumento Satyricum:

Deformem & tetrum ante omnia vultum,
Pendentesque genas, & tales adspice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabiaca saltus,
In vetulâ scalpit jam mater Simia buccâ.

Sed non sum Ego illi petulanti splene Cachinno, qui pro merito & magnitudine stultitiæ humanæ satis dignè Democritum hîc agam. Tu, fortasse, mi Collega, plus oris & pectoris ad præsens argumentum habebis. Vos. H, Audd. admittite proximo hic loco Democritum magis eloquentem, qui meæ inopiæ, suâ, spero, facundiâ feliciter subveniet.

DIXI.

ORATIO XXI.

habitâ à

JOHANNE BRANDT. *Alcmariano:*

DEMOCRITI Continuatio.

QUidsi cum Menippo ex lunâ despiciamus ad hunc terræ globum, in eoque: ad tumultuantium hominum agmina oculos nostros convertamus, nonne vos videre diceretis muscarum, aut culicum turbas, inter se rixantium, pugnantium, ludentium, lascivientium, ridentium, flentium, nascentium, morientium? Nec leve hoc tantum vulgus hisce inneptiis obnoxium est: ipsi etiam sapientes, & mortalium primi Reges, Principes, eodem in luto hærent, iisdem stultitiæ vinculis irretiti. Quis illorum amentiam non videt? Vbi non plena hujus infamiæ exstant vestigia, ac Monumenta? at sapientes ipsos sæpe numero Reipubl. pestem existere, quis non miretur, indigneturque magis? hi, spreto uno Cæli, terræque Satore, *Deos stultos, Deos adulteros*, fures, parricidas, omni vitiorum fæditate contaminatissimos, & quod prorsus improbum est, serpentes, pisces, mures, solem, lunam, ignem divino cultu sunt prosecuti: Jupiter Deorum Maximus parricidii scelere infamis est, Jupiter fædo sororis conjugio sese polluit, cubilium omnium adulter qui, inflammatus perversæ libidinis æstu, Principes, fæminas sub formicis specie, aut serpentis, aut Cygni, aut fulminis compressisse dicitur? Venus, prostituto corpore, quæstum infamem fecit, suique nominis suavem appellationem mortalium animis ingeneravit. His ipsis Diis obscœnis, templa, & delubra & constituerunt: his prosperos victoriæ casus assignarunt, his totos ô pudor, & improbitas! se devoverunt.

Sed

Sed omissis istis : ad homines ipsos oculos nostros convertamus quorũ omniũ facile Princeps *Romanus ille Antisthes* , stultorum omnium stultissimus qui Christi Vicarius est , ac triplici insignis diademate Regioque splendidus fastu Persicã magnificentiam exsuperat. Hic magnâ Satellitum turbâ comitatus , aut sella eburnea , aut equo superbissimè instrato sublimis vehitur. Stultus, qui ad Domini sui vilem asinum , & contemptum discipulorum gregem non respiciat. Quid verò de ipsis *Regibus* , *Aulaque purpuratis ordinibus* hîc dixerim ? illorum in publico lascivies , stultitiæque exempla id quotidiè satis demonstrant. Qui infinito Satellitum stipati numero , nihil præter fortunæ suæ ludibria in obvium quemque ostendunt. Apud quos nihil pene serio agi videas. Semper pompæ , spectacula , theatra, Ludi Circenses, Olympia, Pythia, Cottytia, Bacchanalia: quæ spectantium animos ad libidinem, & voluptates irritat. Vbi pro fortissimis , optimisque habentur illi , qui pocula capaciora ebibere , qui ventri , gulæque plus aliis inservire poterunt. Vbi vita pars maxima transit in saltationibus ridiculis, in amoribus obscænis , in vaga licentia, & petulantia tot rerum inanium. Inter tripudia effæminatorum Sacerdotum , inter saltationes impudicarum virginum , inter mille fatuitatis humanæ Argumenta. Vt nihil hoc loco dicam *de assiduâ Bellandi consuetudine*, de cædibus, de rapinis , quas pro ludo , & joco habent. Nihil de iris , de odiis , quibus sola regnandi ambitione flagrantes improbè illi ardent. Scilicet ut imperia sua, & limites plus ultra semper protendant. Nullo prorsus pietatis affectu leviter moti, licet stagnantes humano sanguine fossas ante oculos videant ; circum tentoria sua tot cadentium, morientiumvè voces , gemitus , suspiria , singultus audiant. At utinam ! non

Doctorum virorum quoque Studia, sapientiaque hic vapulet! quorum tanta sæpe in ingeniis, actionibusque est varietas, & sæpe vanitas, ut nunquam satis dignis illorum temeritatem cachinnis excipere possim. Qui adeo nudi nominis famam aucupantur, qui publicas Cathedras, & pulpitra, nescio, quibus rixis, & contentionibus quotidiè complent. Nunquam infelices magis, quam, quando nihil argumenti est ad manum, quo provocare adversarium ad lites, & jurgia aspera possunt, inter quos infelicissimas Grammaticorum, & Poëtarum reperies dissensiones; de ineptiis suis, de vocula temerè prolatâ, de ordine sententiæ leviter turbato, aut impedito, pro pudor! certamina plusquam Gigantea. Tanquam si Regna, & Vrbes per inimicorum injuriam infestarentur. Aut proximus nobis Vcalegon gravissimo incendio deflagraret.

Multo minus quarè hasce turbas, & turbines miror in superbientium illo *de sua Nobilitate fastigio qui in* Generis sui splendore sic sese jactitant, tanquam Cælum ipsum Manutingant, aut cum Marte, & Venere de familiæ generositate contendant. Cum nihil pene ab imo Cerdone differant, ad Æneam, ad Brutum natales suos referunt. Ostendunt in atriis fumosas suas imagines, numerant proavos, *stantes in curribus Æmilyanos, nasumque minorem Corvini.* Cum ipsi non procul absint, à mutis istis statuis peneque iis ipsis, qui ostentant, signis, stabilisque sint deteriores. Dubito an hoc loco, adolescens, *de inneptiis fæminarum* dicere quid ausim. Quæ, præter faciem nihil curant, nihilque optant, quam ut viris placeant: Unde tot cultus, fuci, balnea, compturæ, odores, tot componendi, fingendique vultus artes. Quanti Miser amator, Dominæ suæ auram facit; quando ad omnem ejus vultum at-

ntius est; quanto labore in hoc unico se frangit; tigatque, ut ad illius nutum, & oculos totam rvitutem suam impendat? Quare non immeritò ato dubitavit, utrum Mulierem ad rationalium, brutorum numerum referret. Tota hæc homi-m societas vinculo unius stultitiæ juncta est, od si dissolutum fuerit ipsa societas desinet, ho-inesque in ferarum lustra secedent.

Ex hoc suavissimo stultitiæ afflatu, immane antum se quisquis ultra æquum, & honestum fert! quanto amore, & admiratione se ipsum osequitur! Sed si umbram tuam metiaris, Phi-ppe, non tamen majorem hanc factam invenies, am ante victoriam illa fuit. Nec vos Scribæ, harisæi, nihil nisi inanem gloriam, sititis, quan-o ità in opere vestro, factisque gloriamini. Ni-li prorsus res, sunt hæc mundana, quæ fortunæ stabilitati subjacent, tantâ cum animi flagratio-e appetere. Sic omnem ætatem libidini ac vo-ptatibus mancipare; sic aliena agere, se ipsum erò negligere. Pecuniæ curam habere, filiorum iorum educationem posthabere. In magnis, sub-mibusque negotiis desidem, ignavem, socor-em, esse; in parvis & exiguis sudare manibus, dibusque ad anhelitum usque, & suspiria, in re-us prosperis efferri supra modum, in adversis ani-os, hastamque abijcere. Professione sua simula-Christianum, privatâ vitâ ad omnem impieta-m se componere. Ad exteras gentes itinera suf-ipere longissima, multosque orbes & nationes equentare, se ipsum totum ignorare. Pudet me ltius in hoc stultitiæ penetrale Orationis meæ re-nigio pergere. Hoc tantum superest, ut altissi-na voce, cum Cicerone exclamem:

STULTORUM PLENA SUNT OMNIA,

DIXI.

ORA-

ORATIO. XXII.

HERACLITI,

Quod vanitas rerum humanarum merito sit deploranda.

Habita à

LUCA POSTHVMO *Alcmariano.*

MArcus Tullius Cicero. H. A. cum pro concione Stoicam disciplinam pluribus modis insectaretur, risumque Auditoribus dicteriis suis & cavillis moveret, Cato surgens dixisse fertur; *quam ridiculum Consulem habemus.* VirCensorius perstrinxit graviter hominem, quod minus dignam personâ suâ orationem haberet. Non dubito, mi Collega, quin gravissimi viri tacitâ animorum consensione, eandem in sententiam, mutato nomine, locuturi sint de te:

Quam ridiculum habemus oratorem.

Quod nunc ipse Democritus alio Democrito opus habeat. Te quidem de te ipso verum esse locutum haud negaverim, cum etiam stultitiæ imaginem, in te ipso, nobis omnibus ad intuendum proposueris. At verò, placeat illa tua tibi Dione; quam ut amplectaris molliter, foveas, atque exosculeris liberaliter, ferre nos facile possumus. Toto tamen erras cœlo, si in stultitiæ tuæ societatem cunctos pertrahere tu studeas. Quod aliquando Vulpecula fecisse legitur, ut convocato concilio, singulis suaderet, caudam sibi, tanquam inutile pondus, amputari, ne ipsa sola inhonestæ mutilationis infamiam doleret. Id tu imitatus videris, qui conscientiæ tuæ testimonio stulti-

tiâ

tiâ convictus, nos omnes tecum præcipites in eandem dementiæ navem, protrahere intendis.

Nunquã tamen efficies, ut in risum illum publicum nos effundamus. Talis namque humanæ sortis est conditio, ut eam non ridere, sed effusissimis lachrymis deplorare debeamus. Ego itaque in illâ sum opinione, tam miseras humanitatis nostræ esse vices, tamque duras, & sollicitas, ut vel ipsi Hannibali, aut Neroni, meritò lachrymas excutere possint. Facessant itaq; risus, valeant cachinni, absint verborum ludibria, & contumelia. Cum Heraclito potius communem calamitatem fletu gemituque prosequamini.

Historiarum monumentis ad posteritatem transcriptum est, plurimis nationibus in more positum fuisse, ut ad pompas funebres fæminas conducerent, quæ miserabili habitu, lachrymisque & ejulatu, lamentantium personas agerent, mortuosque deflerent. Hoc Caribus, hoc Alexandrinis, hoc Romanis, Hoc Hispanis in usu est. Quasi vero ad testandum animi dolorem, fictas aliunde lachrymas coëmere sit necesse, ipsa calamitatis magnitudo, reique acerbitas illas vel ultro elicere potest. Nunquam enim, ut cum Senecâ loquar, lachrymæ tam turpiter fluunt, quam cum finguntur: eant sponte suâ. Atque verò, qui miserabilem mortalium conditionem apud animum semel posuerit, ille abdicato Carinatum, Præficarumq; ejulatu, suis facile lachyrimis proprii, ut dicitur, fundi calamitatem deplorabit.

Exordium vitæ humanæ nunquid ab ejulatu homines incipimus? Eandem nunquid cum ploratu & lachrymis finimus? tota in curis, in laboribus, in miserijs vita hæc nostra exercetur. Ut nemo tam fero, & ferreo pectore esse possit, qui ridere hic possit, qui horum recordatione lachrymas conti-

continebit. Hoc corpus, quod ita excolimus, quod tanto in amore, & pretio habemus, ex impuro sanguine ortum trahit; inde infusâ; cœlitus vitâ, materno ex sanguine alitur; & donec ad maturitatem adoleverit, inter materni corporis fœtores, tanquam in squallido carcere, naturæ vinculis per longum tempus detinetur. Laxatis inde materni uteri claustris, & liberiorem in aërem protrusus infans, mortalem conditionem deplorans, à ploratu vitam suam, exorditur. Vagit in cunis, ejulat nutriculæ in gremio, cum materno lacte, & tenerâ pulte salsas lachrymas imbibit, tacitoque naturæ instinctu miseriam suam deplorat porrigit mammulas mater, blanditur nutrix, volvuntur sursum deorsum cunæ, exsuperat tamen doloris sensus, nulloque verborum aut cantus lenocinio lachrymæ cohibentur. Inde ubi in pedes insistere cœperit, & tremulo in cessu vestigia facere, quibus periculis misellus hic infans exponitur, quam facili in terram lapsu aut frontem sauciat, aut pedem luxat, aut alias corporis partes miserè affligit: ubi verò incrementum jam ætas ceperit, puer tam teneræ ætatis in scholas, tanquam in pistrinum mittitur, præceptoribus suis committitur: qui eum, ut rudem massam, ad Minervæ incudem expoliant. Tota deinceps vita, per labores molestissimos, per curas assiduas, sic exigitur; ut vix in toto die tranquillum liberumque spiritum ducere possit, sæpè ubi ad maturiorem ætatem annosque ventum est, ac de familiâ, de ducenda uxore consilium suscipiatur, jam dominam in domum induxit, pluribus cum ærumnis, quam olim Hercules ipse, conflictatur. Donec tandem ad extremos carceres, vitæque metam, per tot rerum discrimina, miseriasque perveniatur. Ubi, cum ex molestissimo itinere requiem jam captare deberet, novis primum malis ex ingruente senectute

tute

tuce circumvenitur. Vires tunc fractæ, manus tremulæ, oculi caligantes, os edentulum, ventriculus imbecillis. Nulla corporis pars penè molestia sua caret.

Videmus tamen proh dolor! quam multi mortales corpusculum illum suum in deliciis habeant, quam cuticulam studiosè curent, quam genio suo indulgeant. At verò, quantulum illud est, quod tanto amore prosequimur? an quid de formæ pulchritudine gloriamur; defleamus potius ejus vanitatem: quæ quantumque accedat ad annos, fit minor, & *Spatio carpitur ipsa* suo. Unius lucis febricula hanc exurit. Teneras genas, & serenam frontem rugæ deformes arabunt: lætas oculorum faces, & lucida sidera, mœsta mox teget nubes:

Hoc dentium ebur scabrities, & squallor obducet totus formæ decor in deformem habitum degenerabit. Deplora potius corporis tui fragilitatem, illam instabilem valetudinis conditionem. Quæ mala & miserias, si tacito apud te animo expendas, certè non video, qui vel unam horam in rebus lætis traducere possis. Tota Morborum agmina te circumvallant, ut nescias, an in unum autumnum, quando tot cædes fiunt miserorum mortalium, supervivere tibi detur.

Hinc vero si ad ipsum animum nos conferamus amplissima hic nobis lachrymandi materia, occurret. Primo in auspicio & aditu, cæca nostrâ ignorantia in pudorem nos dabit. Peccatorum magnitudo nos pondere suo obruet. Nullus Eurypus tot procellis & tempestatibus jactatur; nulla maria tam impacata, nulla flumina tam irrequieta, quam quibus quantisque malis malis hinc inde mens humana compellitur, trahitur, rapitur, deprimitur. adeo ut ne unum ex omnibus mortalibus dare mihi possis, cui vel unus dies, tam in sincera lætitia exigatur, quin aliquis illi

illi ab interno judice. conscientia, metus horrorque incutiatur. sive in hostem vindicta acri telo nos armet; sive ab odio, ab ira, ab affectu aliquo tumultuante transvorsum rapiamur: nullum namque in hac vita nostra purum putumque est gaudium. Voluptati semper dolor & comes: vita hæc nostra comœdia est, & tantum ludus aliquis. In quo unusquisque breve in tempus personam suam agit. Vita hæc, quam eripi nobis lugemus, ludibriorum est scena & miseriarum mare; per quod ut maxime ex voto feratur navis, tamen in multos scopulos inpingas; multis vadis obhærescas, necesse est. Quotidie vitæ nostræ aliquid demitur, & tunc quoque mori incipimus, quando primum vitalem hunc spiritum de cælo accepimus.

Merito igitur ego Heraclitum hic ago, qui cuncta hæc hominum negotia, atque studia effusissimis lachrymis prosequor nolimque quicquam in humanis rebus tam esse lætum, atque excelsum, quod non maximo dolore, quod non tristissimis ploratibus dignum esse judicem scilicet:

Flens veni in mundum & flens discedo, fuitque dum vixi, fletus, vita, dolor, gemitus.

DIXI.

ORATIO XXIII.

ARBITRI.

Habita à

GUILIELMO BOSCH. *Alcmariano.*

Nob. Amplißimi DOMINI AVDD.

CUm cogito Vanitatem humanarum rerum, stolidamque mortalium dementiam, deliros mores, stultos conatus, actiones ridiculas, parum

parum abest, quin cum *Democrito* in altos Cachinnos effundar, tam insolens mihi, tam ridicula rerum humanarum facies apparet. E contrario vix à lacrymis mihi temperare possum, cum miserabilis humanitatis conditio, & tristissima tot curarum, tot molestiarum imago oculis objicitur. Tum vero abductus à stultitiæ suæ Theatro, ad sapientissimi Gubernatoris curam & providentiam vultus meos converto, & animorum nostrorum solerciam, quibus ad Divinam prudentiam accedimus, jam non video, quid causæ ac rationis sit, ut non excellentem illam particulæ Divinæ imaginem summo amore cultuque & Veneratione prosequar. Cohibeantur lacrymæ & in verum gaudium mox erumpo, quando cælestes animi dotes, vimque nobis à supremo Numine insitam, corporum nostrorum fragilitati oppono,

Ego itaque in illâ sum opinione, A : H : non risu Sardonico humanis rebus esse indulgendum, nec perpetuis ploratibus, ob præsentem calamitatem diffluendum. Invenio in homine clarissima Divinæ benevolentiæ testimonia, quæ omni deprædicatione encomiisque sunt digna. Neque tanta calamitarum nostrarum est magnitudo ut nulla prorsus solatia suppetant, quæ exulceratum doloris censu animum recreent, nubemque illam mæroris dispellant.

Quod olim Eloquentiæ Magister Cicero ajit: *Modus est optimus*, Illud etiam in re præsente locum tenet. Modus debet poni tum risui, tum fletui, intraque suos cancellos & limites continendi hi gemini affectus humani ingenij, ne aut ab honesti tramite deficiamus, aut ultrâ legitimum spatium insolentius evagemur. Risus jucundis esse debet, sed tamen decorus. Lacrymæ ex justi doloris pressu erumpere suâque sponte fluere non irritari debent. Ab illo absit malitia & cavillatio.

Ab

Ab istis indignatio & fucus. Ab utroque licentia effrænis. De *Hannibale* ad posteritatem transmissum est, quod cum Romanorum legati à devictis Carthaginensibus primum tributum exigerent, totus populus ob impotentem fortunæ faciem in luctu est mærore versaretur, effuse riserit, patrieque calamitati insultaverit. Etiam *Demonax* tempore Hadriani Philosophos cum egestate suâ ac ærumnis colluctanies risu & cachinnis excepisse dicitur. Nec non generis humani hostis *Diabolus*, primos mortales, quando illius ope & auxilio, in fatalem peccandi licentiam, prô dolor! incidissent, pro ludibrio habuisset. De *Nerone* commemorant historiæ, quod cum Romanam Urbem vidisset incendio flagrantem, non à summo gaudio & hilaritate sibi temperavit. De *Cassandro* Antipatri filio, quod Barbaros Alexandrum adorantes sibilis ac cachinnis sit prosecutus. De *Tyberio*. Imperatore, qui, cum Iliensium Legatos de morte Drusi præpostero officio condolentes intelligeret, sibi quoque dolere respondit: quod Hectorem fortissimum Civem amisissent. Sic quoque *Constantius* Imperator triumphali curru Romam nunquam antea visam ingressus, populum Rom. ad risum commovit, quod portas Urbis celsas & fastigiatas, arcusque triumphales præaltos & latos, homo parvæ staturæ, more Anserum, læsionem veritus, caput incurvaret. Sic *Thales* aliquando in foveam incidens à Thracense Servâ ludibrio acceptus est: quod ea, quæ in Cælis essent, curiosè contempl retur eorum, quæ in terrâ, nullam cogitationem haberet: Sic meritò ludicrum sui argumentum præbuit *Menecrates*, qui, cum Jovis se filium appellasset, à Philippo ad convivium invitatus, odoribus suffitibusque est honoratus. Tandem verò edendi aviditate stimulatus, cum multorum opprobrio hominem se esse didicit.

didicit. Equidem multa ſunt in rebus humanis, quæ etiam in Viro ſapienti meritò riſum excitare valeant. Attamen meminiſſe quiſquis debet, quod multa humano genero Divinitus bona ſint conceſſa, quæ non protervè ridere, ſed ſuo quoque honore ac reverentiâ proſequi debemus. Quis enim tam impudens, tam imprudens, qui mentis humanæ præſtantiam unquam derideat, quâ proximè ad Dei immortalis felicitatem accedit? illam vim humanam, prudentiam, ſagacitatem, quâ abditos Naturæ receſſus, quâ Cœlum, terras maria penetrare? quâ latentem in Democryti puteo veritatem poteſt indagare.

Quemadmodum, A: H: momis eſt mimis iſtis ſuos terminos nunc meritò propoſuimus: ſic etiam nolumus, ut ſemper Heraclyti vos ſitis, ut pleno lacrymarum torrente ubiq; locorum res mortalium deploretis. fateor Pœtæ noſtri verba vera eſſe, & plus, quam Aurea:

Molliſsima corda.
Humano Generi dare ſe Natura fatetur.
Quæ lacrymas dedit. Hæc noſtri pars optima Cenſus.

Sed tamen modus eſt ponendus iſtis capitis noſtri Cataractis, ne in immenſum illæ exſpatientur; quaſi novum humano generi Diluvium minitari videamur. Tunc jure nobis flere licet, quandò alienas miſerias, ſive noſtras coram intuemur, quandò repub. per arma hoſtum diripi; quando libertatem, Eccleſiam Eheu! ſuis injuriis vexari videmus. Quales lacrymæ ſæpe ipſis hoſtibus ſunt excuſſæ, certè non infidum commiſerationis humanæ teſtimonium.

Quemadmodum de *Alexandro Magno* teſtatur Hiſtoricus, qui cum victum Regem Darium, & à Beſſâ Satrapâ perfidiosè vulneribus confoſſum videret,

deret, in acerbissimos fletus prorupit; demptaque sibi ipsi chlamide, illa jacentis corpus contexit. De *Marcello*, quando captæ Seracusæ; de *Scipione Africano*, ubi Carthaginem excisam; de *Lucullo* bello Mithridatico, cum Urbem Amasin exstinctam videret. Neque in *Vespasiano* Cæsare admirari debemus, quando eversis Hierosolymis à lacrymis abstinere non potuerit. In *Julio Cæsare*, cum Pompeji Generi sui mortem; in *Octavio*, cum Antonii miserabilem Vitæ excitum intellexisset. Quam piæ, quam relligiosæ Christianorum sunt lacrymæ, quas super Ecclesiæ cladibus & calamitatibus hoc tempore profundunt? quando superbos, bellorum habere successus, immanem Schytiæ Tyrannum videmus. Qui nihil quam clades, quam funera, quam necem eructat, tot Gentium ac populorum terra marique. Quandò nec ipsi hostes crudelissimi, nec sævi miles Ulyssis temperet à lacrymis. Neque ipsum, ut sacræ literæ nos docent, *Servatorem* nostrum fletibus genas suas osque sacratum irrigare puduit. Defuncto imprimis *Lazaro*, destructa *Hierosolymâ*, & cum in cruce maledicta nobile illud depositum corpus suum pro nostris peccatis in speratam Victimam offerret. Quem relligiosissimus Prophetarum Rex *David* imitatus, cum coram omni populo, quando Abner ex Vivis excesserat, magnum ploratum edidit. Cum Ammonem ab Absolono in conflictu cæsum interfectumque audivisset, postea Absolonum ipsum magno dolore animi est prosecutus, adeo ut Victor exercitus non triumphantis, sed fugientis specie in Vrbem intrare cogeretur. Ita *Hieremias* Propheta fecit, eversis à Nabuchodonosore Hierosolymis, cum plena Verborum commiseratione, quis dabit capiti meo aquam, diceret, & Oculis meis fontem lacrymarum? Ita *Nehemias*, *Daniel*, *Israelita*, *Elysam*, quandò affligi

affligi opprimique sanctissimum Dei Populum videret.

Revertor ad Historiam profanam, in qua primò occurrit Persarum Rex *Xerxes*, qui in Abydenis campis, cum copias suas, pene innumerabiles, oculis subjiceret, multas lacrymas emisit: scilicet, quod tanta hominum multitudo, ad breve tempus, aut Fato, aut alia vi necessitatis esset interitura. Post illum *Marcus Coriolaus*, qui, matre, conjuge, liberis pro Patriæ liberatione deprecantibus, in uberrimas quoque lacrymas prorupit. Inter quos Heroas, si non nostri temporis illum belgicæ libertatis Atlantem, Patrem patriæ, Principem Auriacum MAURITIUM commemorem, certè parum pius gratusque in Divina illorum merita existerem. Ille, quandò memorabilis illa ad Neoportum in Flandriâ, pugna commissa esset; victorque Ille parva militum manu, ingentes hostium copias cæcidisset, non sine lacrymis, flexo in Arenas poplite, junctis in Cælum manibus, æterno & immortali Deo sanctissimas gratias habuit, quod Ipse durissimo Necessitatis Articulo, iam paterno amore, dilectum sibi Belgarum populum prosecutus esset.

O illum rigidum, & verè ferreum hominem, qui laborante rerum inopia Repub. siccis ea tunc genis intueri possit, cum vel ipsum obstinati animi Catonem, cæsa Romanorum cadavera, cadentibus ubertim lacrymis mitigarunt. Absit tamen ut fracto & delibato animo res omnes deploremus, cum multa suppetant solatia, quæ spe certissima nos reficere & recreare possint.

Igitur, ne in immensum excrescat mea Oratio, A:H:, quod initio dixi, tandem, pro sententiâ meâ, Arbitrique persona, decretoria Voce, auribus animisque vestris insertum volo: Quod nec

risui indecoro, nec lacrymis immoderatis sit obsecundandum.

Cæterum, hoc unum à Te petimus, O Æterne & Omnipotens Deus, ut nobis singulis adesse sanctißimo tuo Spiritu digneris, ut studiorum vastißimum hoc pelagus, quod modò ingredimur, felicibus Auspicijs enavigare. Ut Reip, & Ecclesiæ negotiis aliquando nos utiles, optatam Patriæ nostræ messem fructumque adferre. Et Illustrem hanc denique, quam incolimus, Alcmariam, fama, Ingenio, industria nostra juvare, ornare, illustrare possimus.

DIXI.

ORATIO XXIV.

De

BIVIO HERCULIS,

Ubi ex Xenophonte describitur Herculis fluctuatio, Exordio sumpto à Virtutis & Voluptatis pugnâ.

Habita à

THEOTARDO ab AYLUA,

Nob. Frisio.

STat vigil oppositis horrenda in prætia si quis
VIRTUTUM veneranda cohors, & fortibus ausis
Luxuriem contra & tot tela adversa Cyclopum
Intrepidum tentat Martem, pulchrisque sub armis
Conserit assiduam, dextro conamine, pugnam.
Nec mora, nec requies. Semper malesuada *Voluptas*

Instat,

Inſtat, & infeſtas movet in certamina viris.
Nequitiæque feras acies, Lemurumque Catervas
Tartareas in bella vocat. Glomerantur in unum
Infames ſcelerum vultus, validoque furore
Bellum atrox, immane! parant. Jamque impete cæco
Virtutem pariter cupiant radicibus imis
Vellere, & à totis longè proſcribere Terris.
Sic fervet Mavortis opus; ſic prælia paſſim
Vulneraque inter ſe miſcent, Martemque fatigant,
Dum caput Eois Sol aureus exerit undis
Purpureum, & clauſo dum frontem obducit Olympo.

Interea *Virtus* nullo tremefacta tumultu
Majus tentat opus. Non circumſtantia tela
Iræque inſidiæque ſuâ ſtatione movebunt
Intrepidam, ſævis ledet hæc immota periclis
Interius, ſtimuliſque animos flagrantibus urget,
In laudum famæque vias, perque ardua rerum
Tendit iter, ſeſeque auſis illuſtribus ardet
Pigrâ tollere humo, pulchreque aſſurgere ad Aſtra,
Et gemino æthereum metiri nomine Olympum.
Mille edocta modis ſcelerum depellere formas;
Et recti ſervare vices. Compeſcere inanes
Illicitosque animi motus, maleſanaque mentis
Gaudia, & illicitos Bacchi ſpreviſſe furores.
At mala Luxurios, non uno prodiga Cenſu,
Virtutis remoratur iter, frænoque remiſſo,
Non patiens torpere unquam ſua regna veterno.
Fertur in arma furens, Stygioque afflata veneno
In rabiem Martemque ruit, ruptoque pudore,
In commune nefas laxis graſſatur habenis.
Jamque ardet juvenum fœdo diſſolvere luxu
Pectora, & immodico mentes hebetare Lyæo;
Captivoſque animos firmâ retinere catena.
Et neſcit furor ille modum, cumuloſque malorum

Congerit, atque suo applaudit scelerata furori
Luxuries, semperque Homini contraria suadet.
Has etiam pugnas atque hæc certamina tanta
Maximus ALCIDES, genus alto à sanguine Divûm
Illa Jovis Magni soboles, cui Gentis avitæ
A Superis se jungit honos, & Stirpis origo,
Expertus quondam, cum primo in flore juventæ,
Hinc virtus generosa, illinc, velut improba Siren,
Heroëm ardebat trahere in sua castra Voluptas.
Nos ergò addicti Studiis, Castrisque Minervæ,
Et Phœbo sacrata cohors, quos turbine eodem
Perpetuò Fortuna rotat, casusque per omnes
Versat, & alternis tentat sors cœca periclis,
Herculis has curas, dubiæ & discrimina vitæ,
Et varios casus, variæque incommoda sortis
Mæönio canimus plectro, dulcique cothurno:
Vt juvenes fædi devitent gaudia Luxus,
Et scelerum prædulce nefas, damnosaque Bacchi
Orgia, & intrepidè virtutis signa sequantur.
Et vitæ melioris iter, pulchrasque per artes
Deducant docilem, pulchro conamine, montem.
Vt satus Alcmenâ florentis prima Iuventæ
Tempora, primævique exegit temporis ævum,
Et bullam appendit Laribus, pinxitque virentes
Barba genas, virosque dedit jam firmior ætas,
Multas sollicito versat sub pectore Curas,
Iamque subit, teneros studiis queis destinet annos,
Et robur juvenile suum, florentiaque ævi
Tempora, per quas nunc animum circumferat artes.
An, pube in primâ, pulchræ vestigia laudis
Festinante gradu tentet, turpemque perosus
Luxuriem, soli sacret sua tempora Phœbo.
Mane erat, & roseo Titan patefecerat Orbi
Illu-

Illustrem splendore diem, cum Sirius ardens
Ferveret, & latè siccos exureret agros.
Fortè viam biferi signat per jugera Penthei,
Juxta Asropæos fluctus, ubi leniter undæ,
Lætaque manantes saliunt per gramina Lymphæ.
Hic graditur, sylvasque omnes, camposque pererrat.
Suspensoque graves curas sub corde volutat.
Vtque venit, partes ubi se via findit in ambas,
Tales sollicito deprompsit pectore voces:
Heu! quam me dubiis jactant Fortuna procellis!
Quàm me fata premunt! Quibus & mea vita periclis,
Totque novis premitur curis exercita semper.
Quo res nostra loco? misero quid denique restat?
Anne sequar VIRTVTIS iter? perque aspera rerum,
Per multas animi curas, per acerba laborum,
Ad decus & laudem tendam? Num, Criminis insons,
Justitiæ sanctum venerer pietate tribunal?
Æternæque mihi captem solatia famæ?
An potius Luxum, & generosi munera Bacchi,
Post habità Virtute, sequar? ruptoque pudore
Ingluviem dapibus pascam, ventremque Lyæo,
Immodico; & pulchram sic mergam in pocula mentem?
Dixerat. Ambiguumque animum sententia duplex
In diversa trahit, mentemque per omnia versat.
Sic animi pendet, sic fluctuat, ambigit anceps.
Vtque fatigatus per devia rura viator
Tendit iter, variâque errans regione viarum,
Stat dubius; gressus nunc huc, nunc dirigit illuc;

Seu, velut in tumido fertur vaga cimbula Ponto,
Insurgente maris rabie, dum concita cœlo
Æquora turgescunt, Piceo dum noctis amictu
Terrent cuncta, nigroque dies absconditur imbre.
Illa errat scopulos inter, fluctusque furentes,
Jactaturque noto; & spumosis volvitur undis,
Incerto volitans cursu, jam carbasa flabris
Ventorum disrupta fluunt jam puppis, & ipsæ
Antennæ malusque gemunt, totoque profundo
Errat, & immiti debet ludibria ponto.
Haud secus Alcides Heros per opaca viarum,
Et nemorum ambages rapitur, nunc littera longè
Respicit, aut fessus celsis in montibus errat;
Nunc fontes juxta recubat, nunc flumina circum,
Et nunc in viridi deponit membra salicto.
Incertus quid agat, quid, dextro Numine, tandem
Incipiat, Superum jam celsas conspicit Arces;
Nunc oculos deflectit humi, nunc lumina coram
Oraque fixa solo retinet. Sic fluctuat Heros,
Perpetuusq; timor dubio cor lancinat ictu.
Incertus, quò Fata trahant, quò Numina ducant.

DIXI.

ORATIO XXV.

Accessus Divarum,

VOLUPTATIS & VIRTUTIS

Ad Herculem. Quæ ab ornatu & cultu suo describuntur.

Habita ab

ADRIANO BAART. *Alcmariano.*

VOLUPTAS.

PRogreditur lasciva Venus, cui forma decora,
Et facies sic culta satis. Decus eminet ore,

Virgineum, luduntque sui per colla Cylindri.
Quo splendore queat multos in prætia secum
Poscere & ingentes palmas sibi sola mereri,
Arte laboratæ vestes, & purpura totam
Exornant Nympham. Speciosa per omnia cultu
Eminet, insignemque sui capit undique plausum,
Finitimos inter, nulli fas addere quicquam
Corporis, ingeniique bonis. tota est sine Lecti
Compare, & egregio cunctas micat inter honore.
Argento que auroque nitens, ostroque superbo
Provocat Actiacâ Cleopatram in classe morantem.
Incedit petulans; gressus mollesque levesque
Molitur. Nunc huc, nunc illuc splendida volvens
Lumina. Miratur sese, qualis generosus
Pavo solet; quando fulgentes cauda fatigat,
Auricomi solis radios, ipsæque videntur
Emicuisse Deæ Charites. Frons emicat alta
Quæ niveo caudore nitet, blandoque colore
Splendescunt geminæ malæ. pars maxima pallet,
Pars flammis rutilat. Velut inter Lilia verna
Emineat Rosa; vel niveo cum purpura lacte
Mixta fiet. Pulchris fulget redimita smaragdis.
Ardescunt, sub fronte, faces, quibus arma manusque
Ipsa Venus, Venerisque puer sibi commodat: ille
Cum pharetram quatit, & solitas se vertit ad artes,
Colle super Pindi, Paphio vel vertice sacro.
Seu terris delubra movet, seu sidera passim
Sponte suas capiunt flammas, & Iuppiter ipse
Ardentes spargit tædas, ignesque coruscos.
Sic uno Jove vix minor, inferiorque serenam

Cæsariem ostendit. Coeunt rutilantia labra,
Quæ longè separant propriis fulgoribus ostrum.
Quando aperit, tenuique suum deducit hiatu
Os, nitidi dentes fulgent: quibus ipsum ebur album
Cedit. Non aliter, quam si circumdaret auri
Splendentes fulgor baccas. Rorantia fluxam
Mella nivem, cum jam gelido descendit ab axe.
Aureus à Collo torques dependet in armos,
Quem Ganges, vel quem picti misere Gelones.
Velleris aurati spolium, quod Colchide raptum
Afferere s; Vel quod Midæ, vel divitis Indi
Principibus potuit cultu pretioque placere.
Quid referam roseos, comptosque ex arte capillos,
Quos natus compsit Veneris? Quid pectora & artus
Formosos, mammasque pares, quæ, fortè, Catoni
Aut Cynico placuisse queant? Quid cætera pulchri
Corporis admirer? Tota est Venus aurea, pulchra
Tota est, nulloque apparent in corpore nævi.

VIRTUS.

At Virtus, cujus species magis æmula Divûm,
Incedit gressu simplex, & Dogmata pandit
Socraticæ studiosa Scholæ. Cui sacra Minerva,
Justitiæ incorrupta Soror, probitasque fidesque
Sola placet. Cui non una est Chari atque Leporum
Copia. Centenæ junguntur pectore in uno
Virtutes. Tanquam cælo demissa potestas
Tot Venerum, sanctique chori: quam primus in orbe

Tunc

Tunc Phœbus vidit. Pietas, quæ sidera lambit,
Et superûm celsas arces, huic fida ministra
Adstitit à latere. Hæc tali stipata catervâ
Inde incedit ovans. Prorsus non usa venenis
Assyriis, vultum quibus hæc humectet & ora.
Singula si pendas animo, pulchra omnia nata
Sponte suâ, nullusque decor quæsitus ab herbis
Æsoniis, queis, turpè! superba Semiramis olim
Tunc Ducibus placuisse suis, potuitque marito.
Frons, index animi generosi, signa potentis
Majestatis habet. Quâ, forsan, saxa movere
Threïcius quondam potuit, cum flumina voce
Sisteret, & mutas animaret sensibus Ornos.
Os Virtus sublime gerit, faciesque modesta,
Et sermo blandus, comisque, affabilis omni.
Qualem optem nobis habitum, speciemque Juventæ
Almeriæ, quando Musas intecta vocaret,
Auspiciumque operum faciens in Apollinis Æde.
Alma Pudicities, prisci Candoris imago,
Optima dos, cælo quondam quæ credita Nymphis,
Huic germana fuit, pulchrisque elucet ocellis.
Hos quando adspicies, sunt Phœbi lampadis instar,
Qui Genium possent inflectere penè senilem,
Et multum turbare animos exiguibus istis.
Cætera sunt animi Mentisque insignia tanti,
Ut non ipsa Venus placeat magis, omnibus horis,
Vlli dilecto, Idaliâ super arce, suorum.
Simplicitatis honos manifestâ in luce coruscat,
Non unâ te laude probans. Generosaque promit
Musarum cunctos numeros, fidibusque canoris,
Et testudineo modulatur pectine carmen,
Quale meos optem Vates tunc scribere posse,
Mecænas, quando Mavortem & bella ciemus,
In medio, pacemque domi, & concordia læti
Fœdera sancimus. Non hæc est unius artis

Dexteritate potens. Quicquid fas dicere pulchrum
Virtutis proprium est. Et, quæ Naturæ negavit
Hactenus in multis, illi hæc concesserat uni.
Sic Regina potens VIRTVS, sua Numina terris
Ostendit, gratamque sui vel sponte relinquit
Materiem Procerum turbæ, totique popello.
Omnibus una modis, supra decora alta parentum,
Quæ tanti faciunt hæc nostri frivola mundi,
Præripiens laudum titulos, & Præmia facti.

DIXI.

ORATIO XXVI.

VOLUPTATIS.

Quâ Illa Herculem à Virtute ad se pertrahere studet.

Habita à

GUILIELMO MOLL à NYENBVRCH.

Nobili Batavo.

MAgna Jovis magni Soboles, Sate sanguine Divum,
Stymphalidum victor volucrum. Qui fortis in ipsos
Inferni invadis Thalamos, Phlegetontaque Diti
Eripis, & miseris præstas nova gaudia terris,
Halcyonumque dies. Toties qui Marte secundo
Busirim, & natos cælum rescindere Fratres,
Titanumque domas rabiem, victisque triumphas
Hostibus, & spolio non unâ ex Gente superbis.
Dulce decus, columenque meum, mea jussa capesse,

Me

Me ſequere, & placidæ juvet indulgere Quieti,
Optatam capere ac requiem. Sat triſtibus Iris,
Sat Marti, Furiiſque datum eſt. Nunc pectore læto,
Nunc liquidis opus eſt animis, nunc pellere curas
Fas eſt deliciis, & noctem ad vina referre.
Adſpice, ut aſſiduo VIRTVS mæſtiſſima luctu
Ambulat, & nullâ ſibi nunc ſpem fronte ſerenet.
Ut longè decor omnis abeſt! ut corpore toto
Stat macies, pallorque genas, Eeu! triſtis inumbrat!
Nullus in ore rubor, totum tegit undique corpus
Ægra curis, turpique exſtant rubigine dentes,
Et læſi lacrymis oculi. Sic vultus, & ora,
Sic Hecubæ quondam facies, cum, judice Pyrrho,
Coram Grajugenis caderet Polyxena caſtris.
Quidquid adeſt, fœdum. Non illi ſplendida ſurgunt
Atria, non Pariis auguſta Palatia ſaxis,
Aurataque domus. Parvi loca ſordida tecti
Incolit, & tenues caſulas. ubi paupere menſâ
Vivit, & ingrato penitus trahit aëre lucem.
Si placidus feſſos ſomnus complectitur artus,
Et ſerpit per membra ſopor, luculenta parantur
Stramina, & in duris, fas eſt, vigilare catenis.
Nulla ubi de Serum pretioſo vellere veſtis,
Quæ corpus decoret. Sunt viles undique panni.
Par Dominæ infami, par tectis ipſa Supellex.
Illa quidem pulchram pulchrâ ſub imagine mentem
Aſſimulat, vultuque fidem mentitur amico,
Inſidiiſque Doliſque potens. Sed triſtia toto
Secum corde agitat, variis obnoxia Fatis.
Mille modos, mortiſque vias, per acerba laborum,

Hîc patitur. tanquam toti ludibria mundo
Debeat, & nulli quæ sit dilecta per ævum.
Nunquam epulas mensæ dulces, non splendia cernit
Atria, ubi lætis fervent Convivia tectis.
Perpetua anxietas animi, quâ nocte laborat
Atque die, Cessant omnes in Carmine Musæ,
Et nunquam hæc Risus faciles, facilesque Jocique,
Et salibus recreata suis mens ipsa. Perenni
Vivitur hîc luctu, &, nisi mors, vita ipsa videtur,
Quare age, VIRTUTIS tandem discedito Castris,
Indocilis graviora pati. Si molliter ævum
Exigere, & placidæ cupis indulgere quieti,
Hanc refuge, & nostris, fac, sis bellator in armis,
Vexilli pars magna mei. Me amplectere solam,
Meque adamesque unam. Sic nobis tempora surgent
Aurea, sic alio ducetur vita paratu.
Quid juvat adversis Martem exercere sub armis,
Et miscere manus manibus? jam cogere in arctum
Agmina, jam Letho decurrere proxima ferro?
Aut aperire vias, aut Mortem quærere in ipsis
Funeribus, Stygiisque animam damnare sepulchris?
An gelidas tolerare hyemes; cupis aspera brumæ
Frigora, Caucascasque nives, Scythicumque Aquilonem,
Ventorumque pati rabiem? seu fervida Cancri
Lumina, & æstivo flagrantes Sole Leones!
An potius longa gradens Venator arenâ,
Insidias ponens avibus, vel figere damas.
Auritosque sequi lepores! aut lustra ferarum

Scrutari,

Scrutari, mollesque oculis secludere somnos ?
Desipis, & stultis hinc, indè erroribus actus
Niteris in vetitum, Pudor est, mea gaudia, meque
Despicare. Heu, regni, rerumque oblite mearum!
Tu mea jussa sequi renues; Tu Numina nostra
Vana putas, nullaque poli ratione teneri ?
Sum Dea, sum victrix Regum, Regina Voluptas.
Diis Hominique placens. magnum quà Phœbus Olympum
Circuit, atque oriens nigris se tollit ab Indis,
Illic suspliciter mea Numina quisquis adorat,
Et vult esse minor nostris inglorius armis.
Vix Deus Oceani laxum sinuaverat arcum.
Principiò, medioque orbem suspenderat axe,
Ecce, mali longam seriem, junctosque catervas
Ægrorum, mortesque ipsas in limine primo,
Cum nondum herbarum vires, & nomina nota
Nondum Diva Ceres flavis se ostenderat agris,
Et graciles pingui glandes mutâret aristâ.
Vultibus hærebant lachrymæ, populosque per omnes
Pallida Lethifero squallebant corpora morbo,
Omniaque assiduis torquebant pectora Curis,
Et Nemesis sua cuique fuit. Frigus, sitis, æstas,
Dura Fames, duri series immensa laboris
Pone sequebantur miseros. Laxabat Avernum
Cerberus, immites lassabant Stamida Parcas.
Hoc ubi terrarum & summi moderator Olympi
Viderat, in multam & duci mortalia noctem,
Letheisque primi nebulis, stetit altus in altâ
Arce poli, & tandem his dictis profatur amicis:
Huc ades, ô magni proles Augusta Tonantis,
Grande VOLVPTATIS Numen, pars maxima cœli.
Tu sanctum penetrale suli, sanctosque recessus

Musarum, & miseris mortalibus addito hono-
rem,
In Thalami vitæque fidem: ne stirpis origo
Humanæ ad paucos iterum labefacta recurrat.
Affer opem afflictis, & spes sit, Numine nostro,
In manibus, toties ne mors exultet Avernis.
Dixerat Omnipotens, cum Cœlo Diva Vo-
luptas
Prosilio, & magni perago mandata Parentis.
Mutatur mox scena fori Languescere cernis
Languidulos animos, est, me veniente, salutem,
Et vitæ acceptum reddi melioris honorem.
Diffugit malesuada Fames, luctusque Laborque,
Et conjuratæ terras everiere Curæ,
Ad Stygias, sine sole, domos. Simul invida Vir-
tus
Exulat, &, quidquid cuiquam ferale, recedit.
Scilicet ille dies oritur, Quo, Numine læto,
Omnia læta manent populis. Ceu turbida quando
Æquora feponunt, & prodit lætior aura,
Oceano, Zephyrique leves in regna recedunt.
At tamen abjectâ videor tibi vilior algâ,
Diva potens, meque usque fugis? Da vela retror-
sum
Si sapis, & felix à nostris partibus adsta.
Adspice, quam paucos decurrit vita per annos,
Circumscripta brevi Spatio! Semel omnibus idem
Terminus, & cunctis pariter movet Æacus ur-
nam.
Non Doctrina movet Lachesin, probitasque Pu-
dorque,
Aut virtutis amor. nihil est, nihil inclyta stirpis
Gloria, nobilitasque Fori. Quanquam Iove
magno
Descendis Deus, & patrium venerans Olympum.
Imperiis spoliisque potens, tamen improba Clo-
tho

Te

Te promet, & duris ſemel exercebere Fatis,
Si mens vera agitat. Non ſemper, Numine dextro,
Luxuriabis ovans, nec dulci afflaberis aurâ,
Aut aderit ſors læta comes. Mutabitur omne
Quod pulchrum, & breviter rerum ſic tranſit imago.
Quare age, te noſtræ jam nunc concede cohorti,
Dum vires annique ſinunt. Quod ſi mea miles
Arma capis, rectéque voles parere Monenti;
Diſcedet fera tempeſtas. Non Martius horror,
Non Bellona furens placido tibi ſomnia rumpent
Non triſtes Hyadas metues, non turgida ventis
Vela dabis, Nereïque feres diſcrimina. Non te
Tranſvehet infidâ fallax Fortuna carinâ,
Per Ponti pelagique minas. Sed nectare vivo
Inter Nyctelias traduces tempora Nymphas.
Quod ſi meos tranquilla parum, ſi maxima quondam
Monſtra tuæ tulerint faſtidia triſtia vitæ,
Hic Fati limes, locus hic, portuſque Quietis.
Huc ades, hic, curarum expers, ſperata tenebis
Gaudia, gaudebiſque meo conſueſcere amori.
Sin autem à virtute paras diſcedere, teque
Thyrſigeri recreant jam dulcia munera Bacchi,
Cecropiique ſales, & deſidis otia vitæ,
Heic plura invenies, Alcida; Hic tota bonorum
Scena patet, noſtriſque iuvat conſiſtere regnis.
Ergo age, feſtines tanti pars eſſe Theatri,
Et ſequere hæc meliora Deûm veſtigia Quò te
Nunc pariter Superi invitant, vocitantque Potentes.

DIXI.

ORA.

ORATIO XXVII.

VIRTUTIS.

Quâ illa Herculem à Voluptate ad se pertrahere conatur.

Habita à

SIMONE ASSENDELFT.

Alcm.

MAgnamine ALCIDE, magni Jovis inclyta proles,
Qui Proavum clarus titulis, sed clarior ipse
Laude tuâ; Quo non armis præstantior alter.
Si Te mens agitet sapiens, & provida rerum,
Virtutisque capax sacræ; prudentia constans
Si factis insit; probitas, pia regula vitæ,
Et Recti cognatus amor, non fronte Voluptas
Te blandâ fallat, vetitos nec flectat in actus
Luxuriosa Fames. nec Te male sana Libido,
Fasque nefasque unâ doceat metirier umbrâ.
Tu Verum rectumque jube, tu facta nefandæ
Sperne Voluptatis. prima est quæ causa malorum
Cunctorum; scelerumque parens. Quæ vertit honores
In pejus pestemque suam; quæ rumpere mores
Ingenuos, Superumque audet dissolvere leges.
Illa Fidem violat, certissima pacta resolvit,
Mortalesque studet fastu excæcare superbo,
Infami & vitio sæclis inducere noctem,

Et

Et verbis, linguâque potens, & munere fandi,
Hyblæos latices pleno de pectore promit.
Sed data verba fidem fallunt, & tetrius illam
Intus alit monstrum, rabidas & colligit iras.
Auceps dulce melos blandâ ceu ludit avenâ,
Insidias avibus tendens modulamine docto,
Dum cæli convexa tenent, perque æthera librant
Se pennis, Sirenque suæ poppysmate linguæ
Impulsos homines studia in contraria ducit:
Sic etiam pôtis est, alienum sumere vultum,
Et faciem fucare suam malesana Voluptas.
At mihi longè aliud studium. Rationis & æqui
Nos documenta damus. Per me non fama fidesq;
Exuitur. Verum factis extendere laudem
Hoc virtutis opus; nostri hæc est Sparta laboris.
Macte animo ALCIDE, Virtutis jussa capesse
Meque sequâre comes tandem terrâque marique.
Non tibi Tartareæ placeant perjuria Linguæ,
Luxuriæ non crescat amor, nec gratia turpis,
Tunc tibi non facili ridebunt sidera vultu,
Nec tunc mella fluent cælestia, prima salutis
Gaudia; sed fatum vitæ, & discrimina tanta
Hîc plorate tuum est. Melior, Sapientia, vitæ
Thesaurus, qui nos terræ de sordibus imis
In superum attollit, sublimia nomina, cœtus,
Ingenioque facit longum super æthera ferri.
Unde saluriferæ fas est exordia vitæ
Sumere & æternos latices gustate Tonantis.
At brutas pecudes facies non ulla pudoris
Arguit. Hæ dapibus solitis & sanguine vivo
Gaudent, & ventri nimium parere coactæ.
Sic spreto pecorum ritu tibi proderit altum
Erexisse caput. Mundi & melioris origo
Sic meritò fueris, mentisque capacior altæ.
Cunctorum scelerum causas obscœna voluptas
Parturit, à vitiis nullâ virtute redempta.

Hæc

Hæc ſuadet prædulce nefas, hominique ruinam
Ingentem properat. Nihil eſt, quod linquat inauſum
Atque intentatum. Fertur moderamine nullo
Præceps in ſcelus omne. Ruit per faſque nefaſque,
Quò ducit mala materies, mentiſque Cupido.
Hac urbes, hac regna ruunt; hac magna fatiſcunt
Imperia, & nulli fas huic obſiſtere Monſtro.
Virtus, clara Deum ſoboles, quæ clarior exit
Gentibus, & mundum factis illuſtribus ornat.
Ipſe Deus, Pater Omnipotens, quo fonte beatas
Orbis opes, Hominemque ipſum, Oceanumque creavit.
Hæc felix, hæc tota ſui fulgore coruſcat
Divino, Superumque habitat convallibus ipſis.
Hæc magnis accepta Diis, partemque ſereni
Ætheris, in Cenſum meritò tibi vendicat uni.
Hæc nunquam viſos nobis promittit honores,
Nunquam audita canit. Donat ſine finibus annos,
Perpetuoſque dies; & Ver ſine nubibus ipſum.
Ergo fidem praſta. Nocet empta dolore Voluptas.
Extra terrarum metas non mollis ad Aſtra
Eſt via. Difficiles aditus nec triſtis Averni.
Obſita præruptis ſaxis, & montibus altis
Iſta domus, quam Styx novies circumfluit undis.
Unde gradum revocare, labor. Quà triſtia ſurgunt
Atria, & inviſi Cuſtodis janua pandit
Terribiles facies, quas Indignatio tota
Ipſa tremat, nolitque ſuis ſpectare Cavernis
Thiſiphone, mater tenebrarũ, Acheronte ſub imo.
Magnanime Alcide, captis ingentibus inſta,
Virtutemque meam placeat, per devia multa,
Per ſpinas ſenteſque ſequi, totque ardua rerum.
Do faciles curſus, & ſum veſtigia Præſto,
Tu quibus ad famæ poſſis, & Nominis arcem
Scandere ſublimem. Da dextram, da mihi nunquã

Quæ

Quæ fallat, Pater alme, fidem. Sic vivere pulchrum est.
Egrediere orbis sic oras denique, & ultra
Auroram & Gangem tibi debita præmia pones.
Ne tu cede malis, Heros. Dare lintea retrò,
Oceano pudor est. Tu contra audentior ito;
Rumpe moras omnes, & vires laudibus adde.
Dixerat hæc paucis Dea. Mox Tiryntheus Heros.
Virtutis se lege probat; Mandata capessit,
Et per præruptos montes, per saxa, per ignem
Impavidus ruit, & cœptis felicibus addit
Fortem animum, turpi mortis terrore carentem.
Virtutem sequitur, quocunque it, passibus æquis.
Per præceps, per prona viæ, per Tartara, perque
Terrarum spatia, & mundi confinia tandem
Extremi, totidemque domos Telluris iniquæ.
Donec mortali vitâ hac, & carcere liber,
Victis tot vitiis, tandem caput inserit alto
Ætheri, & æternis Deus & Decus additur Astris.

DIXI.

PRÆCATIO
ad
DEUM.

TU nos, magne Deus, Duc in Capitolia Vera
VIRTUTIS; Duc nos ad pulchra exempla laborum
HERCULIS, & semper famæ incumbamus Honestæ,
Plus ultra rapti spatiis, malisque relictis
Infamis vitæ strepitus. Sic Nomina seris
Nostra suis addet Tabulis non immemor Ætas,
Posteritate nova. Tandemque adscripta juventus
Ordinibus jam, Phœbe, tuis, pulsabit Olympum
Vertice, & in Mundi fines illustrius ibit.

Par

Per terras, tractusque Maris, per nubila Cœli
Æternum ALCMARIÆ *victuro Nomine in Ævum.*

Hæ Quatuor Orationes metricæ habitæ sunt Alcmariæ CIↃ. IↃCLXIV. Examine Autumnali.

ORATIO. XXVIII.

De

PACE,

Habita à

GUILIELMO MOLL à NYENBVRGH.

Nobili Batavo.

QUod ab omnibus mortalibus H : A : votis precibusque maxime ex expetendum, imprimis aurea *Pacis* sunt tempora. Sub cujus læto præsidio florent elementa omnia *Terraque: tractusque maris cælumque profundum.* Quâ semel placido vultu cuncta hæc humana collustrante, extra nos ipsos rapi necesse est. Tantâ enim rerum amœnitate tunc undique afficimur, ut unde felicitatem nostram exordiri debeamus, planè incertum sit. Domi, forisque nihil nisi prospera, nisi auspicata tunc nobis occurrunt. Ipsi agri atque tecta lætari videntur. Maria & terras sine periculo frequentamus. Cum externis gentibus merces nostras distrahimus. Ipsa studia Sapientiæ longis itineribus felicius tunc consequimur. Adeo ut nihil prorsus sit comparandum cum otio hôc publico, *Pace tranquillâ*, à quo fonte tanta nobis perpetuo promanavit felicitas, ut difficulter verba sim inventurus, quibus circa magnitudinem

istarum

iſtarum rerum occupari oratione meâ debeam. Quo *anguſtæ pacis numine* ac beneficio nos in Belgio hoc noſtro per divinam gratiam hactenus uſi ſumus, reſque noſtræ terrâ marique feliciter ſubſtiterunt. *Pacis* namque tempore omnia in tuto ſunt, nec umbra quidem humanæ infelicitatis à quoquam tunc jure extimeſcenda. Omni malorum agmine à noſtro tunc, orbe longiſſime proſcripto. Quod ſatis edocuit ab aliquot retrò annis ſuo exemplo fortuna Belgarum. Qui adeo rebus ſecundis proſperiſque elati fuimus, ut vix nubecula illud purum ac ſerenum noſtræ proſperitatis involverit. Qui ſupra ipſa vota, ſupra pene deſideria noſtra beat iſeliceſque evaſimus. Hæc fortunæ fatorumque benignitas ſi apud animum benè expendatur, quibus non beneficiis tibi, ô omnipotens in Cœlis Deus, devincimur? Quibus in Belgio hoc noſtro à tot anorum ſpatiis tam liberaliter favorem tuum indulſiſti. atque ita benignitate tuâ nos es complexus, ut feræ aliquando poſteritati inde merito admirationi eſſe poſſimus. Nulla gente populiſque tam beatis, quam par divinam benedictionem, nos Belgæ Qui ab humili rerum noſtrarum initio ad ipſum blandientis fortunæ prope faſtigium pervenimus. Qui armis noſtris & virtute bellica trans ultimos Europæ terminos longe ſumus progreſſi. Quibus, poſt Pellæum Juvenem, neque unus orbis ad voluptatem & delicias ſatis fuit. Extra anni Soliſque vias velorum noſtrorum remigiis toties exſpatiati ſumus. Adeo ad omnes artes callidi atque inſtructi, ut hinc ab Oriente, inde ab Occidente univerſi mundi gazas in unum hunc Belgicæ ſalutis portũ advexerimus. Ut de Jaſone atque Colchide non amplius neceſſe ſit veterum fabulas nobis proponere, jam diu in Batavis aureum illud vellus poſſidemus. vicinis Regibus & principibus non exiguâ.

prop-

propterea erga nos invidiâ laborantibus. Quod hoc præsertim tempore plusquam nefario exemplo Britannorum docet perfidia & crudelitas. Qui æquis oculis fortunam hanc nostram ferre amplius non possunt. Quibus hoc unum est propositum, ut soli maris libertatem possidentes, nos ab omni gentium commercio excludant. Jacto in vulgus superbo hoc elogio. PENES NOS IMPERIUM, Ut olim Alexander, uno orbe perdomito, PLUS ULTRA exclamabat. Agant illi quod in animo est, omnemque à Cocyto eructent arenam. Nos meliore causâ innixi, auxiliares de cœlo copias exspectamus. Vt, qui alias victores exstitimus tot gentium ac populorum, nunc etiam, relligioso nobis argumento proposito, feliciter tandem triumphemus. Nondum Batavorum virtus & fortitudo elanguit, aut à veterum factis & sanguine degeneres facti sumus. Sunt integra nobis lintea, *nec adhuc malus celeri saucius Africo, antennæque gemunt.* Est nobis sylvæ filia nobilis, & ab Hyperboreo orbe infracta robora. Prisca Majorum pietas, probitas, fides tandem in præcordia recurrent, nec pigri aut segnes erimus in illis honoribus conservandis, quos semel cum laude atque gloriâ feliciter acquisivimus. Vt pene nesciam, an bellorum an pacis tempore plus sibi famæ nominisque inclytus Belgarum populus comparaverit: *Pacem tamen, pacem; illud venerabile Pacis nomen longe Præferimus illis castrorum armorumque immanibus furiis. Quam si feliciter retinere potuissemus, absit unquam tentassemus ancipitem Mavortis aleam.*

DIXI.

OAA-

ORATIO. XXIX.

DE BELLO.

Habita à

SIMONE ASSENDELFT.

Alcmariano.

PRofecto, mi *Collega*, multum me exhilarasti divinâ tuâ, de *Pace*, oratione. Quæ adeò animum auresque oblectavit, ut nesciam, quid præ illâ nobili materiâ unquam mihi gratius extiterit; aut Belgio huic nostro, hoc præsertim tempore felicius evenire potuisset. *Pax* enim una omnibus sub sole rebus palmam præripit: quæ suâ benigniate, velut aureo quodam imbre, civium desideria metesq; perfundit. *Pax* sola solidaque est causa, quare de hac ipsâ vitâ, quam in terris agimus, merito sibi gratulentur mortales. Quæ omnia secũ bona apportat, quæ mens nostra avidissimè unquã expetere possit. *Pax* salus & anima est hujus mundi, quâ qui securè perfruitur, ille inter ipsos, puto, cælicolas versari videtur. Vtinam, utinam! in Belgio hoc nostro, Quirites, sperata hæc Halcyonia nobis existerent. Quanto verò tunc gaudio exsultare nobis liceret? quantam amænitatem pectoribus nostris combiberemus? tunc tuto sub lare, sub tegmine læto consisterepermitteretur. Bellorum metu ac formidine longè depulsâ à Patriæ nostræ finibus. Sed nunc proch! Deum atque hominum fidem! divina Astræa ad superos recessit? nunc bonæ leges sub armis silent, & cuncta terribili tumultu miscentur. Nunc, aperto Iani templo, Mavors ipse, immissis habenis, terra marique latissime dominatur. Nunc pretium humanæ carni

ni ponitur, cujus nunc prodolor! annona est vilissima. Nunc virtus habetur, multo sanguine manus polluere. Atque id demum est crudelitatis edere exempla, quæ nisi Turcæ, & Barbari immanissimi hostes exercere deberent. Quodque meritò pudeat, bellum nunc geritur inter ipsos Christianos, securitas quorum pace & tranquillitate stabiliri necesse erat. Ad ludibrium eorum, qui inde nisi triste argumentum sumunt violatæ religionis, temeratæ stupratæque pietatis; pollutæ fidei, extincti pudoris, amicitiæ, concordiæ.

Quid tædius, quid detestabilius, unquã luminũ ille Pater, sol, aspicere potest, quam illos homines invicem jurgia & lites gerere, quibus proprium esse debebat erigere paci Trophæa; omnibus mortalibus exemplum ostendere, publicæ quietis ac securitatis. Heu sortem infelicem ac miseram! quâ modo in Belgio nos vivimus in quo nuper adeò res prosperæ ac secundæ fluxerunt, ut orbi universo penè terror horrorque extiterimus. Et fortunâ nostrâ rerumque successu tam famam nostram promoverimus, ut non tantum ipsis Finitimis grati acceptique fuerimus, Cum Reges Principesque hoc ex re ipsa esse ducerent, amicitiâ & affinitatibus una cum Batavis coalescere; illorum societatem, velut sacram aliquam anchoram complecti. Opes jam nostræ divitiæque Cælo adæquatæ, omnes orbis augulos impleverant. Hæc verò bella, quæ nunc cum proximis Britannis gerimus, immane quantum! malorum secum trahunt; quæ cum sint tristissima, eo imprimis nomine sunt acerbiora, quod in proximo, & cum vicinis gerantur. Quandò in dies *Hannibal* ad portas est, & pene in limine nostro hæc hydra consistat, tot furiarum ac capitum. Unde illæ calamitates & miseriæ expectandæ, quas nec cogitando, nec mente nostrâ unquam emetiri licebit.

bit. In singulas, inquam, horas malum hoc virus sumit, semper incremento erit locus, quando finem eorum anxiè expectamus. Bellum enim res adeò est immanis, ut feras potius non homines deceat. Bellum adeò insanum, ut Poëtæ non nisi ab infernalibus hoc furiis immissum fabulentur. Adeò pestilens, ut universam morum luem simul invehat. Adeò injustum, ut à pessimis latronibus administretur. Quare non immerito Orator: *non solum adventus belli, sed etiam illius metus. adfert calamitatem. Incipere quoque bellum cuivis ignavo licet, deponere cum victores velint.* Belli enim tempore

non ullus aratro
Dignus honos. Squallent abductis arva colonis.
Stat cruor in templis multaque rubentia cade
Lubrica saxa madent. Nulli sua proficit atas.

E contrario melior tutiorque certa pax, quam sperata victoria. *Neque aliquo modo est admittendum, cum victoriam in manibus habeas, pacem abnuere.* Ad pacem ite omnes, tam quibus salus, quam quibus gloria est carissima. *Et quavis tuta conditione pacem accipere malis, quam viribus cum valentiore contendere.* Pacis enim nomen est dulcissimum Pax tam jucunda quam salutaris. *Eaque conditione suscipienda sunt bella, ut in pace sine injuria vivatur.* Quare longissime à Patriæ nostræ finibus abesse deberent teterrima bellorum nomina. Illa excidia urbium, illæ vastitates Regionum, hæ Scyllæ & Charybdes publicæ calamitatis. *Tu pax aurea salve, & tandem de Calo in terras revertere; salve pax beata,*

Pax optima rerum
Quas homini novisse datum est. Pax una triumphis
Innumeris potior.

D I X I.

ORATIO XXX.

de

BELLO ANGLICANO.

Habita ab

ADRIANO BAART, *Alcmariano.*

Omne bellum quod malis artibus suscipitur, H.H. A.A. inhonestum & detestabile est. Nec tempore illud convalescere potest, quod à prima sui origine turpe ac fœdum est. Hoc omnis ævi docet memoria & magnitudo malorum, quam strictus ensis miseris mortalibus semper solet inducere. De quâ calamitate optimè illi testari possunt, qui olim & nunc sub tristi illo Phalaridis flagello ingemiscunt. Cujus atrocitas est tanta, tamque extimescenda omnibus terrarum incolis, ut longe melius sis cum ANTÆO & HERCULE colluctari, quam cum omnium monstrorum primo ac Principe, *Mavorte Indomito.* Unde veluti à fomite & fonte suo omnia mala in genus Humanum redundant: unde agrorum vastationes, provinciarum direptiones, REGNORUM ruinæ atque eversiones, Fortunarum terra marique miserrimæ dilacerationes. Quod olim experti in suo solo & finibus, ROMANI, GRÆCI, BARBARI. Et nostro ævo, GERMANI, BATAVI, BELGÆ omnes. Quando aut cum HISPANIS aut cum aliis terra marique hostibus, arma nostra expedivimus. Quæ bella semper communi Reipublicæ cladem maximam attulerunt. Semperque in causâ fuerunt: Quod fossa & flumina humano sanguine redundarint. Quod cæsis cadaveribus, ossibusque albentibus agri campique conspersi fuerint. Ut non necesse sit ab antiquis Historiis veteres CANNAS aut ad TRE-

BIAM

BIAM & TRASIMENUM lacum pugnas inimicissimas hoc loco recensere. Scilicet

Notum quid cæde calentibus armis,

Quantum ira liceat motuque quid audeat ensis.

Sed bellum hoc HH: A A: quod modo cum BRITANNIS suscipimus, proh dolor! toto orbe CHRISTIANO est periculosissimum. Ad quod nisi coacti nos BELGÆ nunc nos accingimus. Quando nulla virtute, nulla pietate nostrâ hanc infesti REGIS iram declinare potuimus. Nunquam dato illi argumento, quare ad hanc crudelitatem exercendam tam animo improbo efferatoque esse possit. Omnem hactenus lapidem movimus, ut ponere se tempestas illa potuisset: ne in tam dira & ferrea rursum tempora incideremus, quæ finitimis omnibus, totique EUROPÆ justissimam doloris materiam præbebunt. Nihil verò valuit potuitque ad Sedandum hunc Furorem, divina Legatorum vox, nihil desideria civium, nihil vota PROCERUM, nihil utriusque populi salus, REGNORUMQUE MAIESTAS. Et quod maxime dolendum est, cum veteribus nostris amicis, cum vicinis & propinquis, cum ipsis BELGARVM Sociis, qui fide, qui Religione, commerciis nobis conjuncti sunt, proh pudor! in aciem descendimus. Cumque illa gente, quæ contra ipsum HISPANIARVM REGEM, quando in Libertatem nostram ungues suos distringeret, olim tam fortiter, quam feliciter nos defendit. Ex animo nos BATAVI, ex animo inquam, de hoc Sacræ amicitiæ naufragio nunc facto illachrymamus. Et meritò apud immortalem in cælis DEVM de mutuâ hac calamitate odiisque impiis conqueri mur. Alia lònge res A A: quando cum immanissimo Tyranno *Cromwellio*, cum illo reo læse majestatis turpissimo perduelle, ad arma justa profecti sumus. Vt in pace tuti viveremus,

& nos ab illius injuriâ sceleribúsque liberaremus. ipsa necessitas, jure divino & Humano tunc tela nobis subministravit. vim vi repellere, ipsa natura nos docuerat. *Quæ non est scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipsâ natura arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, Sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronū, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis*. nisi culpa & temeritate, nos & nostra omnia infeliciter tunc perdita voluissemus, ò tempora! ò mores! ò bella infelicissima! quorum ipsa tacita recordatio multorum adhuc animos lædit & vulnerat. Sed, ut solet, post graves aliquot conflictus & suscepta mari prælia, posuit se tandem hic furor. credo, quando utrimque partes & pericula ad pacem ire monebant: licet satis iniquis conditionibus & maximo Patriæ nostræ detrimento. Qui magis necessitate & partium studiis, quàm nostrâ bonâ voluntate tunc ad fœderum illas pactiones adducti fuimus. Nunc vero cum integris REGNI viribus, cum infestissima trium Sceptrorum REGE, cum elementis omnibus, terra mari est decertandum. Ut universo nunc orbi, quo tandem tanti belli moles devergat, pro spectaculo simus, Et nisi antiqua majorum virtus tandem reviviscere BATAVORUM animos fecerit, hostibus nostris ludibtium debemus. Nuper non infeliciter quidem cum HISPANIS belli aleam tentavimus, & quotannis victores extitimus, in domandis aut populis, aut subiugandis civitatibus. apud omnes exteras gentes cum navali, tum terrestri prælio plusquam formidabiles. Quando vix castra æstiua aut Hyberna habuimus, quin nobili aliqua victoria *Illustrißimi Principes Auriaci & Nassovii* communem BELGA-

RUM

RVM libertatem condecoraverint. Hæc autem bella quæ modo dubiis auſpicijs tanto cum hoſte ſuſcepimus, quo tandem ſe vertant, Optimus Maximus in cœlis DEVS videt, & intelligit. nobis iſti eventus hactenus incerti & incogniti ſunt, ſeruſque veſper quid tandem ſit nobis allaturus, nedum lynceis nos oculis proſpicimus. Vitia & errores noſtros quando nobiscum bene perpendimus, certè, ſupplicia & pœnas ultro merentur, nec indigni ſumus, in quos aliquando detonet iræ divinæ procella. Si verò cum aliis populis longè à nobis diſſitis bella eſſent adminiſtranda abſque dubio, multorum præſidio ac manu defenderemur. Quemadmodum olim nobis evenit, quando, ut dixi cum Tago & Pactolo armatâ manu eſſet congrediendum tunc finitimi omnes, omnes Reges & Principes pari conſilio auxiliiſque res noſtras protegebant. Auro, milite, annonâ, ſtipendiis nos juvebant. Nunc nullæ nobis aliunde ſunt opes, nulla caſtra, nulli comeatus aliunde miles nullus externus, nullæ fidelitates propinquorum, nulla ſolatia amicorum. A heu! derelicti ab omnibus, ſoli magno Oceano innatamus, inter tot Cyclades & Ceraunia, inter aquas & ignes mortiferos, infeſtiſſimos generis humani hoſtes. *unicum autem quod nobis Solatium ſupereſt, divina eſt Providentia, cujus gubernaculo confidentes, poſt immania hæc bella, quæ non minus quam civilia ſunt pertimeſcenda, tandem de cœlo pacem benigniſſimam expectamus.*

DIXI.

ORATIO XXXI.

De Causis

BELLI ANGLICANI.

Habita à

JOHANNE MINA.

Quæ potissima est ratio & origo H : A : belli tam nefarii, tam formidolosi !quæ causa tantorum motuum ac tempestatis, cui modò, nos, proh dolor! obnoxii sumus! quare sic immaniter in nos furit efferus ille leo Britannicus, jam latebris & Tamesi suo, velut specu Tartareo, emissus ! ni fallor, prospera Batavorum Fortuna & felicitas hanc Regi Anglicano invidiam peperit. Quas ille de Cælo datas nobis divitias in oculis & animo ferre non potest. Quibus dotibus ac fortunis cum Regni sui Majestas vix sit comparanda, res nostras florentes ac secundas, non nisi odiis ac inimicitiâ prosequitur.

Nos Optimi & immortalis Dei gratiâ à parvis humillimisque initiis ad illustrem hunc dignitatis gradum macti feliciterque pervenimus. Et virtute armisque gloriosis, eo in decus nostrum assurreximus, ut magnam nunc Europæ partem faciamus. Nec istis tantum finibus inclusi, etiam altero in orbe pedem ac imperium nostrum extendimus. A Gadibus usque auroram & Gangem, sub ipsum Solis ortum & occasum, est, quo nostræ jam dudum classes pervenerunt. Undè universi orbis opes ad nostros hic penates ac horrea promovimns. Hosce nunc nostrarum rerum prosperos successus ferre vicini nostri non potuerunt.

Eoque

Eoque fortasse minus, quod ipsi magis otio & voluptatibus dediti, nobis laborum nostrorum fructus haud facile concedant. Nos Batavi eô sumus ingenio, ut bene parta, nę male dilabantur, probe curemus: corpora nostra frigoris, inediæ patientia, modo Rempublicam & familiarem præmiis honestis fortunaque nostræ incremento magnifice amplificemus. Hæc virtutum nostrarum trophæa tolerare inimicos non posse, quis non vir sapiens merito indignetur!

At turpissimum est, Reges Principesque ita male sibi ominari de aliorum gloriosis successibus: quorum vigilias artesque ex industriâ paratas, magno æstimare deberent, subditis suis ad imitationem & exemplar. Illi vero, cum suas opes & divitias, forsan, per luxum & ignaviam perdiderint, quid propterea alienis inhient? quid Batavo eripiant sua? quid extra fines & terminos, quos natura ipsa præscripsit, se proripiunt? illi si vivant inter nugas & illecebras, inter ventris gulæque gaudia, inter saltus, tripudia, commessationes, convivia, luxum, inertiam, quid nostra, quæso, turbent negotia? quid non ab alieno abstineant? quod profecto, nunquam boni Principis fuit officium. Hoc factum si quis ex vero interpretetur, H: A: vereor, hoc loco, in ipsam Avaritiam, & proxima ejus castra, Perfidiam ac Superbiam nunc pertranseam. Suâ enim sorte non esse contentum, & apertis faucibus aliena deglutire, aut per vim & malas artes ea alteri eripere, quid aliud esse judicem, quàm aliis injuriam inferre? quam per crudelitatem, per illegitimos tramites aliorum pôssessiones invadere?

Tales, hoc tempore, proh pudor! vicini nostri, harpyæ & vultures, Angli sunt. Qui classes nostras imbelles sine armis & præsidio, armis expugnant; in portus suos ac navalia deducunt,

merces diſtrahunt, miſeros nautas & remiges denudant, exſpoliant, in carcerem detrudunt. Creſcet indies hoc malum; poſtque hæc folia, quæ nunc cadunt, vereor, ne ingentes deniqueorni, & robora concidant. Docuit hoc nuper, vivo exemplo, illorum impietas, quando totâ nos Africâ & Americâ exuere ſtudebant: in illos fines ingentium navium numero deſtinato, ut noſtra illic commercia planè extinguerent. Et ſi potuiſſent, hoc & alieno nos orbe ejicerent, & planè de medio ſublatos, velut ad pulviſculum everrerent. Hæc illa ſunt præmia H: A: quæ à magnæ Britanniæ Rege Carolo, quem proximis diebus, in comitiis noſtris tam Regio & magnifico apparatu excepimus, nunc tandem recipimus. Cujus Patrem, Regem tunc, ſi noſtrâ ope & conſilio retinere in vivis potuiſſemus, quam plena gaudiorum ea nobis res fuiſſet! Cujus amicos, cognatos, affines, ipſam Bohemiæ Reginam, Amitam ſuam tam venerabili humanitate ac beneficio dignati ſumus. Tanquam de noſtrâ illi domo & proximo ſanguine fuiſſent. O dolorem inexhauſtum! quem exinde pii nos Batavi, nos unanimes per Belgium Populi nunc percipimus. Hoccine eſt Regio Inſigni, & potente Sceptro divinitus eſſe donatum? hi illi mores & ingenium, tali Theatro & Principe dignum? vix tantâ crudelitate in Chriſtianos uteretur Barbarus aut Turca. Nec ipſe, puto, Rex Hiſpaniarum tam improbo erga Belgas unquam animo exiſteret: qui fidem ſemel datā pertinaciter ſervat; non diſſolvit, nō frangit, non violat.

Agite, vos Reges Principeſq; vicini, & juſtiſſimam Belgarum cauſam veſtris præſidiis, ope, milite, annonâ, pecuniis, juvate, protegite. Nec unquam patiamini fœderatis Provinciis hanc injuriam & contumeliam fieri: quæ ſimul veſtra tunc

tunc erit, quando res suas pro libitu Britanni promoverint. Aliorum calamitati dubiisque rebus succurrere, ea demum firma est amicitia. Cum ipsi nos illi in Belgio simus, qui laborantibus præsidio propinquis, manus nostras & auxilium toties accommodavimus. Agite igitur Viri fortes, Viri Principes, nec patiamini illam Rempublicam in contemptum & pericula adduci, quæ hactenus rerum gestarum gloriâ utriusque Orbis terminos adæquavit. Pudeat te fædifrage Britanne, pudeat inita nobiscum fœdera tam brevi intervallo temporis frangere, violare.

Veteres amicitiæ, quas cum Majoribus vestris habuimus, à tali flagitio deterrere te deberent. Cogitate sacras istas necessitudines, quas semper cum Regiâ hac stirpe, & sanguine coluimus. Moveat vos ad ineundam firmam amicitiam, memoria tot factorum illustrium, quæ vestris auspiciis domi forisque feliciter semper gessimus. Imprimis jus illud Gentium naturale, eadem Elementorum conditio & communio, vitæ humanæ societas, & quod omnium est maximum, permoveat vos, ad honestæ pacis reconciliationem, sanctissima Relligio, quâ vobiscum sub uno sacro Vexillo, Capite & Antesignano, Servatore nostro, JESU CHRISTO, æternum coalescimus. Sinite posthac libera esse terrâ marique commercia, nec istam nobis naturæ benignitatem intercludite, quam Optimus Maximus Deus omnibus ex æquo mortalibus præscripsit. Nobis Batavis nihil aliud est propositum, quam titulis honestis & actionibus legitimis rem fortunasquè nostras defendere ac tueri. Nulli suum detrahere & eripere studemus, per malas artes, aut per vim & arma in aliorum fortunas ac messem, falcem nostram immittere. Satis beati, satis florentes, si augusto hoc Belgii nostri pomærio, exiguis finibus cir-

cumscripto, tranquille secureque vitam producamus.

Hac in tuâ, ô Omnipotens & potentissime Deus, manu sunt posita. Tu tristissimo hoc mundi seculo, quando omnia nobis sidera tempestatem & pericula minantur, speratam nobis salutem & felicitatem redonare potes; Tu brachio tuæ potentiæ improbas hostium molitiones tacite profligare; Tu è densissimâ nocte atque tenebris Lucem nobis clarissimam, Pacemque amænissimam reducere potes.

Igitur ad Te, Omnipotens in Cælis Pater, suppliciter confugimus. Et per intimi cordis viscera & penetralia te rogamus, ut sistere tandem dignêre immanem hanc hostium tyrannidem, quâ illi fœderati Belgii limitem penitus exstinguere conantur. Non patere, ô misericors Deus, & Pater, ut vinea hac Populi Christiani, per Vultures illos Britannicos evertatur, & in nostra hac Batavia illud fanum & augustum Ecclesiæ hospitium fœdis armorum maculis polluatur.

Fac, ô Benignissime Deus, ut hostes illi nostri, qui terra marique Libertatem, tantò Majorum sanguine partam & paratam, crudelissimè infestant, tandem sub glorioso Tui Nominis auspicio in fugam se convertant. Nobisque ut olim, Victoribus, Relligio & Libertas antiquo suo splendori restituantur.

Domi forisque, Pax læta, Pax beata, Pax perpetua Belgium hoc nostrum de Cœlo respiciat. Et nos in illustri hac Alcmaria diu potentes, diu florentes, diu felices existere possimus. Quod ut ex voto nostro quam maximè contingat, iterum supinis manibus, & genibus flexis, Te Optimum Maximum in Cœlis Deum ex animo rogamus: Cui Soli in æternum sit laus, Honor, gloria & gratia à nobis & posteris nostris.

D I X I.

Quatuor antecedentes Orationes sunt habitæ Alcmariæ CIↃ. IↃCLXV. XII. Apr.

O R A-

ORATIO XXXII.

De

LAUDE PATRIÆ AMANTIUM.

Habita à

GUILIELMO MOLL à NYENBURGH.

Nobili Batavo.

ILli homines summâ laude sunt condecorandi, meritoque inter omnes mortales maximâ existimatione digni, qui ad communem Patriæ salutem ac libertatem defendendam omnia sua studia ac industriam conferunt. Qui pro aris & focis, pro fanis ac delubris Deorum proprium suum sanguinem & vitam interponunt. Pro hisce omnibus, qui assiduis laboribus se exercent, curis macerant, noctes diesque vigiliis & lucubrationibus frangunt & fatigant. Nec aliam mentis animæque suæ requiem inveniunt, quam solam hanc, quam pro civium salute, patriæque incolumitate gloriosè susceperunt. Hæc enim una benigna nostra est mater pro quâ non tantum vivere feliciter, sed mori quoque fortiter debemus. Hæc illa est Helena & Penelope, cujus æternum amorem in intimis nostris penetralibus circumferre debemus.

Quantus honos belli Ducibus! quæ gloria surgit
Emeritis! cum tuta manet, Fortique triumphat
Libertas asserta manu. defensaque ferro
Erigit intrepides vultus! cum vindice dextra
Lætior Imperii facies clarusque refulget

Majestatis apex, debellatosque feroces
Ostentat domitosque hostes! cum fortibus armis
Inconcussa salus Patriæ; cum pressa resurgit,
Extollitque immune caput: cum numine dextræ
Arcetur grave Martis opus, proscribitur omnis
Bellonæ rabies, & vis effræna nocendi.

Nunquam enim satis digno laudum præconio Heroas istos efferre possim, qui fortunas suas animamque ipsam pro communi bono in periculum dederunt. Non mihi si fontes suos ipse recludat Apollo, & Phœbus pater ipse sit author: horum virtutem incredibilem, fortitudinem, constantiam pari verborum oratione exornare ac describere valeam. Quippe hi sunt verè patriæ Atlantes, novi Alcidæ qui suis humeris & cervicibus communem nostrum omnium salutem fulciunt, Remp. contra injurias hostium, contra sævitiam ac tyrannidem sartam tectamque conservent. Æterna illorum est virtus, quam omnis posteritas semper alet, ac intuebitur, *dum solem dies noctem sequentur astra*. Quare debito nunquam honore deprædicare possum divinum illum Themistoclem, Pausaniem, Phocionem, Thrasybulum, Alcibiadem, qui propter singularem animi affectum, quem in Patriam suam exhibuerunt, nominis sui memoriam apud omnem posteritatem quàm maximè longam reliquerunt. Hanc quoque virtutum suarum admirationem promeruerunt Phileni Fratres, Marcus Curtius, Quintius Cincinnatus, Catones, Decii, Cicerones, Reguli, Marcelli, Pompeji, tot bellorum animæ illustres.

Quæ laurea quondam
Victrices cinxit frontes? cum vincitur excors
Hannibal, & dirum Marcelli dextera Pœnum
Pellit, & Ausoniis arcetur finibus hostis.

Cum

Cum Patriam asseruit victor domitumque Jugurtham
Ostentat Latio Marius; cum fracta fatiscit
Africa, Romanis devictaque concidit armis.
Scipiadas hæc fama vehit, veneranda Camillos
Gloria Fabritiumque Ducem, fortesque Metellos
Erigit. Ingentes tollunt Capitolia Drusos,
Illustres Fabios, Paulosque & , magna Lucullos
Nomina, qui tot tela inter, flammasque facesque
Virtutem ostendere viri. Duxere triumphos
Miltiades, clarusque truci Mavorte Seleucus,
Insignisque Ducum spoliis, bellique sarissis
Impavidus Lysander, & audax Conon in armis.

Non hoc loco, H. H. Audd: de illustrissimâ *Auriacorum & Nassoviorum* familiâ factisque plus quam immortalibus nisi summo cum pudore, tacere possem. Quorum nomina & virtutes dum mecum recogito, videor in illam cogitationem tacite abripi, quæ non sine cœlesti quâdam flammâ pectus meum animumque incendit. Qui si hodierno die existerent & revocari à tenebris in lucem possent, Dii immortales! quam felicem, quam beatam Remp. haberemus! Quod solum *Guilielmi, Mauritii, Frederici* nomen, solum inquam, nomen satis esset, aut ad hostem nostrum proterendum; aut firmam cum ille pacem conciliandam. Hi illi Hercules & Atlantes, qui se piacula & victimas obtulerunt pro Libertate, pro Relligione, pro salute populi Belgarum. Vos egregii belli Duces, vos nunc in medium procedite, vos spoliis hostium induti opimis frontes victrices attollite; triumphos, victorias immunerabiles ostendite, tot oppida devicta, tot populos domitos in solennis pompæ apparatum producite. Vobis hunc Belgæ honorem debemus,

quod asserta & asservata libertate, tàm feliciter hoc pomarium nostrum extendimus. Vobis hæc sparta & laurus æternum conceditur, quod per vestrum sanguinem & gloriosæ virtutis vestigia, ad tantæ Majestatis apicem pridem conscendimus. Nulla unquam tàm sera posteritas, quæ de stupendis & miraculo proximis rebus terra marique conticescet.

Si Roma antiqua superbit
Bellorum claris Ducibus, Si Græcia tollit
Illustres Mavorte viros. Nec degener adsit
Posteritas, jactetque suas Batavia laudes,
Prægrandesque Heroum animas. In sanguine visa est
Nassovio veterum virtus, quin gloria Martis
Extollit non una Duces, terrâque marique
Occurrit Bellona favens. Victoria ubique
Auriacos præclara beat. Nunc ostia Mosæ
Nunc Vahalem, Rhenumque domant; nunc subruta ferro
Mœnia concussasque armis audacibus urbes.
Nunc Morinum calcantur agri, nunc Flandria bellis,
Atque Aransiacis trepidat Brabantia castris.
Nunc & ab Eois terris nunc vespere ab ipso
Surgit honos; Gangemq; ultrà fixereTrophæum.
Partagones fregere truces, scripsere Moluccis
Jussa procul, totaque potens apparuit orbi
Dextra Ducum, & terris stat formidabile nomen.

Cum illis nostræ libertatis Atlantibus merito se conjungunt immortalis famæ nominisque viri, illustres *Heemskerkis*, *Heinii*, *Trompii*. Quorum bellica virtus & fortitudo animorum incredibilis nunquam in Belgio hôc nostro turpi silentio intermorietur. Quos singulos unus in Patriam amor ferro flammisque hostilibus objecit. Adeò, ut

ut nihil honestæ illorum ambitioni jucundius fuerit, quam vitam, quam à naturâ acceperunt, tanquam sacram aliquam victimam Patriæ suæ consecrare. Vos, egregia belli fulmina, Vos verè Mavortis alumni extra anni solisque vias jam dudum nominis vestri immortalitatem extendistis. A Gadibus usque Auroram & Gangem præclarissimarum laudum patet area. Vestra ergà Patriam merita, vestra Trophæa omnis ætas mirabitur, posteritas colet ac suspiciet. Quibus, pro dolor! augustis Patriæ nostræ liberatoribus, nuper, post habitam cum Britannis infeliciter nimis pugnam, illustrissimi *OPDAMII*, Summi maris tunc Præfecti, mors fatalis & gloriosa accedit. Cujus, & reliquorum pro Patriâ cadentium amor & honor sempiternis annalium monumentis jure meritoque exstabunt.

His Fama patet amplus honos. Melioribus ausis
Gloria succrescit major geminosque per axes
Heroas jam fama vehit. Per Memnonis oras,
Sauromatasque Indosque ultra Phœbumque cadentem
Fixit honos. Nec jam tantis quoque sufficit orbis.
Laudibus aëriis virtus absconditur astris,
Et superum sedes, cognataque sidera lambit.

Pergerem Humm. Audd. longe plura in generosas illas animas, hôc loco nunc dicere. Sed, Patriæ penè funebre carmen, quod per luctuosos hosce dies tanquam communi busto inscripsi, pro coronide hic addam:

Belgica, cui toties pronis Victoria fatis
Annuit, illustrem quam tot fecere Trophæa:
Quæ bellis infracta stetit, contraque Philippum
Arma tulit, sprevitque jugum, Dominumque potentem
Contudit, & rabiem pugnacis fregit Iberi.
Nunc, eheu! languescit iners. Imbellis habetur
Gens Batavum, & toti debes ludibria Mundo.

Infelix

Infelix fit forte minor, stat degener, excors
Torpet, & indecori gliscit formidine virtus,
Et laudum subsidit apex, ipsique pudorem
Incutiunt tituli. Vix nunc inglorius arma
Sustinet, atque animis sponte exarmata labascit.
Heu! rerum fatique vices! inimicaque Belgis
Numina! qui quondam spoliisque armisque superbi,
Terribiles fuimus populis, multisque triumphis
Erecti, totum fama complevimus orbem.
Ludibrium sumus, Angle, tibi, contemptaque mundi
Fabula. Degeneres animos, & inertia corda
Eludis. Turpique fugâ trepidare Batavos.
Eheu! quo priscæ vires! an robur & arma
Perdidimus? Martis nec perfert Belga laborem,
Assuetus graviora pati? quo concidit illa
Martia Majorum virtus? quo dextera pugnax,
Victricesque manus, venerandaque nomina laudum?
Ferro omnis reparandus honos, & fortibus ausis
Belgarum quærenda salus. Tu cœpta secunda,
Mars Pater, & tantum Batavorum aboleto pudorem;
Huc converte minas, stimulis audentibus adde
Irarum, simul arma fremat, rapiatque Juventus.

DIXI.

ORATIO XXXIII.

De

Præsentibus Belli Belgici, cum Britannis PERICULIS.

Habita à

SAMUELE vander LAEN. Rotterod.

UTraque manu, *dilectissime Collega*, in Sententiam tuam nunc eo, Qui de Patriæ nostræ rebus,

rebus, & publicæ salutis negotiis prudentem orationem instituisti. Nam, fateor, hoc ipso tempore, & loco nihil utilius, nihil convenientius, dici hîc posse. Multa enim hinc, inde ex veterum Annalibus & Historiis velle enarrare, prorsus alienum à periculis præsentibus, in quibus nunc vivimus esse judico. Valeant pro tempore, Romana & Græca: quæ toties in hisce Rostris, sub incude nostrâ fuerunt. Valeant quæ de Persis, de Assyriis, de Babyloniis, de remotis olim gentibus populisque externis pleno tunc ore disseruimus. Alius nunc Hannibal ad portas, qui aurem nobis vellit. Alius à Britannia Alexander, qui pulcherrimas hasce Provincias, armatâ manu obsessas tenet. Tot mari, &, in proximis littoribus, infestæ natant classes, cum quibus in singulos dies est decertandum. Omnium gentium & nationum pene furor in penates nostros debacchatur. Et, ni Optimus Maximus è Cœlo Deus gravissimas istas tempestates, quæ libertati nostræ excidium minantur, feliciter avertat, vix sperandum est, quod à tanta hostium violentia atque rabie illæsi amplius esse possimus. Hoc unum H: A: in adversis dubiisque rebus nos consolatur, quod hactenus supersint viri illustres, qui generosis animis, vitam suam fortunasque pro Patriæ salute offerre nunquam dubitarunt. De quorum laudibus tu modo, mi *Collega* honorifice mentionem fecisti. Illis scilicet luculenta semper præmia persolvi debere, monumenta, statuas, Mausolea, Pyramides, pompas funebres institui, qui invicto in hostem animo deprælиantes, vitam, sanguinemque suum protegendæ Patriæ saluti impenderunt. Hos autem pœnis, infamia, suppliciisque æternis cöercendos, quicunque animo degeneres, florentissimas Patriæ fortunas, in prædam flammamque exitialem conjecerunt.

Vobis,

Vobis, *Viri illustres*, qui pro patriæ salute generose mortui estis, vobis inquam, merito in lacteâ Cœli viâ, cum cæteris Heroibus augustissimus hic locus debetur. Et nunquam, profectò, paria pro exemplo fortitudinis editæ; in perenni ære; aut marmore poni monumenta possunt. Qui vitam vestram, quæ, cum nullo alio pretio est æstimanda, etiam vel ultrò Patriæ charissimæ jam pridem impendistis. Quod factum quam illustri atque excellens sit, norunt isti omnes, qui hodie Remp. in summis angustiis & calamitatibus positam esse vident. Non ingrati unquam erimus divinis vestris beneficiis, O Animæ excellentissimæ! quæ in commune nuper bonum ostendistis: sacra & sancta, vestrum semper erit memoria, quam diu honor huic Belgio, & fides seræ posteritati.

Vos fama æternos provexit ad usque nepotes
Et nomen super astra poli, super alta tenetis
Sidera vos titulis ingentibus Oceanum ultra,
Auroram, Gangemque ipsum nunc itis, & omnes,
Quâ populos serus vesper, quâ respicit ortus,
Nunc vestris meritis terras, & numine fausto
Redditis attonitas. Vobis procul ultima Thule,
Extremique hominum morem gessere Moluccæ.
Quodque olim invicti, victi docuere Philippi
Exemplo: quando non inferiora secuti.
Tunc Batavi, spatio insignes, sceptrisque potiti,
Erexere etiam gemino sub sole trophæa.

Tales nos olim exstitimus, Illustres quondam Batavi, cum remotissimæ nationes bellicis nostris laudibus & victoriis obstupefactæ, vel solam nominis nostri umbram extimescerent. Latissime per omnes terrarum angulos, insigni Belgarum gloria tunc diffusâ.

At nunc pro pudor! ludibrium nos sumus facti Europæ universæ. Et quo nuper fama nos tulit pro-

prosperis fortunæ auspiciis, illo nostræ miseriæ magnitudo & ignominia jam dudum pervenit. Perdidimus antiquæ gloriæ titulos. Illam animi vim & virtutem terra marique celebrem, eheu! perdidimus. Illam belli gerendi felicitatem, illam Ducum nostrorum fortitudinem; cum nullo aliàs populo aut gente componendam fœdè inquam, perdidimus. Si paulò extra Batavi orbis limitem progrediamur; si vel proximos Flandros & Brabantos adeamus, immane quantum, de pristina, illic gloria & majestate amisimus. Sola vel Batavi, nominis umbra hic vapulat. Nosque tanta Majorum laude inclyti, penè pro conclamatis, & malè auspicatis populis habemur. Ad remotiores verò gentes, si classibus nostris penetremus, vah! quam illic, contemptissimi de nobis sermones instituuntur! quam mascula nostra, heu! quondam virtus male audit! quantum mutati ab illo Hectore, & Nassoviis, qui quondam.

Excessit fortuna modum cum Marte secundo
Belgica se virtus, mundi per climata, & orbem
Extulerat geminum. Sed nunc se Pergama nostra,
Majorumque animi fortes, visque illa virilis
E heu! sub tenebris spissis, & nocte recondunt.

Adeò hostibus nostris, per proximam victoriam insolescentibus, ut nihil prorsus de ipso Batavorum nomine ac fortunis, quando ad nova iterum prælia recurrant, superfuturum stolidissime jactitent. Tanquam communi ruina, omnia, quæ terra marique Belgæ possidemus, brevi occupaturi. Et quasi nulla sint nobis aliundè amplius auxilia, fortunæ; opes; solatia nulla; quibus feliciter eniti possimus. Quæ prò magnâ parte cum à veritate nec sint aliena, nondum tamen laus Deo Optimo Maximo, eò malorum addacti sumus: ut tot nobis adhuc Patriæ Atlantibus in vivis, & ad imperii

clavum

clavum sedentibus, turpiter desperare debeamus. In magnis difficultatibus & rerum discrimine, fateor vivimus, terrâ marique maximis periculis expositi, atque ad ultimas angustias terminosque deducti. Superest ingens tamen nobis solatium, in bonæ causæ fiduciâ; in Dei Omnipotentis manu; in fidissimis patriæ Rectoribus. Qui, absque dubio, juxta animam suam, hanc sacram Belgicæ Libertatis custodiam sartam tectamque humeris suis sustinebunt.

Nec semper Batavi adversis pugnabimus astris,
Et cæcos contra stimulos, contraque Charibdes
Ibimus; aut dubio referemus prælia Marte.
Quondam etiam victis redit, in præcordia virtus,
Nec nocuit tentare iterum, quo cymba profundo
Hæserat, eventus varias fortuna ministrat.

Modò promptioribus & paratioribus animis, in aciem denuò à nobis eatur. Nec tam panico metu milites nostri, sociique navales prostrati, iterum eandem nobis contumeliam, quam passi sumus, fœdè intulerint. Aciem hanc secundam, nisi magnus ille de Cælo Dictator sua ope & præsidio sospitet, ac secundet, dicite, amabo, Quirites, quam tristis, quam infanda per Patriam nostram nubes diffunderetur! quam meritò nos omnes metus, terror, pallorque ac penè fatalis rerum periodus involveret! Igitur adhibenda est omnis cura, omnisque industra, ut priori isti maculæ ac vitio non novissima denique macula accedat. Pœnæ, supplicia male merentibus, benè meritis ex æquo præmia sunt persolvenda. Ne aut per indulgentiam disciplina militaris evilescat; aut omissâ in malos damnatione, illecebra illa peccandi, licentia, majores sibi vires assumat. Periclitati sumus statum publicûm; nescio quâ nuper agendi temeritate; quibusve consiliis aut prodi-

proditionibus iniquis. Ad quæ mala monſtra expianda, novo, ſane, opus eſt Hercule, noviſque auctoribus; qui contra Britannorum iſtas Hydras ſeptemplice Vulcani clypeo armati, res Belgarum fractas & diſſipatas ſanctiore iterum animo in integrum reſtituent. Ad quæ negotia feliciter tandem componenda, ſpero Opt. Max. è Cælo Deus manum ſuam ſalutarem conferet. Qui nunquam patietur, ſacram ſuam hanc vineam, à feris iſtis belluis, & plus quam avibus ſtymphalicis diripi ac devaſtari. Vbi hactenus tam luculenta pace & tranquillitate frui:i ſumus; terra marique tam glorioſos rerum noſtrarum ſucceſſus habuimus. Et quaſi in mediis convallibus verè viximus vitam fortunatam; pene dixerim ſine ullo interventu malorum, & ægritudine obviâ.

Vos, illuſtres Patriæ Proceres, Aſſertores Libertatis, Relligionis, Pacis publicæ: domi atque foris, agite, divinis veſtris conſiliis, contra juratos, nobis hoſtes, Britannos, opem & auxilium feratis. Nec patiamini, intra veſtros muros graſſari improbitatem, luxuriem, proditionem. Belgarum enim ſalus, quæ majorum ſanguine & fortitudine ſemel parta & parata eſt, tota veſtris eſt in manibus. Liberorum conjugumque vita & fortunæ; Lares & Penates uniuſcujuſque noſtrum à veſtra prudentia & æquitate defenſionem exſpectant. Agite, inquam, veſtris laboribus, vigiliis, lucubrationibus, commiſſam vobis fidem fideliter aſſervate. Voſque hoc loco alloquar, O fortiſſimi magni Maris Oceanique præfecti, *Wittenii*, *Ruteri*, *Trompii*, cæteriſque iſtius ordinis Duces, & Anteſignani, nobiliſſimi. Vos iterum novi & redivivi Scipiones, Phociones, Miltiadæ, Reip. hanc navem veſtris manibus, & curæ concreditam rectâ in tutum & tranquillum portum deducite. Et contra omnes

omnes tempestates, contra Charybdes, & Acroceraunia, contra Iliadas tot malorum, hanc fortiter, feliciterque conservate. Et, quando nunc extrema Martis Maritimi pericula & discrimina sunt adeunda, nunquam armis animisque deficite. Vestro Ductu & auspiciis cuncta felicia, speramus, evenient. Nec tam molli & muliebri proposito quisquam posthac inter navales socios & milites invenietur, qui hanc vitam suam, quam à naturâ accepit, pro patria, pro civium salute, pro aris & focis, non etiam ultro omnibus periculis, & vexationibus cupiat offerre ac consecrare.

Tuncdeniqne hoc ipsum fiet, ô Gloriosissime in cælis Deus, ut fœderatæ Provinciæ, populus hic liber & sui juris, tuis quoque sub alis & benevolentia paterna felicissime subsistat, vigeat, floreat. Et nostra quoque hæc civitas illustris Alcmaria, & in eâ Religio, Fides, bonæ Artes, & Sapientiæ studia, omniumque rerum felicitas, perpetuo in honore & existimatione habeantur.


DIXI.

Hæ Duæ antecedentes Orationes habitæ sunt Alcmariæ *Examine Autumn.*
CIƆ IƆ CLXV.

ORA-

ORATIO. XXXIV.

LOCO PRÆFATIONIS, ad materiam De PACE & BELLO



Habita à

JOHANNE HALTERMONT. *Alcmariano.*

Nobilißimi, Amplißimi, Doctißimi DOMINI AUDITORES.

EXſpectaveramus magno cum deſiderio, ut, Bellorum periculis confectis, Vobis & Urbi noſtræ, Muſiſque Alcmarianis læta Pacis gaudia, hoc loco & tempore, gratularemur. Quando, centum poſt terga catenis Marte revincto, omnes extra terrorem & formidinem bellicam poſiti, prorſus aliâ, in Belgio noſtro, rerum facie perfrueremur. Apertis iterum, terrâ marique, omnibus aditis ac itineribus, quibus libera apud exteras nationes commercia inſtitueramus. Productoque Muſarum pomærio, Sapientiæ ſtudia, quiſque in ſuo receſſu, ſine metu & honore caſtrorum tacitus ſecum pertractaret.

Longò aliter H H. Audd. & præter Opinionem, noſtram res hæ nobis evenerunt. Pro tranquillæ pacis uſu ac fruitione, in maxima bellorum incidimus pericula. Omni nunc Europa, ad arma & lituos, poſt hominum memoriam, funeſtiſſimis exercitibus, ut Chriſtianus, pro pudor! ſanguis profundatur, prompta & parata. Quaſi hactenus tantum folia ceciderint. Inpoſterum verò tota Regna & Provinciæ in cinere favilliſque redigendæ. Indies, inquam, bella gliſcunt, majorque armorum

armorum metus per finitimas terras & nationes circumfertur. Ut non tantùm nos Belgæ & Batavi intercædes & incendia versemur; sed populi Universi, excitis ab imâ Inferni sede Furiis, crudelissimè inter se collidant. Proximâ æstate, cujus mali recens memoria nos habet, quantum detrimenti terrâ marique accepérimus, frustra est, hoc loco iterum enarrare. Novimus vulnera nostra & Cicatrices, quæ etiamnum doleot tot miseris colonis, terris suis Fortunisque ejectis. Quando illustria Belgarum Auspicia infelicibus tenebris objecta; Gloria nostri nominis apud peregrinas Gentes non tantum exstincta. Hinc in fugam & formidinem dati: partim ab inimicis Britannis; inde, quod maximum est, ab ipso divini Numinis furore ac indignatione, cælique tempestatibus, in scopulos infelices impacti, deleti, oppressi. Tanquam lusus & ludibrium facti cunctis Naturæ Elementis, Aëri, Aquis. Classes nostræ maritimæ, virtusque pristina, cognati nobis Oceani, nescio, quàm nefando nuper Fato occupatæ, magnâ pro parte interierint. Ut in omnes pariter Scyllas & Charybdes visæ incurrere. Non uno tunc nobis Naufragio, per omnes Oceani Oras & littora, comparato. Ipsis animis, ipsâ antiqua Batavorum Virtute & robore, prô! dolor! unico ictu & impetu confectis ac contrucidatis. Ut, nihil, hoc loco nunc dicam, de acie & pugnis, quas in proximis finibus Fæderatorum, cum nefario Sanctorum Sectatore, Episcopo Monasteriensi, ad opprobrium nostræ Gentis & nominis, nuper commisimus. Quando ille in meditullium ipsius penè Frisiæ immissus, magnam agris populisque vastitatem induxit. De cujus audaci proposito nulla unquam posterorum memoria conticescet. Quam immanem tyrannidem ac truculentiam nunquam impunè,

punè, spero, PATRIÆ PATRES, Potentissimi DD. ORDINES!, patiemini. Quamdiu enim nostratibus vivus in pectore sanguis, & plumbeus in arcâ nummus, tam diu quoque nostra in illum rabies & ira meritò exasperari debet. Qui plusquam improba molitione ac studio, sine indicta causa, sine ullo suscipiendi jure bellum nobis, ne per somniũ id exspectatantibus, non sine summa injuria, nunc infert. Quare meritò dubitẽ, an majoribus unquam periculis nos Belgæ obnoxii, quam æstate superiore: cum sine milite, sine omni castrorum disciplina, sine Auspiciis, penè & Ductore, sine omnibus Militiæ sacramentis existeremus, Tunc Ille unius Regis Britanniarum dolis ac insidiis illectus, nos imparatos infestissimis copiis oppugnavit, Qui, profectò, Optimo Maximo in cœlis DEO, cujus ministrum se profitetur, magis utilem præstare operam potuisset, si apud Aras & pulvinaria, sacrorũ studio animũ devovisset. Sed, injuriam facere, id demum esse imperio uti, existimabat. Ubi, ubi nunc Vos, quondam in Belgio Divinissimi Imperatores NASSOVII? Qui contra Monachum militem, contra Antistitem inermem, nunc armatum, copias vestras in aciem producatis? Qui in viscera & medullas illius Imperii universum vestrum Equitatum inferre deberetis? Non licet tanti Latronis scelus tacita cogitatione præterire; Non exstare tanti facinoris immanitas ac recordatio debet, sine iusta talionis lege ac vindicta. Non turpissima hujus exempli memoria; nisi vicissim illa sanguine ac cæde profanarum Gentium expietur. Nimis inclyta, nimis clara & excelsa Belgarum est virtus, quàm ut hujusmodi Harpyarum fœdissimo contactu & unguibus polluatur. Olim maximo Regũ, Magno Hispaniarũ Monarchæ vires nostras oppo-

bo
que
per
Lu
Inc
adc
gas
mil

V
qua
rea
abu
aut
ma
ma
necc
flor
qua
ges,
Com
& E
Gyn
barb
tis d
nihil
ftitas
Verb
nebr
nissi

Q
ca, in
funt R

G 4 A-

ORATIO [illegible]

DE [illegible]

[illegible]

SIMONE A[illegible]

A[illegible]

PRofectò, mi Collega, [illegible]
divinâ tuâ, de *Pace* [illegible]
mum auresque oblecta[illegible]
præ illâ nobili materia [illegible]
terit; aut Belgio huic [illegible]
pore felicius evenire [illegible]
nibus sub sole rebus [illegible]
benigniate, velut a[illegible]
desideria meicisq[illegible]
causa, quare de hac [illegible]
merito sibi gratulentur [illegible]
bona apportat, quæ mens [illegible]
expetere possit. *Pax* [illegible]
di, quâ qui securè per[illegible]
cælicolas versari videntur. [illegible]
gio hoc nostro, Q[illegible]
nobis existerent. [illegible]
tare nobis liceret? [illegible]
bus nostris [illegible]
sub tegmine læto [illegible]
rum metu ac formidine [illegible]
nostræ finibus. Sed nunc [illegible]
minum fidem! [illegible]
nunc bonæ leges sub armis [illegible]
bili tumultu miscentur. [illegible]
plo, Mavors ipse, [illegible]
latissimè dominatur. [illegible]

omnes tempeſtates, contra Charybdes, & Acroceraunia, contra Iliadas tot malorum, hanc fortiter, feliciterque conſervate. Et, quando nunc extrema Martis Maritimi pericula & diſcrimina ſunt adeunda, nunquam armis animiſque deficite. Veſtro Ductu & auſpiciis cuncta felicia, ſperamus, evenient. Nec tam molli & muliebri propoſito quiſquam poſthac inter navales ſocios & milites invenietur, qui hanc vitam ſuam, quam à naturâ accepit, pro patria, pro civium ſalute, pro aris & focis, non etiam ultro omnibus periculis, & vexationibus cupiat offerre ac conſecrare.

Tuncdenique hoc ipſum fiet, ô Glorioſiſsime in cælis Deus, ut fœderatæ Provinciæ, populus hic liber & ſui juris, tuis quoque ſub alis & benevolentia paterna feliciſsime ſubſiſtat, vigeat, floreat. Et noſtra quoque hæc civitas illuſtris Alcmaria, & in eâ Relligio, Fides, bonæ Artes, & Sapientiæ ſtudia, omniumque rerum felicitas, perpetuo in honore & exiſtimatione habeantur.

DIXI.

Hæ Duæ antecedentes Orationes habitæ ſunt Alcmariæ *Examine Autumn.*
CIↃ IↃ CLXV.

O RA-

ORATIO. XXXIV.

LOCO PRÆFATIONIS,
ad materiam

De

PACE & BELLO

Habita à

JOHANNE HALTERMONT.
Alcmariano.

Nobilißimi, Amplißimi, Doctißimi
DOMINI AUDITORES.

Exspectaveramus magno cùm desiderio, ut, Bellorum periculis confectis, Vobis & Urbi nostræ, Musisque Alcmarianis læta Pacis gaudia, hoc loco & tempore, gratularemur. Quando, centum post terga catenis Marte revincto, omnes extra terrorem & formidinem bellicam positi, prorsus aliâ, in Belgio nostro, rerum facie perfrueremur. Apertis iterum, terrâ marique, omnibus aditis ac itineribus, quibus libera apud exteras nationes commercia institueramus. Productoque Musarum pomærio, Sapientiæ studia, quisque in suo secessu, sine metu & honore castrorum tacitus secum pertractaret.

Longò aliter HH. Audd. & præter Opinionem, nostram res hæ nobis evenerunt. Pro tranquillæ pacis usu ac fruitione, in maxima bellorum incidimus pericula. Omni nunc Europa, ad arma & lituos, post hominum memoriam, funestissimis exercitibus, ut Christianus, pro pudor! sanguis profundatur, prompta & parata. Quasi hactenus tantum folia ceciderint. Inposterum verò tota Regna & Provinciæ in cinere favillisque redigendæ. Indies, inquam, bella glisunt, majorque armorum

armorum metus per finitimas terras & nationes circumfertur. Ut non tantùm nos Belgæ & Batavi intercædes & incendia versemur; sed populi Universi, excitis ab imâ Inferni sede Furiis, crudelissimè inter se collidant. Proximâ æstate, cujus mali recens memoria nos habet, quantum detrimenti terrâ marique accepe rimus, frustra est, hoc loco iterum enarrare. Novimus vulnera nostra & Cicatrices, quæ etiamnum doleot tot miseris colonis, terris suis Fortunisque ejectis. Quando illustria Belgarum Auspicia infelicibus tenebris objecta; Gloria nostri nominis apud peregrinas Gentes non tantum exstincta. Hinc in fugam & formidinem dati: partim ab inimicis Britannis; inde, quod maximum est, ab ipso divini Numinis furore ac indignatione, cæliquè tempestatibus, in scopulos infelices impacti, deleti, oppressi. Tanquam lusus & ludibrium facti cunctis Naturæ Elementis, Aëri, Aquis. Classes nostræ maritimæ, virtusque pristina, cognati nobis Oceani, nescio, quàm nefando nuper Fato occupatæ, magnâ pro parte interierint. Ut in omnes pariter Scyllas & Charybdes visæ incurrere. Non uno tunc nobis Naufragio, per omnes Oceani Oras & littora, comparato. Ipsis animis, ipsâ antiqua Batavorum Virtute & robore, prô! dolor! unico ictu & impetu confectis ac contrucidatis. Ut, nihil, hoc loco nunc dicam, de acie & pugnis, quas in proximis finibus Fœderatorum, cum nefario Sanctorum Sectatore, Episcopo Monasteriensi, ad opprobrium nostræ Gentis & nominis, nuper commisimus. Quando ille in meditullium ipsius penè Frisiæ immissus, magnam agris populisque vastitatem induxit. De cujus audaci proposito nulla unquam posterorum memoria conticescet. Quam immanem tyrannidem ac truculentiam nunquam impunè,

punè, ſpero, PATRIÆ PATRES, Potentiſſimi DD. ORDINES, patiemini. Quamdiu enim noſtratibus vivus in pectore ſanguis, & plumbeus in arcâ nummus, tam diu quoque noſtra in illum rabies & ira meritò exaſperari debet. Qui pluſquam improba molitione ac ſtudio, ſine indicta cauſa, ſine ullo ſuſcipiendi jure bellum nobis, ne per ſomniū id expectatantibus, non ſine ſumma injuria, nunc infert. Quare meritò dubitē, an majoribus unquam periculis nos Belgæ obnoxii, quam æſtate ſuperiore: eum ſine milite, ſine omni caſtrorum diſciplina, ſine Auſpiciis, penè & Ductore, ſine omnibus Militiæ ſacramentis exiſteremus, Tunc Ille unius Regis Britanniarum dolis ac inſidiis illectus, nos imparatos infeſtiſſimis copiis oppugnavit, Qui, profectò, Optimo Maximo in cœlis DEO, cujus miniſtrum ſe profitetur, magis utilem præſtare operam potuiſſet, ſi apud Aras & pulvinaria, ſacrorū ſtudio animū devoviſſet. Sed, injuriam facere, id demum eſſe imperio uti, exiſtimabat. Ubi, ubi nunc Vos, quondam in Belgio Diviniſſimi Imperatores NASSOVII? Qui contra Monachum militem, contra Antiſtitem inermem, nunc armatum, copias veſtras in aciem producatis? Qui in viſcera & medullas illius Imperii univerſum veſtrum Equitatum inferre deberetis? Non licet tanti Latronis ſcelus tacita cogitatione præterire; Non extare tanti facinoris immanitas ac recordatio debet, ſine iuſta talionis lege ac vindicta. Non turpiſſima hujus exempli memoria; niſi viciſſim illa ſanguine ac cæde profanarum Gentium expietur. Nimis inclyta, nimis clara & excelſa Belgarum eſt virtus, quàm ut hujuſmodi Harpyarum fœdiſſimo contactu & unguibus polluatur. Olim maximo Regū, Magno Hiſpaniarū Monarchæ vires noſtras oppo-

H ſuimus,

ſuimus, tandemque, invitò licet, pacem & libertatem ipſi de manibus extorſimus. Nunc ab uno, prò pudor! Sacrificulo id patiemur, ut illuſtri Confœderatorum Nomini labes & pernicies adferatur? Speramus in proximo illum eſſe diem, quando cum pudore & turpitudine ad ſuum Gregem & Clauſtra ſe recipiet. Ac jure tunc oderit male ominatum illud tempus, quando in vicinorum ſuorum agros, tanquam inſanus catulus Leonum, cum immani furore ac injuria irruperit.

Sed, video *HH. Audd.* COLLEGAS meos, Utroſque Vates & Poëtas, de *Bello* & *Pace* Orationem velle inſtituere. Utinam! utinam! illi Ambo ſuis numeris & Eloquio feliciter id efficere poſſint, ut, poſt immaniſſimas Furias, reducem in terras, de cœlo, PACEM muſis & Reipublicæ feliciter gratulari poſſent.

DIXI.

ORATIO XXXV.

De BELLO.

Habita ab

EPEO ab AYLUA.

Nobili Friſio.

HActenus innumeris cumulavit cladibus agros
Finitimos Bellona furens, mediumque per æquor

Ivit,

Ivit, & æratas maculavit ſanguine puppes.
Tela, tubæ fremuere cavæ fremuere per altum
Armorum ſtrepituſque virûm, micuere ſagittæ,
Et diræ per inane faces, mediaſque per undas
Præcipites hæſere rates Reſolutus habenis
Mars ſævus ſtetit ore fremens, genteſque per omnes
Spiravit belli rabiem; tonuere feroces
Albionum de ſtirpe duces; laxata cavernis
Ivit in hoſtiles ardens diſcordia flammas.
Non Belgas furor iſte tenet, non Barbarus iſte
Inſedit Batavos ſenſus; non improba Martis
Fulmina, non belli rabies hôc naſcitur orbe
Non cruor hos populos, non ſanguine etoſſibus arva
Strata juvant, toties nec frangere in æquore claſſes.
Sed pacis nos raptat amor, quo vindice quondam
Belga triumphales evexit ad æthera lauros.
Exſurgit tum flava Ceres. Galatea per agros
Formoſis decorata roſis, armenta Gregemque
Inſequitur, Corydon læto ſe rure beatum
Æſtimat, & pacis redimitus tempora olivâ
Tum paſcit Melibæus oves; meditatur avenâ
Threïciâ carmen Phyllis. Philomela per auras
Voce canit prædulce melos, turturque gemiſcens
Spargit mille ſonos, tollit ſe remige alauda
Pennarum, & dulces deducit pectore voces.
Exultat divina Themis præcincta coronâ.
Mellitum tunc fundit epos, tunc pollice Apollo
Nobile pulſat ebur. Sophiæ venerabile templûm,
Et Phœbi delubra patent, interque Camænas
Pallas ovat, compleťque novo modulamine ſylvas.
Tunc aperit pulchros Helicon cum murmure fontes,
Tunc Cyrrhæ patuere ſinus, per florida rura,

Perque domos Superum, magni per Regna Tonantis.
Tunc læti fulsere dies, tunc corpora nostra
Ascrææ faciles perfundunt nectare dulci.
In Batavis, nil quàm jucundæ nomina pacis
Fas olim celebrare domi, celebrare forisque.
Sed nunc tanta jacent rerum molimina Belgæ,
Et spes vix superest cœli melioris & auræ.
Omnia sub Martis rabie, sub tristibus iris
Ingeminant miseros terrâque marique tumultus.
Pieridum Pia turba silet, squallentque coloni,
Abducti patriis arvis, & limite dulci
Majorum, nulli veteres fas visere fines,
Aut delubra Deum solito venerarier auro.
Omnia luctus habet, mediis dum rursus in undis
Albionum Leo sævus agit, pontumque profundum
Dum ratibus percurrit ovans: dum Martia scandunt
Æquora veliferæ puppes, multoque cruore
Inficit audaces Neptuni fluctibus aras.
Nondum ita hæc se sistit aquis. Vis improba Martis
Per terras pontumque volat, tutosque penates
Conturbat, tollitque avidos per sidera luctus.
Sic tandem Eöo solis radiantis ab ortu
Bellorum nos ira premit; procedit ab antris
Paparum de stirpe lupus, sacrataque solvit
Fædera, & audacter depromit tela pharetris.
Spreta jacet pietas quæ quondam in honore, jacetque
Divini ritus majestas inclyta, pro pudor! aræ,
Et delubra Deum tanto sub judice tristi
Stant damnata jugo. gaudet certrare sarissis,
Et maculare manus insonti sanguine Mavors.
Nec *Monacho* pudor est acies committere ferro
Vulnifico; & gentes varias fœdare cruore.
Sanguineas sumit phaleras, arisque relictis
Anti-

Antiquis, movet arma furens, galeasque tubasq́;
Pestiferosque globos. Non Martis noxia tela,
Non belli vexilla timet; per saxa per ignes
Seminecesque viros, inter tot busta cruenta,
Sublimi Dux gaudet equo. Batavumque per agros
Impavidus sua castra locat, validasque cohortes
In campum deducit ovans, nec sanguinis horror
Hunc potuit placare Ducem, per viscera ferrum
Torquet, & innumeris peragit cum cædibus ævũ.
Frisiadum prædatur opes, incendia miscet.
Per nostros furibundus agros; furit acer in armis
Nil lethi mortisque memor, calidumque cruorem
Lambit, & hostiles haurit ferus ore furores.
Succrescit Martis rabies, majoribus ausis
In ferrum lethale ruens; conspirat in iras
Thesiphone, rabidumque ducem, lactavit Erynnis,
Uberibus, ceu lacte novo quem nutriit ORCUS.
Mæret flava Ceres, nec jam velut ante solebat,
Exercet sua rura Pales. Non cantibus Ægle
Balantes delectat oves: ast ossibus albis
Inde micant campi virides, fluit undique latè
Belgarum per tecta cruor. Nunc omnia luctus
Turpis habet, dum Papa ferox adolescit in armis.
Væ, *Groninga*, tuis excelsis mœnibus, in quæ
Raptor milvus agit pennis victricibus, & qui
Fundere humo tentat, cunctosque involvere flammis
Frisiadas. Illos nostro sub cardine natos
Æternis Erebi, stygiisque efferre sepulchris.
Est nusquam nunc tuta fides, terrâque marique
Fervet Martis opus, prædas hic Mulciber ardens
Impavidus per rura rapit. Gemit inde juvenca,
Inde gemunt armenta domi, stabulisque sub ipsis
Infandum queritur grex sub latrone luperco.
Per tot colla virum stringit sua tela, facesque
In cædem prædamque jacit. Matrona pudicæ
Illacrymat natæ Thalamis, patremque domumq́;

Vobis, *Viri illustres*, qui pro patriæ salute generose mortui estis, vobis inquam, merito in lacteâ Cœli viâ, cum cæteris Heroibus augustissimus hic locus debetur. Et nunquam, profectò, paria pro exemplo fortitudinis editæ; in perenni ære; aut marmore poni monumenta possunt. Qui vitam vestram, quæ, cum nullo alio prætio est æstimanda, etiam vel ultrò Patriæ charissimæ jampridem impendistis. Quod factum quam illustri atque excellens sit, norunt isti omnes, qui hodie Remp. in summis angustiis & calamitatibus positam esse vident. Non ingrati unquam erimus divinis vestris beneficiis, O Animæ excellentissimæ! quæ in commune nuper bonum ostendistis: sacra & sancta, vestrum semper erit memoria, quam diu honor huic Belgio, & fides seræ posteritati.

Vos fama æternos provexit ad usque nepotes
Et nomen super astra poli, super alta tenetis
Sidera vos titulis ingentibus Oceanum ultra,
Auroram, Gangemque ipsum nunc itis, & omnes,
Quâ populos serus vesper, quâ respicit ortus,
Nunc vestris meritis terras, & numine fusto
Redditis attonitas. Vobis procul ultima Thula,
Extremique hominum morem gessere Moluccæ.
Quodque olim invicti, victi docuere Philippi
Exemplo: quando non inferiora secuti.
Tunc Batavi, spatio insignes, sceptrisque potiti,
Erexere etiam gemino sub sole trophæa.

Tales nos olim extitimus, Illustres quondam Batavi, cum remotissimæ nationes bellicis nostris laudibus & victoriis obstupefactæ, vel solam nominis nostri umbram extimescerent. Latissime per omnes terrarum angulos, insigni Belgarum gloria tunc diffusâ.

At nunc pro pudor! ludibrium nos sumus facti Europæ universæ. Et quo nuper fama nos tulit pro-

prosperis fortunæ auspiciis, illo nostræ miseriæ magnitudo & ignominia jam dudum pervenit. Perdidimus antiquæ gloriæ titulos. Illam animi vim & virtutem terra marique celebrem, eheu! perdidimus. Illam belli gerendi felicitatem, illam Ducum nostrorum fortitudinem; cum nullo aliàs populo aut gente componendam fœdè inquam, perdidimus. Si paulò extra Batavi orbis limitem progrediamur; si vel proximos Flandros & Brabantos adeamus, immane quantum, de pristina, illic gloria & majestate amisimus. Sola vel Batavi, nominis umbra hic vapulat. Nosque tanta Majorum laude inclyti, penè pro conclamatis, & malè auspicatis populis habemur. Ad remotiores verò gentes, si classibus nostris penetremus, vah! quam illic, contemptissimi de nobis sermones instituuntur! quam mascula nostra, heu! quondam virtus male audit! quantum mutati ab illo Hectore, & Nassoviis, qui quondam.

Excessit fortuna modum cum Marte secundo
Belgica se virtus, mundi per climata, & orbem
Extulerat geminum. Sed nunc se Pergama nostra,
Majorumque animi fortes, visque illa virilis
E heu! sub tenebris spissis, & nocte recondunt.

Adeò hostibus nostris, per proximam victoriam insolescentibus, ut nihil prorsus de ipso Batavorum nomine ac fortunis, quando ad nova iterum prælia recurrant, superfuturum stolidissime jactitent. Tanquam communi ruina, omnia, quæ terra marique Belgæ possidemus, brevi occupaturi. Et quasi nulla sint nobis aliundè amplius auxilia, fortunæ; opes; solatia nulla; quibus feliciter eniti possimus. Quæ prò magnâ parte cum à veritate nec sint aliena, nondum tamen laus Deo Optimo Maximo, eò malorum addacti sumus: ut tot nobis adhuc Patriæ Atlantibus in vivis, & ad imperii

clavum

clavum ſedentibus, turpiter deſperare debeamus. In magnis difficultatibus & rerum diſcrimine, fateor vivimus, terrâ marique maximis periculis expoſiti, atque ad ultimas anguſtias terminoſque deducti. Supereſt ingens tamen nobis ſolatium, in bonæ cauſæ fiduciâ; in Dei Omnipotentis manu; in fidiſſimis patriæ Rectoribus. Qui, abſque dubio, juxta animam ſuam, hanc ſacram Belgicæ Libertatis cuſtodiam ſartam tectamque humeris ſuis ſuſtinebunt.

Nec ſemper Batavi adverſis pugnabimus aſtris,
Et cæcos contra ſtimulos. contraque Charibdes
Ibimus; aut dubio referemus prælia Marte.
Quondam etiam victis redit, in præcordia virtus,
Nec nocuit tentare iterum, quo cymba profundo
Hæſerat, eventus varias fortuna miniſtrat.

Modò promptioribus & paratioribus animis, in aciem deuuò à nobis eatur. Nec tam panico metu milites noſtri, ſociique navales proſtrati, iterum eandem nobis contumeliam, quam paſſi ſumus, fœdè intulerint. Aciem hanc ſecundam, niſi magnus ille de Cælo Dictator ſua ope & præſidio ſoſpitet, ac ſecundet, dicite, amabo, Quirites, quam triſtis, quam infanda per Patriam noſtram nubes diffunderetur! quam meritò nos omnes metus, terror, pallorque ac penè fatalis rerum periodus involveret! Igitur adhibenda eſt omnis cura, omniſque induſtra, ut priori iſti maculæ ac vitio non noviſſima denique macula accedat. Pœnæ, ſupplicia male merentibus, benè meritis ex æquo præmia ſunt perſolvenda. Ne aut per indulgentiam diſciplina militaris evileſcat; aut omiſſâ in malos damnatione, illecebra illa peccandi, licentia, majores ſibi vires aſſumat. Periclitati ſumus ſtatum publicûm; neſcio quâ nuper agendi temeritate; quibuſve conſiliis aut prodi-

proditionibus iniquis. Ad quæ mala monſtra expianda, novo, ſane, opus eſt Hercule, noviſque auctoribus; qui contra Britannorum iſtas Hydras ſeptemplice Vulcani clypeo armati, res Belgarum fractas & diſſipatas ſanctiore iterum animo in integrum reſtituent. Ad quæ negotia feliciter tandem componenda, ſpero Opt. Max. è Cælo Deus manum ſuam ſalutarem conferet. Qui nunquam patietur, ſacram ſuam hanc vineam, à feris iſtis belluis, & plus quam avibus ſtymphalicis diripi ac devaſtari. Ubi hactenus tam luculenta pace & tranquillitate frui i ſumus; terra marique tam glorioſos rerum noſtrarum ſucceſſus habuimus. Et quaſi in mediis convallibus verè viximus vitam fortunatam; pene dixerim ſine ullo interventu malorum, & ægritudine obviâ.

Vos, illuſtres Patriæ Proceres, Aſſertores Libertatis, Relligionis, Pacis publicæ: domi atque foris, agite, divinis veſtris conſiliis, contra juratos, nobis hoſtes, Britannos, opem & auxilium feratis. Nec patiamini, intra veſtros muros graſſari improbitatem, luxuriem, proditionem. Belgarum enim ſalus, quæ majorum ſanguine & fortitudine ſemel parta & parata eſt, tota veſtris eſt in manibus. Liberorum conjugumque vita & fortunæ; Lares & Penates uniuſcujuſque noſtrum à veſtra prudentia & æquitate defenſionem exſpectant. Agite, inquam, veſtris laboribus, vigiliis, lucubrationibus, commiſſam vobis fidem fideliter aſſervate. Voſque hoc loco alloquar, O fortiſſimi magni Maris Oceanique præfecti, *Wittenii*, *Ruteri*, *Trompii*, cæteriſque iſtius ordinis Duces, & Anteſignani, nobiliſſimi. Vos iterum novi & redivivi Scipiones, Phociones, Miltiadæ, Reip. hanc navem veſtris manibus, & curæ concreditam rectâ in tutum & tranquillum portum deducite. Et contra omnes

omnes tempestates, contra Charybdes, & Acroceraunia, contra Iliadas tot malorum, hanc fortiter, feliciterque conservate. Et, quando nunc extrema Martis Maritimi pericula & discrimina sunt adeunda, nunquam armis animisque deficite. Vestro Ductu & auspiciis cuncta felicia, speramus, evenient. Nec tam molli & muliebri proposito quisquam posthac inter navales socios & milites invenietur, qui hanc vitam suam, quam à naturâ accepit, pro patria, pro civium salute, pro aris & focis, non etiam ultro omnibus periculis, & vexationibus cupiat offerre ac consecrare.

Tunc denique hoc ipsum fiet, ô Gloriosissime in cælis Deus, ut fœderatæ Provinciæ, populus hic liber & sui juris, tuis quoque sub alis & benevolentia paterna felicissime subsistat, vigeat, floreat. Et nostra quoque hæc civitas illustris Alcmaria, & in eâ Religio, Fides, bonæ Artes, & Sapientiæ studia, omniumque rerum felicitas, perpetuo in honore & existimatione habeantur.

DIXI.

Hæ Duæ antecedentes Orationes habitæ sunt Alcmariæ *Examine Autumn.* CIϽ IϽ CLXV.

ORA-


ORATIO. XXXIV.

LOCO PRÆFATIONIS,

ad materiam

De.

PACE & BELLO



Habita à

JOHANNE HALTERMONT.

Alcmariano.

Nobilißimi, Amplißimi, Doctißimi
DOMINI AUDITORES.

EXſpectaveramus magno cum deſiderio, ut, Bellorum periculis confectis, Vobis & Urbi noſtræ, Muſiſque Alcmarianis læta Pacis gaudia, hoc loco & tempore, gratularemur. Quando, centum poſt terga catenis Marte revincto, omnes extra terrorem & formidinem bellicam poſiti, prorſus aliâ, in Belgio noſtro, rerum facie perfrueremur. Apertis iterum, terrâ marique, omnibus aditis ac itineribus, quibus libera apud exteras nationes commercia inſtitueramus. Productoque Muſarum pomærio, Sapientiæ ſtudia, quiſque in ſuo ſeceſſu, ſine metu & honore caſtrorum tacitus ſecum pertractaret.

Longè aliter H H. Audd. & præter Opinionem, noſtram res hæ nobis evenerunt. Pro tranquillæ pacis uſu ac fruitione, in maxima bellorum incidimus pericula. Omni nunc Europa, ad arma & lituos, poſt hominum memoriam, funeſtiſſimis exercitibus, ut Chriſtianus, pro pudor! ſanguis profundatur, prompta & parata. Quaſi hactenus tantum folia ceciderint. Inpoſterum verò tota Regna & Provinciæ in cinere favilliſque redigendæ. Indies, inquam, bella gliſcunt, majorque armorum

armorum metus per finitimas terras & nationes circumfertur. Ut non tantùm nos Belgæ & Batavi inter cædes & incendia versemur; sed populi Universi, excitis ab imâ Inferni sede Furiis, crudelissimè inter se collidant. Proximâ æstate, cujus mali recens memoria nos habet, quantum detrimenti terrâ marique acceperimus, frustra est, hoc loco iterum enarrare. Novimus vulnera nostra & Cicatrices, quæ etiamnum doleat tot miseris colonis, terris suis Fortunisque ejectis. Quando illustria Belgarum Auspicia infelicibus tenebris objecta; Gloria nostri nominis apud peregrinas Gentes non tantum exstincta. Hinc in fugam & formidinem dati: partim ab inimicis Britannis; inde, quod maximum est, ab ipso divini Numinis furore ac indignatione, cæliqùe tempestatibus, in scopulos infelices impacti, deleti, oppressi. Tanquam lusus & ludibrium facti cunctis Naturæ Elementis, Aëri, Aquis. Classes nostræ maritimæ, virtusque pristina, cognati nobis Oceani, nescio, quàm nefando nuper Fato occupatæ, magnâ pro parte interierint. Ut in omnes pariter Scyllas & Charybdes visæ incurrere. Non uno tunc nobis Naufragio, per omnes Oceani Oras & littora, comparato. Ipsis animis, ipsâ antiqua Batavorum Virtute & robore, prô! dolor! unico ictu & impetu confectis ac contrucidatis. Ut, nihil, hoc loco nunc dicam, de acie & pugnis, quas in proximis finibus Fæderatorum, cum nefario Sanctorum Sectatore, Episcopo Monasteriensi, ad opprobrium nostræ Gentis & nominis, nuper commisimus. Quando ille in meditullium ipsius penè Frisiæ immissus, magnam agris populisque vastitatem induxit. De cujus audaci proposito nulla unquam posterorum memoria conticescet. Quam immanem tyrannidem ac truculentiam nunquam impunè,

punè, spero, PATRIÆ PATRES, Potentissimi DD. ORDINES, patiemini. Quamdiu enim nostratibus vivus in pectore sanguis, & plumbeus in arcâ nummus, tam diu quoque nostra in illum rabies & ira meritò exasperari debet. Qui plusquam improba molitione ac studio, sine indicta causa, sine ullo suscipiendi jure bellum nobis, ne per somniũ id exspectatantibus, non sine summa injuria, nunc infert. Quare meritò dubitẽ, an majoribus unquam periculis nos Belgæ obnoxii, quam æstate superiore: cum sine milite, sine omni castrorum disciplina, sine Auspiciis, penè & Ductore, sine omnibus Militiæ sacramentis existeremus. Tunc Ille unius Regis Britanniarum dolis ac insidiis illectus, nos imparatos infestissimis copiis oppugnavit, Qui, profectò, Optimo Maximo in cœlis DEO, cujus ministrum se profitetur, magis utilem præstare operam potuisset, si apud Aras & pulvinaria, sacrorũ studio animũ devovisset. Sed, injuriam facere, id demum esse imperio uti, existimabat. Ubi, ubi nunc Vos, quondam in Belgio Divinissimi Imperatores NASSOVII? Qui contra Monachum militem, contra Antistitem inermem, nunc armatum, copias vestras in aciem producatis? Qui in viscera & medullas illius Imperii universum vestrum Equitatum inferre deberetis? Non licet tanti Latronis scelus tacita cogitatione præterire; Non exstare tanti facinoris immanitas ac recordatio debet, sine iusta talionis lege ac vindicta. Non turpissima hujus exempli memoria; nisi vicissim illa sanguine ac cæde profanarum Gentium expietur. Nimis inclyta, nimis clara & excelsa Belgarum est virtus, quàm ut hujusmodi Harpyarum fœdissimo contactu & unguibus polluatur. Olim maximo Regũ, Magno Hispaniarũ Monarchæ vires nostras opposuimus,

fuimus, tandemque, invitò licet, pacem & libertatem ipsi de manibus extorsimus. Nunc ab uno, prò pudor! Sacrificulo id patiemur, ut illustri Confœderatorum Nomini labes & pernicies adferatur? Speramus in proximo illum esse diem, quando cum pudore & turpitudine ad suum Gregem & Claustra se recipiet. Ac jure tunc oderit male ominatum illud tempus, quando in vicinorum suorum agros, tanquam insanus catulus Leonum, cum immani furore ac injuria irruperit.

Sed, video *HH. Audd.* COLLEGAS meos, Utrosque Vates & Poëtas, de *Bello* & *Pace* Orationem velle instituere. Utinam! utinam! illi Ambo suis numeris & Eloquio feliciter id efficere possint, ut, post immanissimas Furias, reducem in terras, de cœlo, PACEM musis & Reipublicæ feliciter gratulari possent.

DIXI.

ORATIO XXXV.

De

BELLO.

Habita ab

EPEO ab AYLUA.

Nobili Frisio.

HActenus innumeris cumulavit cladibus agros
Finitimos Bellona furens, mediumque per æquor
Ivit,

Ivit, & æratas maculavit ſanguine puppes.
Tela, tubæ fremuere cavæ fremuere per altum
Armorum ſtrepituſque virûm, micuere ſagittæ,
Et diræ per inane faces, mediaſque per undas
Præcipites hæſere rates Reſolutus habenis
Mars ſævus ſtetit ore fremens,genteſque per omnes
Spiravit belli rabiem; tonuere feroces
Albionum de ſtirpe duces; laxata cavernis
Ivit in hoſtiles ardens diſcordia flammas.
Non Belgas furor iſte tenet, non Barbarus iſte
Inſedit Batavos ſenſus; non improba Martis
Fulmina, non belli rabies hôc naſcitur orbe
Non cruor hos populos, non ſanguine etoſſibus arva
Strata juvant toties nec frangere in æquore claſſes.
Sed pacis nos raptat amor, quo vindice quondam
Belga triumphales evexit ad æthera lauros.
Exſurgit tum flava Ceres. Galatea per agros
Formoſis decorata roſis, armenta Gregemque
Inſequitur, Corydon læto ſe rure beatum
Æſtimat, & pacis redimitus tempora olivâ
Tum paſcit Melibæus oves; meditatur avenâ
Threïciâ carmen Phyllis. Philomela per auras
Voce canit prædulce melos, turturque gemiſcens
Spargit mille ſonos, tollit ſe remige alauda
Pennarum,& dulces deducit pectore voces.
Exultat divina Themis præcincta coronâ.
Mellitum tunc fundit epos, tunc pollice Apollo
Nobile pulſat ebur. Sophiæ venerabile templûm,
Er Phœbi delubra patent, interque Camænas
Pallas ovat, completque novo modulamine ſylvas.
Tunc aperit pulchros Helicon cum murmure fontes,
Tunc Cyrrhæ patuere ſinus, per florida rura,

Perque domos Superum, magni per Regna Tonantis.
Tunc læti fulsere dies, tunc corpora nostra
Ascrææ faciles perfundunt nectare dulci.
In Batavis, nil quàm jucundæ nomina pacis
Fas olim celebrare domi, celebrare forisque.
Sed nunc tanta jacent rerum molimina Belgæ,
Et spes vix superest cœli melioris & auræ.
Omnia sub Martis rabie, sub tristibus iris
Ingeminant miseros terrâque marique tumultus.
Pieridum Pia turba silet, squallentque coloni,
Abducti patriis arvis, & limite dulci
Majorum, nulli veteres fas visere fines,
Aut delubra Deum solito venerarier auro.
Omnia luctus habet, mediis dum rursus in undis
Albionum Leo sævus agit, pontumque profundum
Dum ratibus percurrit ovans: dum Martia scandunt
Æquora veliferæ puppes, multoque cruore
Inficit audaces Neptuni fluctibus aras.
Nondum ita hæc se sistit aquis. Vis improba Martis
Per terras pontumque volat, tutosque penates
Conturbat, tollitque avidos per sidera luctus.
Sic tandem Eöo solis radiantis ab ortu
Bellorum nos ira premit; procedit ab antris
Paparum de stirpe lupus, sacrataque solvit
Fœdera, & audacter depromit tela pharetris.
Spreta jacet pietas quæ quondam in honore, jacetque
Divini ritus majestas inclyta, pro pudor! aræ,
Et delubra Deum tanto sub judice tristi
Stant damnata jugo. gaudet cerrare sarissis,
Et maculare manus insonti sanguine Mavors.
Nec *Monacho* pudor est acies committere ferro
Vulnifico; & gentes varias fœdare cruore.
Sanguineas sumit phaleras, arisque relictis
Anti-

Antiquis, movet arma furens, galeasque tubasq;
Pestiferosque globos. Non Martis noxia tela,
Non belli vexilla timet; per saxa per ignes
Seminecesque viros, inter tot busta cruenta,
Sublimi Dux gaudet equo. Batavumque per agros
Impavidus sua castra locat, validasque cohortes
In campum deducit ovans, nec sanguinis horror
Hunc potuit placare Ducem, per viscera ferrum
Torquet, & innumeris peragit cum cædibus ævũ.
Frisiadum prædatur opes, incendia miscet.
Per nostros furibundus agros; furit acer in armis
Nil lethi mortisque memor, calidumque cruorem
Lambit, & hostiles haurit ferus ore furores.
Succrescit Martis rabies, majoribus ausis
In ferrum lethale ruens; conspirat in iras
Thesiphone, rabidumque ducem, lactavit Erynnis,
Uberibus, ceu lacte novo quem nutriit ORCUS.
Mæret flava Ceres, nec jam velut ante solebat,
Exercet sua rura Pales. Non cantibus Ægle
Balantes delectat oves: ast ossibus albis
Inde micant campi virides, fluit undique latè
Belgarum per tecta cruor. Nunc omnia luctus
Turpis habet, dum Papa ferox adolescit in armis.
Væ, *Groninga*, tuis excelsis mœnibus, in quæ
Raptor milvus agit pennis victricibus, & qui
Fundere humo tentat, cunctosque involvere flammis
Frisiadas. Illos nostro sub cardine natos
Æternis Erebi, stygiisque efferre sepulchris.
Est nusquam nunc tuta fides, terrâque marique
Fervet Martis opus, prædas hic Mulciber ardens
Impavidus per rura rapit. Gemit inde juvenca,
Inde gemunt armenta domi, stabulisque sub ipsis
Infandum queritur grex sub latrone luperco.
Per tot colla virum stringit sua tela, facesque
In cædem prædamque jacit. Matrona pudicæ
Illacrymat natæ Thalamis, patremque domumq;:

Cernit in invisos cineres flammamque reverti.
Undique Mars terret cives, plangoribus ædes
Fæmineis resonant alibi. Timidæque Puellæ,
Hic rutilas fudere comas, Juvenesque lacertos
Corporibus lacerant propriis, crudusque per omnes
Incedit dolor iste lares, miseroque tumultu
Omnia miscentur, dum trux Mars surgit in iras.
Nuper in æquoreis fremeret cum Belliger undis
Hesperia de gente Lupus, cum innare profundum
Tardigradas classes, ornata palatia quondam,
Vidimus, & virides tranare per æquora montes.
Tum Batavum surgebat honos, variosque triumphos
Tunc auxit Bellona favens, multosque per annos.
Belgica perpetuum pugnavit Marte secundo.
Hesperii cecidere Duces, cecidere Carinæ
Quas vinci non posse putes. Tunc Pergama summis
Sternuntur Fabricata Diis, & mœnia summa
Vix nunquam ruitura ruunt. Cecidere Philippi,
Quos metuit tunc Belga potens, ultraque Britannos
Victores stetimus Batavi, cum bella moverent
Nassovidum de stirpe Duces. Et Trompius ipse
In mediis tunc staret aquis. Ductoribus istis
Belgarum quondam pulsavit sidera virtus.
Tunc terror fuimus populis gens proxima cœlo
Belgica, & extremos in prædam vertimus Indos.
Mutata est fortuna fori. Nunc Belgica magno
Auriaco ductore caret: nunc Æther & undæ
Adversus nos bella movent: è nubibus atris
Ventorum nos ira premit, cæsisque piorum
Auxiliis nudi pelago objectamur iniquo.
Inque novos casus ni vis divinior obstet,
Servamur cuncti, ridendaque fabula mundo
Sic tandem fient Batavi Batavumque Nepotes.

Bellorum

Bellorum has ſed *Belga* minas tantoſque furores
Deſpice, & oppoſitos i contra fortiter hoſtes.
Armorumque faces jaculare in Pergama celſa,
Vulturiaſque acres, quondam qui ſanguine noſtro
Infeſtis luimus Superis cum vulnere pœnas,
Tandem iterum victis his gentibus, arma parantur
Nobilium, & reſides animos in pulvere Martis
Poſt totidem clades rurſum oſtendemus evantes.

Tu Deus alme, precor, noſtris conatibus æquus
De cœlò adſpirare velis, Batavumque ſalutem
Auſpicio meliore foris, melioribus aſtris,
Defendiſſe domi. Nec tanto ſanguine parta
Quondam Libertas in prædam cedat iniquis
Hoſtibus, & nomen Belgarum illuſtre, decuſque
Uni ſit ſpolium, aut Monacho, regive Tyranno
Serviat infelix. Da nobis priſtina virtus
Dignos Marte animos, & pectora fida miniſtret.
Ut rurſus quæ damna tulit gens proxima cæli
Sideribus, victrix caput inter nubila tollat;
Artificeſque mali diviſos orbe Britannos,
Nobiſcum in tutam cogat deſcendere pacem:
Aut armis, & jure manus, poſt vimque doloſque
Imperio premere, & victis imponere leges.

DIXI.

ORATIO. XXXVI.

DE PACE,

Habita à

MATTHIA ROTTERDAM.
Amstelod:

Quid mea lethiferis Regna infestare quadrigis,
Quidve faces, & saxa paras? quid murmure terræ,
Et rauco clangore fremunt? tantumne malorum
Ardor, & horrendæ pollent, Gradive, secures?
Tu Phlegetonteis mundum complexus habenis,
Cæde Thetin, Vestamque moves, tu sceptra potentum
Polluis armorum maculis; Regesque Ducesquè
Dira procellosi subeunt discrimina belli.
Labitur Herculeis per te munita columnis
Arx æquæva polo, manibusque extructa Gigantum
Ære tuo sabulata ruunt, quæsita per ævum,
Et longo intereunt attrita æraria censu.
Non cerebro scopulos parvi lactentis acutos
Dextra furens maculasse timet, non pectora matrum
Et roseas laniasse genas Juvenumque senumque,
Ardua sanguineo pertundere tempora ferro.
Hîc plorat natum Genetrix, hic mœsta nitentes
Diffundit matrona comas, quæruloque susurro
Tecta, fores, delubra sonant, gemitusque cadentum
Attonitas miseris feriunt ululatibus auras.
Hic pelagi tormenta tonant, & transtra, forosque
Fla-

Flagrantes sorbſere faces, pretioſa ſupellex
Ceruleis ſe oſtendit aquis, nunc cernitur altâ
Strage virum cumulata ratis, ferit Æthera clamor
Nauticus, obducto ſpumant freta verſa cruore.
Jamque procul diris graditur circumdata monſtris
Per ſegetem Bellona ferox, ſylvaſque virentes
Exurit, carpitque roſas, rubigine prata
Deficiunt, ſqualent limphæ, permanſit in herbis
Lutor, & erepto langueſcunt lilia ſucco.
Concurrunt funeſtæ acies, gladioſque coruſcant
Armigeri per inane duces, quaſſantur ubique
Terribilis criſtis galeæ, ſtrepituque rotarum
Mænia, & ærati mutant in limine poſtes.
Membra virum mutilata ruunt, per lilia, flores
Semianimes volvuntur equi, non ſtagna paluſtæ
Corpora conclamata tenent, totoque profundo
Cæſorum exuviis exuberat unda Caiſtri.
Sternite membra ducum, victricia tollite ſigna
Dilectæ Mavorti animæ, vibrate ſagittas,
Et reſonent ferale tubæ, voceſque cadentum,
Et gemitus ſuper aſtra fremant, caſtella Phalanges,
Oppida, & aëriæ ſuperentur milite turres.
Præda viros opulenta beet, per aperta vagentur
Atria, ſucceſſuſque novis ſucceſſibus adſint.
Hîc laudis maleſanus amor, rabioſa nocendî
Gloria, veloceſque ferunt hæc gaudia venti.
Pacis major honos, pacem cœleſtia circum
Caſtra faces, & tela locant, multiſque trophæis
Bellonæ, ramus potior felicis olivæ.
En ego pax tranquilla, Jovis de limine ſacrum

Et genus, & sobolem refero, mihi Regia Juno
Mater, & aligerum turmæ comitantur euntem.
Non mea nimbosæ perrumpunt tecta procella,
Non Mavors mucrone ferit, non ferreus imber
Ingruit, aut rapidæ volitant super Æthera flammæ.
Me pietas, secura quies, me vindice terras
Ocia larga beant, nullo tremefacta tumultu
Regum sceptra vigent, toto fluit agmine rivus
Nectaris, & celsâ distillant mella cupresso.
Redduntur furiæ tenebris, cum crinibus Hydrâ
Tænariis se mergit aquis, formidat Erynnis
Pestiferas aperire fores. neque letifer Orcus
Unanimes ad bella premit furibunda colubras
Alecto Amsancti nemerosâ valle recondit.
Luce poli meliore micant. Saturnia surgunt
Sæcula, & æterni patet indulgentia veris.
Ipsa Quirinalis legio, cætusque Quiritum
Mavortis ponunt phaleras, cinctuque Gabino
Velatus miles graditur, bellona triumphos
Spernit, & Eridani ludunt per prata Jugales.
Mutantur vexilla togâ, bellique secures
Consulis ante pedes recubant, Galeamque removit
Mars pater, & sævo loricam pectore rumpit.
Non vigil excubitor celsâ de rupe furentem
Prospicit Hannibalem, neque subruta mœnia flammis
Exultans aspectat eques, non commoda castris
Gens petitur furibunda virum, sed Martius hæret
Currus, & albenti se cingit victor olivâ
Flore novo vestitur humus, temerata cruore
Semina terra refert, siccati fulmine fontes
Cœruleas revocant latices & rore maritant
Arentes stillante rosas, color omnia vernis
Inficit, & tenero turgent in cortice gemmæ.

Ostendit

Oſtendit ſe flora Ceres, redimitur Ariſtis
Almus ager fœtuque tumet juſtiſſima tellus,
Hic rubet Aſſyrios inter Narciſſus odores
Hic violis Hyacinthus adeſt, hic lilia, flores
Purpureo ſplendore micant humileſque myricæ
Errantes retinent viridi ſub fronde capellas.
Sternit iners curvo terram molitus aratro
Agricola in campi ſtipulis, monteſque per altos
Lanigeras imitatur oves, ubi punice fontes
Humida perſpicuis irrorant gramina limphis.
Dulci ſonæ modulantur aves, & turtur ab ulmo
Effundit mihi dulce melos, facileſque cicadæ
Sæpe levi ſomnos hortantur inire ſuſurro.
Undique tuta quies oritur, per luſtra ferarum
Intactæ paſcuntur oves, fovêre moloſſi
Securum blandi leporem, ſecura vagatur
Tygris atrox, ſævique fremunt impune Leones.
Hîc Nimphæ ſatyrique canunt, Amarillida montes
Hîc Coridon reſonare docet. cum Phillide Thyrſis
Ilice ſub nigrâ recubat, virgulta canoris
Vocibus halcyonem reſonant, rura hoſtia felix
Circuit, & lætæ referuntur in horrea meſſes.
Exultat per rura pecus, ſaxa horrida, rupes
Ad pacis ſe ſacra movent, ſylvæque videntur
Fronde virere novâ, nutant ad mutua quercus
Fœdera, & omnigeni ludunt per prata colores.
Nuper in Alpinis ſteterat quæ rupibus almis
Per freta Neptuni volitat petit uncta carina
Alterius convexa poli, totoquè profundo
Errat, & immenſos piceo ſecat unguine fluctus.
Præbet odoratas alio ſub ſidere dives
Indus opes, lateque auro gravibuſque ſmaragdis
Limina celſa micant, Arabumque ex divite ven
Stat caſiæ matura ſeges, nunc mitis amomi

Nectareus prorumpit odor, Panchæaque ſurgunt
Cinnama, & Aſſyrio fucantur murice veſtes.
Mercurio ſalis unda patet, ſub cardine rerum
Terrigenæ ſua vela locant, totumque per orbem
Moſchus, Perſa, Danus, Regni ſacraria pandunt.
Ipſa palatino creſcit reverentia monti
Et Pallas præclara nitet, reducesque ſalutat
Jam melior ſic muſa Deos, lætatus Apollo
Deſuetum modulatur epos, nunc pollice honeſto
Fila lyræ neglecta ferit, revireſcere laurus
Cernitur, & ſolidæ ſpirant præſagia rupes.
Nimphis Phœbus adeſt, & priſco flore Minerva
Tot circum delubra videt, ſtipatur alumnis
Pegaſidum, pleno pandunt ſua templa Camœnæ
Limine, & aëriis cinguntur numina Pindi
Culminibus, Cælique Themis ſuper aſtra locatur.
Nec non aurati Proceres, turbæque togatæ
Jura legunt, legeſque probant Oracula vates
Supplicibus pandunt populis, priſcâque Senator
Majeſtate virens, virtutis clauſtra reſolvit.
O dona admiranda Dei! miranda facultas
Temporis! o ſeries non intellecta ſalutis!
Salve clara Deum, ſalve dilecta Tonanti,
Et terris Regina favens, ſalve inclyta Muſis
Gloria, Aoniæ felix Patrona Minervæ,
Tu furias Erebi, tu diri Tartara Ditis
Et quicquid ferale domas, te triſtia Martis
Fulmina, & immites metuunt temerare ſariſſæ.
Te votis Populi, te magni turba Senatus
Et celebrat Regale jubar, tibi Belliger arma
Subdidit, & muſſat ſibi ſucceſſiſſe triumphos.
Auſpice te validis fulgebat Belga columnis,
Et nomen ſuper aſtra ſtetit, cognata tenebat
Sidera, & excelſum caput inter nubila fixit.
Hærebat ſub ſole novo, potuitque per æquor
Heſperios terrere duces ſua carbaſa vaſtis
Diffundit violentus aquis, non India ferro
Non

Non Ligurum valuere minæ, tripidique Britanni
Undique conspicuos Batavi mirantur honores.
Quin etiam magni quondam capitolia Galli
Belgarum arrisere aquilis, tantisque cruentus
Succubuit Mars ipse viris. Non *Abbatis*, Agmen
Non *Monachi* fremuere tubæ, sprevere furentes,
Intrepidi Auriaco sub dictatore Philippos.
Non tulit has Belgæ Phaleras populator iniquus
Albion, & tantas incassum exsurgere Lauros
Invidit Bellona furens, mox tela, sarissæ,
Bellorumque arsere faces, terræque marisque,
Et Cæli coiëre tubæ, sylvæque sonoræ
Ingeminant tantæque metunt exordia laudis
Et modò qui augustas flexit sublimis habenas,
Atque orbi sua jussa dedit, cui celsa potestas
Et grave fulmineæ majestas infremit iræ.
Vix sibi depositis successit Laurea sertis,
Et galeæ siluere truces, vix mitior ausus
Mars clypeum mutare togâ, fortuna favorem
Subduxit, placidisque ratis, submergitur undis.
Hæret victor iners, & summis stare recusant
Belgis fata diu, mutat feriente ruinâ
Ilium & aëriis labuntur Pergama flammis.
Torpent fama, decus, tantisque parata triumphis
Nomina Scipiadum, rumpuntur nescia vinci
Mœnia, belligeræque rates, jam malus & auræ
Impatiens antenna gemit, jam transtra, forique,
Rumpuntur, vastoque ruunt ludibria ponto.
Fugit prisca fides, fugere antiqua parentum
Sæcula, & alta quies, coëunt in mutua fratres
Vulnera vicinique nocent contagia sceptri.

At tu, magne Deus qui tela & acerba potentum
Pectora voce premis, durique edicta Tyranni,
Et Regum diadema probas, cui spicula dextra
Vibrat, & aëriis armas tua sceptra sagittis.
Te supplex en Belga petit, tua rebus in arctis
Numina poscit iners, non ut violentus Araxes

Aut astrum proculcet ovans. Pharetrataque castra
Exuperet gressusque aliis ut figat arenis.
En miser immeritis ut circumvolvitur eheu!
Cassibus, & diris disrumpitur undique belli
Fulminibus, tantosque neget tolerare labores.
Eia, age, & intrepidam porrexeris Æthere dextram,
Auxilio succurre piis rapidisque furentum
Eripe bellorum furiis, tibi sola salutis
Præsidia, in te omnis Gens inclinata recumbit.
Tu residens curru volucri, redimitus amictu
Grandinis horrisono montes fulgore solutos
Concutis, & rapidis contorto vertice flammis
Terra sonat, panditque avidum chaos alta vorago,
Ergo etiam nostris facilis Pater annue votis;
Et tellus tremefacta sonet, studiosa nocendi
Pectora sterne furens, Cœlique attacta favillâ
Agmina, & immensæ subeant vaga Tartara turmæ.
Et tandem armigeri proceres bellique potentes
Bellonæ potant Phaleras, inimica facessant
Prælia, legiferis stipetur curia castris.
Hàc tua, quæ stygiis Ecclesia mersa tenebris,
Indefessa rogat, Capitolia subruta flammis
Et Proceres, civesque petunt, despectaque Phœbi
Limina, & invisæ Martis delubra Minervæ
Farre litant, & Thure tibi, Pindique relicto
Culmine, sacra, lares sub Cœli umbone relinquunt.
Ergo age, magne Deus, cui vis & summa potestas,
Quem tellus, atque astra tremunt, confringe furentum
Fulmina, & aligerum Cœli de vertice turmis
Bellantum vexilla premas, pudor ora coloret,
Exanimesque ruant, consternatique furoris
Turbine, ceu ventis stipulæ, volvantur inanes.

Et tandem horrificas infausto Marte tenebras
Pax nitido fulgore fuget, revirescat adempta
Gloria Scipiadum, priscoque in vertice laudum
Musis clara novis ALCMARIA nostra triumphet.

DIXI.

Hæ tres antecedentes Orationes sunt habitæ ALCMARIÆ Examine Vernali cIↃ. IↃCLXVI.

ORATIO XXXVII.

De

BELLO.

MATTHIAS ROTTERDAM,

Amstelodamensis.

PEnè sibi reduces, superato Marte, Camænas
Vidisset jam Belga diu, Pacisque beatæ
Fulsisset cœleste jubar, placidæque quietis
Sacra salutiferis patuissent limina donis.
Sub Quarum Auspiciis antiquæ stirpis imago
Neptuni repetit populos, & prisca virentis
Battaviæ laus alta nitet, memorabile Belgæ
Nomen ad astrigeri pervenit culmen Olympi!
Pervolat immensas, nullo retinente, cavata
Pinus aquas, lateque Indi, latebrosaque Thule
Littora raduntur populis Hic mitis amomi,
Hîc Casiæ prorumpit odor, penitusque remotus
Persa per innumeros diffundit marmora terras.
Pectine arundineo tenebrosâ pastor in umbrâ
Indoctum potrudit epos, rapidisque molossis
Immi-

Immites sectatur apros, lactisque coacti
Copia Regales epulas, mensasque Coronant.
Cuncta polo meliore fluunt, terraque marique
Terrigenis elemeta favent, Mavorte feroces
In sylvis pascuntur equi, galeamque remotis
Appendit miles
Sacra Dei delubra stupent, Spatiosa nocendi
Curia pacificæ ramo mutatur Olivæ.
Sed vetuit turbata fides tibicine tali
Stare diu Variæ pestès glomerantur in unum
Tartarei de fonte lacus. Discordia, Livor,
Atra fames, luctusque fremunt: crinita Megæra
Castra furens rabiosa vocat, laxare barathrum
Alecto ferale jubet, Stygioque veneno
Et flatu violare diem. Concussa tremiscunt
Atria, vibratisque ruunt radicibus arces
Undique trux galeæ fremitus, crepetique duelli
Ecce repens mugire fragor, furialibus armis
Turritæ flagrare rates, disrupta fatiscunt
Mœnia, Mavortisque novus calor urbibus errat.
Improba per medias graditur Bellona phalanges.
Incultis horrenda comis: quam plurima circum
Fulmina, flammiferæque faces. Comitantur euntem
Bellorum rabidi comites. simulachra sequuntur
Pallida, millenisque Erebifera pullulat Hydris
Tolluntur vexilla Ducum, furibunda pererrant
Agmina florentes violas, tepefacta cruore
Terra dolet, passimque viri sternuntur atroces
Ense virûm, vastoque æther clamore remugit,
Tela, faces per inane volant. per castra potestas
Imperiosa tonat. jaculis onerantur acutis
Terribiles cristis galeæ, lethoque cadentum
Undique rura gemunt, totæque incendia gentes
Eluctant, belloque ætas se devovet omnis
Hîc prædo horrisonis infert sese arduus armis
Sudanti tremebundus equo, violentior austus

Perque

Perque hostes & tela furens, quem Marte cadentem
Alecto fovit gremio, teneroque Megæræ
Ubera quæsivit fletu, linguisque Cerastæ
Inflarunt lethale malum, studiosaque belli
Fulmina collectis docuit Styx atra figuris.
Hic pecudum fibris, neglectâque ABBATIS aulâ
Arma amens & tela capit, patefacta recludit
Tartara, Deformesque ciet Phlegetontis arenas.
Jam quoque quæ nuper latitarunt monstra Barathro
Ad clypeos & castra ruunt, contraque piorum
Conjurant turmas Furiæ: miscentur Averno
Sidera, præcipitemque trahit formido Bootem.
Hæret Belga potens. Gens nescia fœderis, exlex
Propitio Mavorte furit, stravitque Sionem
Contemptrix invisa poli. prô! concidit ille
Battaviæ florentis honos, rapidæque phalanges
Signa piis adversa ferunt. Librantur in ictum
Sceptra Ducum, Batavosque premit Bellona Leones.
Fertur in abruptum prisco spoliata magistro
Belgarum rimosa rates. per aperta vagatur
Æquora, & immites, ignoto tramite fluctus.
Hei mihi! quò priscæ vires! quò Martius ardor
Se tulit, & fortes animæ sua brachia versant?
Non ita vesano ceciderunt castra tumultu
In Ligurum directa ducem. Non fulgida ferro
Agmina ad Auroræ thalamos, cum viribus audax
Mole suâ staret populus, nullasque furentum
Horreret trux Belga faces, turritaque summis
Imposuit castella jugis, cum latus ahenis
Torperet Nilus galeis, Tigrisque cruore
Sisteret, & cladem fleret glacialis Ierne,
Sole sub occiduo, cælique in margine
Fortunâ famulante stetit, dominosque ducesque
Nos

Nos dixere truces populi. Fera turba Getarum
Mænia Battavicis suâ submisere Catastis.
Non ita Nassovii quondam præscripta monebant
Non Trompi virtus. Quorum imperterritus ardor
Non passus suadere fugam. Cum fortibus armis
Europam junxit Lybiæ; per vasta cucurrit
Æthiopum, cinxitque novis nova mænia castris.
Sed, tamen antiquas patrio de sanguine vires
Nondum Parca tulit, nondum mens nescia cogi
Sub Lachesis ditione silet. Stat fortior ausis
Belgarum temeratus honos, & saucius ictu
Impavidus movet arma Leo, desuetaque dextrâ
Tela, furens, graviore rapit, per castra per hostes
Indefessus ovat. Nullâ cessabitur horâ,
Nulla viros retinet glacies, non dira domabunt
Fulmina Mavortis rigidi. Reverenda recurret
Majestas, Lethique ferent de faucibus Urbes.
At tu, Borbonii Soboles, quo vindice dudum
Austriacæ fremuere tubæ, cui Martia pubes
Arctois famulatur aquis, terraque marique
Imperium toti stat formidabile mundo,
Auspice Te nunc Belga furit; vexilla triumphis
Exornat, Rex Magne, tuis. Nunc cornua cantu
Ære tuo meliore sonant. Rabiosa Britanni
Agmina, & immites Monachi adspernatur habenas.
Vota tuum diadema petunt, placataque jungunt
Fœdera Belgarum Proceres, Civesque ducesque
Exultant isto Martis munimine cingi.
Tu quoque in extremis Boreæ, Rex maxime, terris,
Quem Codani potor, lateque in finibus Orbis
Extremi, metuunt glacialia sidera Cæli,
Totaque Barbaries sub pellibus aspera pubes.
Huc acies, huc Castra refer, renovataque Belgis
Fœdera stent immota tibi; perge acer in altas
Albio-

Albionum sævite rates, & pectore eodem
Agmina, & indomitas jam laxa fortiter iras.
Nec,
Tu Gothorum, precor, impavidissime Ductor,
Belgarum gravis esto Aquilis, cui vertice cristæ
Et galeæ trux horret apex: Quem Vandalus acer
Et Finni cingunt pharetris; cui tela Borussus
Suggerit, & rigidis horrescit Lappio castris.
Nunc belli tormenta tonent, nunc dira metalli
Ora fremant, surgantque jubæ, vexilla, sarissæ
Extollant sublime caput; nunc bellica virtus
Gothorum, Sueconumque micet. Quos fervidus
hostis
Provocat, & rabido latè clamore lacessit.

AD DEUM OPT. MAX.

At Tu, Cælituum Rector, qui Martia Regum
Nutu corda moves. Belli cui tela, facesque
Et Martis famulantur equi, supraque Potentum
Robora, flammiferis expugnas oppida castris.
Ad te Belga venit, rapidisque ad limen Olympi
Pectoris effundit gemitus, disruptaque fatis
Pergama & exustos ostendit fulmine campos.
Tu bellare doces. Miseros quicunque lacessit.
Hos Tu fundis humi, trepidosque manu Tu disjicis
hostes.
Per Te Gens Isaci quondam Pharaonis iniqui
Subduxit sua colla jugo. Sublime Gigantum
Perfregit tua dextra caput. Teque auspice diri
Indita membra Ducis stricto mucrone resolvit.
Zisara millenis stipatus in arma quadrigis
Voce tua trepidavit iners, rabidoque furore
Antiochi domuit trux Macchabæus alumnos.
Ergo etiam, Rerum Domitor, nunc sæcula cernant
Indomitum nihil esse piis. Tu tendere Gentem
Tela, Pater, doceas solido fulgentia ferro.
Hostibus intrepida confringere spicula dextrâ
Protege Tu Solymæ turres: sic imbuet aram

Agna

Agna tuas, tandemque avidis resoluta furentum
Unguibus, Eöo Tibi Belgica Thure litabit.

DIXI.

CIϽ IϽC LXVI. *privatim habita*

ORATIO XXXVIII.

De

TRISTI LITERARUM FATO.

Habita à

JACOBO GROEN *Alcmariano*.

MAgna H: A: in hac vanitate mundi mortalium pravitas, ſocordia: qui, neſcio, quâ veſaniâ, quo malo genio ducti, præclarum ſapientiæ ſtudium, ingeniaque ſolertiſſimorum hominum deſpiciunt ac contemnunt. Adeo, ut pauca in hoc florentiſſimo Belgio doctrinæ veſtigia appareant, quibus nos jure meritoque gloriari poſſimus. Tanquam in bellum & arma ituri contra divinaSapientiæ ſacraria. Adeo, ut meritò hujus temporis ſtatus ſit deplorandus, ubi divinum illud ſcientiæ numen denſiſſimis ignorantiæ tenebris involvitur. jacent in pulvere & ſordibus liberalium artium ſtudia: Brevi in apertam ruinam in perniciem itura. Nunc pro dolor! divinæ literaturæ faſtidium ac nauſea ſic invaluit, ut hanc noſtri temporis malitiam ac improbitatem pluſquam lachrymis deplorare deceat. Pauci enim ſunt, qui hanc divinam ſapientiæ Majeſtatem priſco ſuo nitori reſtituunt, ſed qui ſcholas

Scholas & Gymnasia odio pluquam vatiniano prosequuntur.

Ut verum ego fatear, nunquam in Belgio nostro data est ad dolendum justior ratio aut occasio, quam E heu! præsente hoc nobis tempore. Ita ab omni hinc inde latere novis malorum monstris, novis bellorum tumultibus terra marique graviter qui impetiti, fatigati, oppressi.

Sublatis enim de medio bonarum artium exercitiis, omnia tanquam sub fædo situ, ac squallore computrescun t. *Luget senatus, maret equester ordo, squallent municipia.* nulla, certè, bonarum artium studia in suo flore ac fastigio eminere conspicimus; quando litúi circum aures strepunt, quando ferox Bellona semel cœperit, *are ciere viros, Martemque accendere cantu.* Utinam! Utinam! nobis in Belgio nostro etiamnum dicere liceret!

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

At silet hæc vox, tacent Musarum sacella, nullus est honos eruditis. Neque est dubium, quando sinistra semel bellorum illa fulmina Remp: concusserint, & nulli suus honos ac reverentia ex justo habeatur, quin ab hoc fædo doctrinæ contemptu prima malorum labes in Remp. prognoscatur. O doctrinæ præstantiam admirabilem! ô perennem felicitatis scaturiginem! ô divinam illam auræ particulam! quæ ubi semel suos igniculos in bonâ mente excusserit, suique mortalibus desiderium in pectore produxerit, universam protinus Remp: sua dignitas & splendor irradiat.

Sæculum certe aureum tunc nobis fuit, cum sine labe & maculâ multo divinior esset in terris humanæ vitæ conditio: quando doctrinam ab omni labe puram impollutamque haberemus, quando leges & jura contra omne nefas majorum cum laude proteximus, & ad præ claram sapientiæ palestram

lestram tanquam, violento torrentis impetu, profecti sumus. Fuit, fuit quondam in suo theatro majore luce videnda eruditio, quâ elegantissima ingenia orbem terrarum illustrarunt. Hoc, inquam, liberalium studiorum perenne ornamentum tam firmas in animo multorum egerat radices, ut nihil fama laudeque dignum existimaverint, quàm ingenium ad decus & gloriam bonis artibus perpolitum. At nunc, Eheu! ad superos Minerva nostra recesset, una cum comitibus suis. Squallent atria Musarum; Esurit Pallas: domi forisque cuncta sapientiæ studia pro vili abjectoque habentur. Omniæ in antiquum chaos itura, si candidæ musarum fores se mel occlusæ, & nemini ad divina sapientiæ sacraria aditus concedatur. Quare meritò nos id ex animo dolemus, quod tantus quotidie bonarum artium neglectus, ac vitiorum omnium materies ac messis reperiatur. scilicet.

Nunc Phœbi sacra Templa silent; dilecta Minervæ
Nomina, & in nostro nulla est jam gloria Phœbo.
Spernitur Aonidum soboles, non amplius ullum
Contingit meritis pretium. Nic omnia retrò
Versa ruunt; spes nulla viget, sed livor inerrat
Pectoribus, studiisque virum. Jam fama decusque
Exulat, & mediis spirant nunc prælia campis.

Summam, certè, admirationem meretur, quod tam multi hoc tempore hominum inveniantur, qui tam divina hæc studia juxta uilissimarum rerum expurgamenta ponunt, nec literarum illustre nomen à fatali ruinâ & rogis sarium tectumque conservant. Alius laudabilem eruditionis famam in fœdo situ & squallore sinit computrescere. Alius lupinâ truculentus feritate rapidos in doctrinam

nam ungues distringit. Alius bonam eruditorum famam maligno livore insectatur. O cœca mortalium pectora! ô cogitationes vanas & inanes! immane quantum! desipitis, quod divina sapientiæ domicilia non in debito suo honore ac pretio habeatis. Pudeat, pudeat, inquam qui bonorum illum fomitem ac fontem totis animi corporisque viribus fastiditis, & pro vili abjectoque habetis.

Credo multos eo nomine & genere mortales existere, qui sacras sapientiæ ædes claudere quam aperire cupiant. Si quando omnem vitæ cursum in deliciis, in voluptatibus, in nihil agendo degere liceret. Multi prô dolor! tam dejecto humilique sunt animo, ut plane omnem ingenii intentionem subterfugiant. In corrupto animi otio, quam in aliquâ honestæ mentis agitatione versari malint.

Nunc capitis plus fulget apex, nunc gloria major
Surgit, & aurati scandunt, Capitolia, currus.
Illustres virtute viri, quos gloria belli
Præcingit non una foris. Miratur honores
Ipse suos quadrupes, tardoque superbia gressu,
Quam caltat, fastidit humum, nunc Belga cruentum
Martem amat & belli furiis exæstuat unus.

Nihil præter ruinas miserarum gentium, præter vastationes urbium & populorum, hoc tempore, spectatur. Per omnes nunc ætatum gradus squallor, luctus, lachrymæ, suspiria personant. Domi, foris miserrima rerum facies. Adeo ut nulla Provincia, nulla orbis ora, nullus in Belgio locus, quem non sua infelicitas insederit. Bonæ Musæ, quo jure, quâ injuriâ habeantur, multis in promiscuo est. Armorum libertas, summa licentia, habetur. Et, quidni ipsa

ſa nobilitas, & pene imperii Majeſtas. Sub quibus clypeis an animam ſuam ſuperſtitem retinere poſſit divina noſtra Pallas, quis non jure dubitet?

O fatum literatorum triſte! quibus non in ſuppliciis ac calamitatibus vos verſamini? Qui tam miſeris modis afflicti, ut in communi hoc faſtidio ingeniorum nulla pene ſalus ſuperſit. Iterum dico, libertatis ſolium bellum & diſcordia ſibi vendicant, ſub quibus vexillis ſola gloria, & tituli Imperatorum ſunt venales. Quod & multi exemplo quotidiano diſcunt, & malo ſuo experiuntur. Statim cum Petaſo penulas ſibi ſumunt, & loco eruditi carminis, loricam & ſariſſas ſibi, & Martis inſtrumenta, adoptant.

Eſt meritò, quod ingenui Muſarum alumni ſortem noſtram conqueramur, & hujus temporis memoriam æternum deleri cupiamus. Olim quam noſtro ſub Apolline liberaliter viximus! quam ante vota & deſideria noſtra pene felices eramus! cum nondum intonaret ſævum illud à Tameſi monſtrum, quod nunc trepidarefacit totum noſtrum Helicona. Sed, omnipotens in cælo Deus hanc temporum noſtrorum calamitatem habet in oculis. Ille ex alto hæc cuncta videt. Ille modum & terminum quoque præſcribit fatalibus hiſce mundi aſtris. Reſumamus igitur meliores Muſæ animos, novoſque ſpiritus, nec una hæc nubes, quæ omnes nunc nos involvit, plane nos deterreat à ſpe & exſpectatione ævi felicioris.

Vos, *Viri Clariſſimi*, *Doctiſſimi*, Muſarum *Vindices & Aſſertores Nobiliſſimi*, nunquam, quæſo, patiamini, ut detrimenti quid capiant Muſarum noſtrarum ſacra. Sed omni fide, religione, authoritate præſidioque veſtro hæc conſervate ac defendite.

Illuſtria dico, animorum ſtudia, quantum per vires poteſtis, intra mœnia & pomæria veſtra retinete.

tinete. Ne aliquando exſtinctâ & deficiente *Pallade togatâ*, etiam *Pallade Armatâ*, ſub duplici veſtrâ hac lauro, quam olim feliciter fortiterque meruiſtis, minus glorioſi, æternique exiſtatis.

DIXI.

ORATIO XXXIX.

De LAUDIBUS BELLICIS.

Habita à

FREDERICO LUDOVICO MOLL à NYENBVRCH
Nobili Bat.

NOn perperam egiſti, *mi Collega*, quod de felici Auguſti ſæculo, cujus maximam beatitudinem maximis laudibus deprædicaſti, tam diſertè nunc dixeris. Quo tempore bonarum artium, ſtudia uſque ad ſplendorem maximum effloruerunt. Quando Muſis otia, gentibus pax, omnibus nationibus felicitas fuit. Jure meritoque hæc læta populis tempora exoptas, unumque hoc habes in votis, ut illuſtres illi dies nobis revertantur, quibus viri literati de præclaro doctrinæ argumento atq; auſpiciis gratulari ſibi poſſint. Ego quoque Phœbi alumnus Muſarumque cultor maximâ & operâ & induſtriâ hanc viam ingredi nitor, quâ pervenire poſſim ad illa

Edita doctrina ſapientum templa ſerena.

At cum aliter, invitis Superis, res eſſe non poteſt, tunc forti animo ad arma eundum puto. *Non enim ignavia magna imperia continentur; ſed virium armorum faciendum eſt certamen.* Neque

I enim

enim adhuc degeneres sunt, aut effœminati egregii Belgarum animi. Eorumque virtus, quæ floruit ante, haud etiam nunc remittitur. Nec illa antiqua rei militaris gloria, fides, constantia, animi fortitudo omnino relanguescit. Habemus enim viros bellorum studiis satis expeditos, animis opibusque pro Patriâ extrema omnia experiri promptos paratosque. Hîc, hîc sunt, in Belgio hoc nostro, qui pro rerum usu, pro summâ populi salute, pro aris ac focis, pro libertate, proque universâ Rep. periclitante animi quadam jucunditate contra hostium furias mascule in aciem descendunt.

Invicti Marte Heroës infractaque bello
Pectora, sub galeis quos tota exercuit ætas
Innumerisque favens aluit Bellona triumphis.
Non Martis terret rabies, non sanguinis horror
Intrepidos; non mille movent adversa feroces
Tela, nec hostiles stricto mucrone cohortes.
Stet contra licet Alecto, & furialia membra,
Et torvam ostentet faciem, flammisque coruscis
Dirigat ardentes oculos, dirisque colubris
Et fœdos Hydriæ crines intexta, cruentum
Mugiat, horrificum quatiens furibunda flagellum.
Non movet hæc fortes facies, non vultibus illis
Frangitur impavidi virtus Mavortia Belgæ.

Ego à quo tempore primum sacris Musarum studiis me devovi, longè excellentissimam de doctrina opinionem in animum meum induxi, adeo ut pene nihil famâ laudeque dignum existimem, quam ingenium bonis artibus excultum, & sapientiæ præceptis perpolitum. Nam doctrina tam firmas in animo radices agit, ut illam supra omnes mundi possessiones diligam. In illâ divitias, opes, omnemque rerum optimarum fruitionem positam agnoscam. In illa fortu-

fortunam, gloriam, decusque meum tanquam in immobili aliquâ rupe collocem. At quoniam in omni hâc turbâ ac tumultu castrorum aliter nunc fieri nequit; pro ingenuis artibus, pro Musarum cultu dura Mavortis arma infracto mihi animo tractanda propono. Non ut præda, rapinæ, belli spolia, quæ plerumque fortuna mortalibus præmia promittit, mihi in oculis sita sint; verum ut Remp. vitamque omnium vestrum laboribus periculisque meis è flammâ atque ferro aliquando eripiam. Nunquam ego pro Patria Belgarum gloriâ ullum laborem aut periculum expavescam. Est mihi jucunda in malis & grata in periculis erga communem Patriæ salutem voluntas: adeo ut omnes hostium inimicitias, omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque non solum fortiter, sed etiam libenter perferre desiderem, dummodo meis laboribus vobis & Patriæ salutem, pacem, concordiam restituere possim.

Arma manu capiam, ferroque accingar, & istis
Aptabo loricam humeris; jam castra sequemur
Accensi virtute; juvat sonitusque tubarum
Et lituos audire: mihi sublimior aura
Et mentem vis major agunt; mihi gloria belli
Libertatis amor stimulis audacibus implent
Et furiis generosum animum. Non Martius horror,
Non revocat belli rabies: stat quicquid acerbi est
Morte pati, cunctos mihi stat perferre labores.

Sic etiam bellicis operibus viguere quondam illustres nostri Majores qui, ob justam militandi causam, multo labore, multisque periculis gemino sub orbe inclaruerunt. Hi adversus hostes, quassatis & attritis Reip. opibus, Herculeis se viribus

ribus corroborarunt. multò melius esse censentes *emori per virtutem, quam vitam miseram, atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fuissent,* per *dedecus amittere.* Adeo ut cogente malorum calamitate, pericula, tela, cædes, incendia, flammam & ignes perpeti maluerint, quam hostibus cum pudore, cum turpi adulatione serviliter parere. Hinc in tantam claritudinem pervenerunt, ut omnes nationes, sub utroque sole, jure meritoque de illis obstupescant. Inter quos vos etiam præcipue eximios habeo potentissimos Reges Principesque qui vestrâ justitiâ, sapientiâ lentis sub maxillis, lenique manu regitis cives vestros; qui parcitis subjectis, & debellatis superbos. Qui, boni gratiâ pro patriâ ecclesiâ, & civium vestrumque omnium vitâ arma suscipitis, nec âd inferendam, sed propulsandam injuriam in aciem fortiter descenditis. Et vobis meritò hasce laudes, *inclyti Auriaci Imperatores Nassoviique duces*, imputari fas est.. quorum sub auspiciis divinis, ductuque ac infractis animis olim stetimus contra invictissimum Hispaniarum Regem: vestram ego, fortissimi viri, virtutem intuitus, æternis vos laudibus super æthera attollo. Vos veri isti Atlantes, qui cum multo sanguine cives vestros, in ultimum adductos discrimen, ab exitio ad salutem, à desperatione ad spem, à morte ad vitam revocastis; qui forti pectore & armis ex mediis bellorum flammis Patriam in pristinum libertatis gradum restituistis. Qui Remp. charam illam & communem nostram matrem, ignibus ac flamma & plane faucibus fati tandem ereptam, in optatæ quietis portum, & divinæ pacis possessionem virtute vestra plusquam humana, collocastis. Hæc vestra, *illustres Belgarum Principes* facta virtutesque præsens ætas verborum encomiis extollit, omnisque posteritas tantorum operum memor erit dum sol

curru

curru insidens per solita puri spatia decurret poli & solem dies & noctem sequentur astra.

Vos magni Heroës, quos totum fama per orbem
Jactat sideribusque armata gloria dextræ
Destinat; partas non vili pulvere laudes
Extollit geminus mundus; tot tædia belli,
Militiæque graves operas, tot prælia forti
Gesta manu, domitasque armis victricibus arces.
Vos Patriæ Atlantes, Assertoresque salutis
Belga vocat; vestro libertas sanguine tuta
Has vobis debet lauros, Pulsosque Philippos.

Quis enim inter mortales tam unquam ingratus, tam improbus, tam inhumanus inveniri posset, qui non jure illos, à quorum manibus sæpe fortissima præsidia tulit, laude coronaret? nemo enim tam ingenio est duro, ac firmo pectore, qui duces generosos, contempserit, qui se libenter pro communi salute hostibus opponunt; qui ferro Patriam fortiter protegunt ac defendunt, præsertim tali tempore quando tyrannus ingruit, atque inter armorum telorumque strepitum funus ac tenebras nobis minitatur. Quemadmodum, pro pudor! ipse Britannus, pridem fide amicitiâ, nobis qui conjunctissimus, nunc hostem acerbissimum se nobis ostendit. Qui communem liberi maris usum, opposita acie ferroque prohibere laborat, qui propter res nostras secundas, bello, post hominum memoriam crudelissimo, nos infestat. Non profectò, viri fortes satisfacere Reip. videmur; si istius furorem ac tela vitemus. Novi iterum bellorum apparatus exhibendi; nova rerum magnarum jacienda est alea, totis inquam viribus insurgendum ad vim hostium sustinendam, ne dulcis Patria sponte sua in cruentas tyranni manus incidat, & libertas Majorum san-

guine parta, truculentis ac iracundis hostibus in prædam cedat.

Nunc, nunc tempus adest validis incumbere, dextris,
Nunc manibus rapidis, nunc forti pectore & armis
In medias se ferre acies, densosque per hostes
Ense aperire viam, totisque invadere ovantem
Viribus Albionem, qui nunc maria undique stringit
Legibus, imperioque premit, magnoque tridentem
Neptuno rapit, ac toto tot classibus audax
Imperat Oceano vanoque ad sidera fastu,
Attollit tumidos animos, vocesque superbas
Jactat, Belgarumque ferox cervicibus instat.
Jam ferro quærenda salus, Batavumque tuenda
Libertas. Si quid quondam fecistis in armis
Illustres Batavi, nunc, nunc præstate parati,
Invictosque animos, priscasque resumite vires
Hectoraque Æacidas, fortesque ostendite Atridas.

Inter maxime quoque necessaria inprimis providendum ne disciplinarum ac optimarum artium studia, in hoc aspero ac difficili temporis articulo quid detrimenti capiant. Nihil enim me magis in sui amorem ac desiderium trahit, quam incredibilis doctrinarum splendor, & eruditissimorum hominum amplissima gloria, quæ inter omnia mortalia & res ipsas divinas, principatum tenet; quæ maximum est ad nominis æternitatem comparandam præsidium. Atque ista demum arma se prospere habent, quæ sapientiâ nituntur, quæ consilio in hostem expediuntur. Nihil autem animi virtus in percipienda exercendaque virtute valet, si non industria exsplendescat. Semper ubique magni Duces plura consilio quam vi perfecere:

vis

vis enim consilii expers mole ruit suâ. Quare eruditionem (tantum in rebus humanis stabilimentum) præ omnibus, summa ope retinendam puto. *Prius etiam extinguet ortus, referet occasus diem*, quam patiar divinos illos sapientiæ fontes exsiccari. Verum quando Patria supplex manus suas tendit, tunc & illum futurum me profiteor, qui nunquam detrectabo in tantis Reip. periculis arma capessere, animamque hanc meam cœlo acceptam, pro salute communi in ultimum vitæ discrimen objicere; quippe *Dulce & decorum est pro Patriâ mori.* Quare mihi animus & belli cupido in dies magis magisque succrescit. Nimium fortasse hactenus tuti & securi; nimis lenti & desides in virtute nostra exercendâ. *Contemptissima res homines sumus, nisi supra humana nos exexerimus.* Unum hoc insatiabiliter parandum, ut prosperam nostri memoriam relinquamus. Hic nihil prodest gloria & sera memoria virtute. Majorum parta, nisi illam per te ipsum tibi paraveris. nec quicquam tibi prodest avitî generis familiæque tuæ splendor, nisi per te illam illustriorum feceris. *Aliena est clara stirpis nobilitas. qui genus jactat suum aliena laudat. Illos nobiles existimo, qui rebus præclare gestis, ad conspicuam lucem ac claritudinem emergunt.* Quæ sola est causa H: A: quod illibatis mihi Musis semperque sacris, ab arte ad Martem cupiam pertransire & me cum excellentibus viris pro Rep, pro libertate, pro aris ac focis vivam semper victimam offerre.

Pro Patriâ stat cuncta, pati; tot præmia famæ
Omnem proscripsere metum feralis Erynnis
Fatorumque minas spernens, jam certus eundi
Quò vocat indomiti rabies Mavortis & arma
Me rapiant, sequar impavidus, fortique periclum

Commune avertam hâc dextrâ, non dura recuso
Bella pati, Martisque vices. sunt ista gerundis
Pectora nata malis, tolerantque infracta labores.

DIXI.

cIↄ. Iↄc. LXVI.

ORATIO XL.

ARBITRI.

Habita à

JOHANNE PIERIO.

PRobe inter Vos, Præstantissimi Collegæ, digladiati estis, quâ viâ ac semita ad summos quis apices summi honoris possit pervenire: æternamque sui Nominis laudem sibi comparare. Tu prime, in hac arenâ egregiè desudasti, ut monstrares, illum veræ felicitatis terminum attigisse, qui relictis rebus omnibus, ipsi Parnasso innititur, & ad Musarum atria improbo labore contendit. Tu alter, pro virili operam dedisti, ut pateficret, motus & bella Batavorum hoc temporis articulo esse longè justissima. Atque arma viam maximè compendiariam ad Gloriam illis recludere, qui capitis periculo in ferrum ruentes, Patriam contra impios conatus hostium protegere, defendere, & sartam tectam servare conantur.

Meo calculo, vos Ambo COLLEGÆ mei, Spartam vestram & Provinciam præclare exornastis. Tu, qui Musas & Pallada contra omnem injuriam vendicas, dignus mihi videris, cui non una

una Laurus circum tempora revinciatur. Omine & Auſpicio tuo qui prorſus divinus.

Ubi enim artes Palladis florent, omnia virent, vigent, atque vivunt, nihilque quiſquam ſibi non gratulatur de illo tempore quo Muſarum ſtudia ritè coluntur: tunc ſurgunt Saturnia ſæcula, tunc pietas & priſca fides redeunt, & Aſtræa relictas ſedes ſuas reſpicit, quin ſaxa & ſolitudines affici videntur ſolitâ voluptate; ubi Phœbæa myſteria relligiosè tractantur, & artibus ingenuis damnôſus ſquallor ignorantiæ abſtergitur.

Quare illi homines, ſi modò hoc nomine digni ſint, qui ſtudent literas è conſortio hominum ablegare, nonne æquitatem, juſtitiam, pietatem, relligionem radicitus extirpare conantur? nonne quidquid nos diſcernit non modo à Barbaris, quibus adhuc ſemper quædam reverentia eſt erga ſcientias, verum à brutis beſtiis nos ſeparat, nonne inquam omne hoc ſtudent opprimere? nonne nos homines, dum volunt ne animum ſapientiæ præceptis imbuamus, urſis & lupis immanſuetiores ac tigribus ferociores tentant reddere?

Cedo ſæculum in quo minus diligenter Muſarum artes cultæ fuerunt, è veſtigio illa tempora ab omni humanitate abhorruiſſe videbitis, & omnia Cimmeriis barbariæ tenebris involuta fuiſſe.

Arces Palladiæ quando clauduntur & omnis
Conculcata jacet pedibus ſapientia ſævis
Tempora barbarico ſunt conſpurcata veneno;
Non hominum cohibet juſti reverentia mentes,
Non pietatis honor: laxis bacchantur habenis
Vis, fraus, atque dolus ſcelerum maleſuada libido

Impunè fervet, ni pectora Phocidos unda
Aptet, quæ possint metas præscribere vulgo,
Quas intra justis regitur fera turba Lupatis.

Illa mihi spes est H. A. nunquam tam tristi Saturni sidus nobis apparitnrum, cum cujus exortu infelici una liberalium artium humanitas & nobilitas sit interitura. Quod ne tamen fiat omnis adhibenda est opera, ut illi, qui vitam suam in Palladis studiis sub pellibus egerunt, debitis sibi honoribus & præmiis non destituantur. Sed, ut illis semper Princeps in Rep. locus concedatur, alias enim posset fieri, ut, sublatis studiorum præmiis, etiam studia ipsa perirent.

Nec te, *mi Collega* reprehendo, qui, ubi necessitatis dura tela suadent, & Tyrannorum metuenda vis te cogit, tunicâ adamantinâ te tegere, & humerum hastæ subjicere ad depellendos & debellandos hostes animo proponis. Imò laudo potius Mavortium alumnum, qui, suâ salute posthabitâ, pro libertatis defensione statuit Martem & castra sequi: sic illi quorum scripta oblivioni subsidio fuerunt, ut facta antiquorum heroum ad nos permanarent, fidem faciunt ab omni tempore denegatâ sibi justitiâ optimos quosque viros illâ lege quam ex ipsa natura hauserant omnem honestam rationem expediendæ salutis in ferro quæsivisse.

Ita, præsente hoc sæculo, videmus *invictissimos Ruteros, & generosissimos Trompios* multosque alios inter mille neces quotidiè versari, nequid Resp. detrimenti capiat, neve superbia hostium Batavis timiditatis notam inurat: qui bellicosi duces Fortunatum putant, mortem naturæ debitam pro Patriâ reddere.

Scilicet fas & jus, leges divinæ & humanæ permittunt, si quando impendant procellosa bellorum tempora, quæ devitari non possunt, ut pro aris

aris & focis, pro bonis & fortunis, pro conjugibus liberisque bella suscipiamus, & auspice Bellonâ ferro omnem contumeliam arcere statuamus, *ut in Pace sine injuria vivere possimus: hoc enim & ratio doctis, & necessitas Barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim quacumque ope possent, à corpore, à vitâ suâ propulsarent.* Non tamen licet ob leves causas gravia bella excitare; ni graviter Deum offendere, & simul humanas leges evertere velimus; quod faciunt illi, qui ubi nec necessitas exigit, nec ipsum honestum requirit, tantum vanæ gloriæ æstro perciti, aut avaræ cupiditatis stimulo acti, jura pacis profanant & animi causa bella suscipiunt. Sed,

Cum Patria adversis nutat succumbere rebus,
Atque Lares sævi cum loricata Tyranni
Agmina conantur penitus discindere ferro,
Sedibus atque imis patrias evertere terras:
Arma manu capiat quisquis nec tale timebit
Displicuisse Deo bellum quando urget egestas
Ferrea, nec liceat placidè traducere vitam.

Vos, *Viri Nobilissimi*, qui in togâ nunc agitis, agite alumnis sapientiæ nunquam vestra d. sit autoritas, ratio, consilium ut habeatis aliquando tales viros, qui usui esse possint afflictæ patriæ, opem præstare indigentibus innoxios protegere, vim & injuriam passis auxilia & opem afferre.

Favete, favete literis & literatis, nec patiamini, ut aliquando oleo Palladis deficiente in tenebras & noctem caliginosissimam involvamur.

Sed, quando *Nona jam ætas agitur pejoraque sæcula ferri Temporibus vivimus, quando* innocentiæ nihil præsidii est mihi in ferro, agite quoque ut, instar medicorum, graviores morbos asperis remediis curemus. Pro arte Martem adeamus, & aleam belli, duce Deo, comite ferro, fortiter ineamus.

eamus. Patria est, quam defendimus, bona causa omniumque salus, propter quæ caput periclis objectamus, & chara illa nutrix & educatrix nostra, propter quam hasce tempestates subimus.

Tempus non est, nec præsentis horæ patitur necessitas, ut nunc omnes in umbraculis Museorum otiosè sedeamus, aut ad maris littora cochleas legamus, sed ut positis pro tempore pugionibus Scholasticis, etiam lateri nostro utile ferrum accingamus: ut hostem & Hannibalem illum qui ad portus nostros est, plurimisque injuriis nos afficit, tandem meritâ vindictâ à cervicibus nostris depellamus. Cuicunque vel calidus in pectore est sanguis, vel tantillum generosi spiritus Patrii, ille nunc Herculeas in animo vires expediat, ut ab illustri Belgarum dominatione labes, nuper contracta, feliciter iterum amoveatur, *tandemque pacem beatam, pacem amabilem votis precibus & pietate nostra ab Omnipotente in cælis Deo impetremus.*

DIXI.

Hæ tres Orationes habitæ Alemariæ Examine Autumnali
CIↃ IↃCLXVI.

ORA-

ORATIO XLI.

De LÆTO RUMORE PACIS Cum POPULO ANGLICANO.

Habita ab

JOANNE BERRIEN.

Alcmariano.

LÆtus ille de *Pace Britannicâ* rumor, Nobilissimi Domini Auditores, aures nostras, nescio quâ dulcedine & gaudio perfundit. Adeo ut omnes, qui in Belgio cives sumus, lætissimo hoc nomine novos quasi animos recipiamus. Et pro totidem procellis ac tempestatibus, propediem jucundissimos in Patriâ nostrâ favonios expectemus. Jam dudum saturi tot tristium bellorum, quæ cum vicinis nostris, fide & religione arctissimè nobiscum conjunctis, in totum penè triennium infeliciter hactenus gessimus. Solus, inquam, Pacis rumor tantâ voluptate nos afficit, quanto metu & formidine detestabile belli nomen miseros unquam Colonos afficere potest, Ut vel minima Pacis ista scintilla, quæ sub tantâ fortasse, mole & cineribus consopita est, universam Europam in meliora tempora adspirare faciat. Omnem bellorum injuriam facile ex animis deleturi, modo benè semel incepta sub concordiæ incude opera, prima sua auspicia cum spe boni successus ostenderint.

Hactenus enim quo loco & periculis positi fuerimus, omnibus in oculos & aurem utramque plenis quasi quadrigis incurrit. Terra marique hostem habuimus, qui Libertatis nostræ hanc sacram vineam noctes diesque ab imis fundamentis everrere & evertere studuit. Qui non suis, quos cunctis gentibus natura rerum limites præscripsit, contentus, etiam Fœderatas nostras Provintias, nefariis suis manibus, sine ullo argumento & causa, in prædam rapere est aggressus. Nusquam enim securi eramus; domi, foris, sub omni lapide Scorpius latebat. Præterquam bella ipsa plusquam decumana, hostem & proditionem intus habuimus: unde plus malorum esse solet, quam ab hoste publico & aperto. Quibus dolis & insidijs, nisi divina providentia obstitisset, jam longum in manus & laqueos incidissemus. Et qui libere semper vivere laus Deo, assueti, proh dolor! in turpem servitutem redacti fuissemus. Patriæ Patribus, quibus melior sententia & pietas in animo fuit, illis de Cœlo consiliis subministratis, quibus propositam illam tyrannidem ad hunc usquè diem ab aris & focis feliciter avertimus. Quando igitur, H : A: post tam periculosa rerum, solum pacis nomen vel extremam populi auriculam verberat.

Qui mirum videatur, si ipsa saxa & solitudines, jucundo aliquo animi motu & gaudio afficiantur? homines verò, quibus rationis insunt igniculi, & sensus malorum in recente cogitatione, hac sola pacis aurulâ recreari, tantò magis est credibile. Descendat, quæso, in se ipsum unusquisque nostrûm, & secum animo suo reputet, quas hyemes, quas proximo anno æstates vixerit. Vidimus littora nostra perhorrescere, ab infinitis sclopetorum ictibus; ab immanibus tot serpentum & draconum Tartariis faucibus, metum concipere.

Vidi-

Vidimus strenuo Æquitatu & pedestri exercitu loca finitima persultari. Vidimus copias hostiles, hinc, inde ad portus nostros, cum horrore visentium, vela facere: alibi terrâ Vulcanum tectis immittere, alibi in immani Oceano classes nostras turpissimè in fugam dari. Nondum dico de contemptu, de opprobrijs, de injuriâ, quâ Belgicum nomen, apud exteras gentes, infeliciter vapulavit. Quorum memoria populo Belgarum nunquam vel omnium Auriacorum ac Nassoviorum manibus ac victimis expiari potest. Quæ bella si in majus adhuc gliscere incipiant, periculum est, ne fortunæ nostræ nervi plane succidantur; æraria exhauriantur, fisci, annona rei nummariæ laborare incipiant. Et quod magis, fides ipsa nos deserat, quos res nuper & remedia penè deseruerunt.

Duabus maximis in Europa gentibus, uno hoc bello certe intetituris, quas singulas Europæ Reges, ob potentiam & majestatem, hactenus sunt admirati.

Pene tres anni sunt quod hoc loco, juxta lacrymas, precibus nostris ac votis apud Deum non abstinemus, & apud aures summi Tonantis sanctissima, pro pace obtinenda, desideria nostra deponimus. Ut tandem Clementiæ divinæ consultum esse placeat, nos fido lare protegere; Libertatem, Ecclesiam, publica & privata lætis successibus prosperare. Per totum hoc, inquam, triennium in sola belli & Pacis materia, his publicis exercitiis nostris occupati. In singula semestria læta expectantes halcyonia, quæ longam nobis serenitatem auspiciis suis portenderent. Quid enim universo Populo, quid Senatui, quid Subditis magis honestum & gloriosum esse potest, quàm victimas, & sacrificia, ad aras & pulvinaria cœlestis Numinis offerre? quando miles noster foris

foris ſtat in armis & Patriæ ſalutem in gladii ſui cuſpide & manibus repoſitam habet: improbum fuiſſet, ſi non noſtram quoque juventus, quandò ſanguine Oceanus inundaretur, non ſimul linguam & calamos exacueret, quibus ſi hoſtem in arenâ non ſuperaret; tamen iſtis veræ fidei ac pietatis inſtrumentis, Precibus, Deum Omnipotentem ad opem & auxilia advocaret. Nam ipſæ noſtræ Muſæ, illud unicum rerum publicarum firmamentum, viſæ penè in odium & contemptum adduci. Tanquam inutiles iſtæ ſarcinæ eſſent, nec amplius publico ſale & oleo condignæ. O mores temporum depravatos! quos tunc demum in Belgio renaſci videremus, quando remotis ſapientiæ ſtudiis in ſpiſſas ignorantiæ tenebras, & Vandalorum Barbariem, oberraremus. Nullo Socratis ſpeculo; nulla Diogenis lucerna, nulla Chryſippi lampade ampliùs in uſu. Quæ, me hercule! mala H: A: longè latius per univerſum Belgii pomerium proſerpſiſſent, ſi non aliqua de pace expectatio, Magnatum pectora & propoſita in melius nunc traduceret. Cum terribile enim hoſte nobis res eſt, qui ſanguinem & cruorem ſitit Belgarum gentis, & eo eſt animo, ut ad imum pulviſculum omnia noſtra evertat. Majorque moles malorum ſuper capite noſtro exiſtit, quàm ut omnibus illis hydris averruncandis, nos ſoli Belgæ ſufficiamus. Quanquam tamen mordicus nobis fortuna noſtra ſit retinenda, & de ultimo ſemiſſe ac libella minutiſſima decertandum, antequam de jure & libertate noſtra vel latum unguem recedamus. Utinam, Utinam, lætiores illæ buccinæ, tubæque triumphales propediem in Patria noſtra plenis auribus animiſque perciperentur!

Deus Bone, Deus Clementiſſime, quas tibi jure meritoque victimas labiorum noſtrorum, pro tanto erga

erga nos præstito beneficio persolveremus! nunc solus circum aures Pacis rumor animos nostros singulari quadam jucunditate titillat & afficit; at si vera & perpetua Pax; si sancta & religiosa fidei fœdera, inde Britannorum hinc Batavorum amicitiam sanctè conglutinent, O quàm Salium in morem, lato pede terram pulsaremus! quàm sacra illa sapientiæ pulpita in Templis, illa divinæ Themidos oracula in Curiis, in Comitiis; illa præsertim in Rostris & Academiis Eloquentiæ Suada, pleno ore profundas Dei Optimi Maximi laudes detonaret!

DIXI.

ORATIO XXXVII.

Ad

MAGNUM BRITANNIARUM REGEM CAROLUM,

Habita à

JACOBO BOSCH. *Alcmariano.*

NOn difficile est H. A. desiderarissimam de cælo PACEM, hoc tempore, cum Britannis componere. Sed, si Regum Principumque animi seriò ad hanc rem consilia suâ intendant: Quorum solâ in manu est, lentissima hæc Halcyonia feliciter tandem nobis præstare. Suosque subditos eâ afficere beatitudine, quâ partam sibi ipsis immortalitatem glorientur. Desinente enim furore hostili, ac coëuntibus in unum finitimorum Principum sacris propositis ad Pacem, ô quam inter proximos dies! aliam rerum faciem nobis

nobis natam videremus! quam pro tubis & tympanis; pro strepitu & crepitu armorum, alios nostris auribus triumphos & applausus perciperemus! Cuncta terrâ marique essent pacata. Tranquillitas & quies per universum orbem terrarum. Pro vetere more maria fervescent navigationibus & ad omnes terras ac nationes liberrima forent commercia. Nullaque gens sub utroque esset sole, quæ non cum Batavis pristinæ amicitiæ jura celebraret. Nullus in totâ Europâ, in extrema Asia, in ipsa sitiente Africâ, & remotissima à nobis America angulus existeret, tibi non consueta Mercurio negotia ad summæ felicitatis apicem producerentur. Et qui nuper hostes nobis & inimici fuerunt, illi novis nos blanditiis & amplexibus degnarentur. Nec de ullâ prorsus se ageretur, quàm de mutua utilitate, de Fortunis & prosperis rebus. De Publica & privata necessitudine ac familiaritate constabilienda. Omnia, quæ nunc in turbis & turbine versantur, in tranquillum essent reducta. Pristinæ amicitiæ risus & fructus ab omnibus perciperetur. Nemo alteri damna, aut infortunium minaretur. Nemo insidias, dolos, & quidquid iram, aut indignationem movet, posset efficere. Singuli cives in fidem, inprobitatem propensi, nihil, quam decus, quam splendorem communis Libertatis affectarent. Sublatis enim bellorum causis, quid, quæso, reliquum amplius esse possit, quam tot nomina charitatis mutuæ; quam tot officia omnium Ordinum & honorum? Ipsa demum Sapientiæ studia, quæ pridem per bellorum penè tyrannidem interire videbantur, novo iterum successu, nova sibi incrementa pollicentur. Istique homines, qui, ob injuriam Palladi Togatæ illatam, ad arma se contulerunt, ille, inquam, ad veterem in Senatu, in Academia, & Gymnasiis dignitatem ingeniique præstantiam

tiam adſpi[illegible]unt. Ad faſces & purpuram rurſum invitati, qui paullo ante ad cruenta bellorum certamina ſe compoſuerant.

Cum igitur in tua potiſſimum ſit manu, MAGNE BRITANNIARUM REX, diviniſſimæ Pacis negotium feliciter promovere; nobiſque omnibus, ac Ipſi Tibi, & Regno tuo quietem, modeſtiam, ſecuritatem, totque rerum proſperos ſucceſſus maturare, age, inquam, REX POTENTISSIME, ut Pax optata, pax aurea, cæleſte hoc Palladium Orbi Chriſtiano redonetur. Deſiſte tandem, amamus, ab innocuo hominum ſanguine profundendo. Nem ſemper in odio & crudelitate vitam tuam, more rugientium Leonum, velis tranſigere. Regium eſt, clementiæ ſuæ famâ in amore apud populum vivere. Et non tantum ſuæ Majeſtatis potentiam armorum viribus facere formidabilem; ſed imprimis Pacis & amoris divini profeſſione, tanquam firmiſſimis columnis, illam conſtabilire. Regium nomen adeo ſanctum eſt in ſuos ſubditos ut Pietate, ut Religione, ut Sapientiæ ſtudiis, non barbaro pugnandi more, tanquam infamiæ nota, debeat in publicum prodire. Quæ tua felicitas SATE SANGUINE DIVUM, tunc demum proſpera capiet initia, quando nobiſcum Batavis in priſtinæ amicitiæ jura, bonâ cum fide, deſcenderis. Et invicem æquis legibus contendentes, terrâ marique rectâ in communem hoſtem arma expediverimus. Non enim præterit regiam tuam Majeſtatem cum qua Gente olim fœdera iniveris. Apud quam etiam, priſtinis temporibus, nihil, quam fidem, quàm conſtantiam, quam veram ac utilem amicitiam habere conſuevisti. Et, quod tui Majores, *Regum iſta felix progenies*, & à tot ſæculis ipſa Britannia teſtari poteſt, Batavi, ſi ulla ſub ſole natio eſt, ad omnem humanitatem ſunt facti & perpoliti. Quibus

bus in pectore verus est candor; in commerciis industria, fides; in omni negotio æquitas & religio. Quos si quis Populorum legitimo sibi fœdere adjunxerit, ille certissimum exemplum in illis inveniet antiqui moris ac simplicitatis, vel ipso Patre Saturno dignissimæ. Qua de causa, POTENTISSIME REX, ad optatam pacem omnia tua consilia & operas conferre, consultum est. Et nos, vicinos Tibi Belgas pro hisce populis agnoscere, qui olim, Principe Historicorum teste, fidissimi Romanorum Socii fuerunt. Equidem in bello tam perdito & tam detestabili, nulla usquam salutis ratio existere potest. Quo omnia, quæ Natura rerum tam magnificè & liberaliter humano generi indulsit, intereunt. In pace verò & amicitiâ publicâ, DEUS bone! quanta consistit felicitas!

O Munera nondum intellecta Deum!

Tum enim in foro Justitia, in Comitiis Sapientia, & æquitas dominantur; in Ecclesia fides, & sanctitas pro gloria ducuntur. Quæ omnia miserè ab humano genere exulant, quando in apertis odiis & bellorum flamma versamur. Non est Regum, crede Batavæ Genti, MAGNE REX, tot trucidatorum corpora cum gaudio intueri, tot Gyaros carceresque, totidemque Scryphos, tot lanienas & cædes miserorum hominum in proprio sanguine se volutantium. Olim Barbaris Gentibus in usu fuit, ut in flammæ pulchritudine oculos suos pascerent; ut sanguinis humani flumina pro spectaculis haberent. Ductis penè triumphis, quando infinitas morientium turbas, tanquam Diogenis aliquot Parasitos, circum mensam ipsius circumcursantes, ad humum prostravissent. Illa ipsa corpora hum ana feris in pabulum, obijcientes; aut ad magnum numerum, ipsis aquis & cloacis fœdè immergen-

gentes. Noli hoc te adſpectu & profanu rituoblectare,

CHRISTIANISSIME REX.

Qui prorſus alio ſanguine es ortus, aliis moribus formatus atque educatus Cogita apud animum tuum, quàm ſit utile, quàm ſit commodum, exſpectatam diu Gentibus PACEM de cœlo in terras reducere. Quando omnia, collapſa ruinis, priſtino ſplendori reſtituerentur; & alii nobis ex alto Fauonii renaſcerentur. Cogita, quàm ſit neceſſarium à cruentis armis tandem diſcedere: ut quæ Marti & Neptuno in ſpolium ceſſerunt, aliis ſtudiis viribuſque in integrum componi poſſint. Cogita, quàm ſit honeſtum; quam plenum foret divinâ felicitate negotium, ſi ad priſtinam amicitiam nos componeremus. Apud omnes Gentes, ab ortu ad occaſum, Regiæ tuæ Majeſtati in longè maximam id glòriam meritò cederet. Nam ſemel ſtabilitâ PACE perpetua inter BATAVOS & BRITANNOS, certè! immenſi fructus in utriuſque Gentis Remp. redundarent. Poſſemus, Audd. recta tunc via ad immaniſſimos Turcas copias noſtras deducere. Poſſemus magnam Aſiæ partem, & ipſum mare Mediterraneum ſub poteſtatem noſtram redigere.

Vos denique BELGARUM PROCERES POTENTISSIMI,

Alloquor Vos quòque id veſtrum negotium ducite, ut omni ſtudio curaque accuratiore ad PACEM eatis. Nec quicquam induſtriæ veſtræ intermittatis, quo minus hac divinâ Penelope, PACE, in Belgio noſtro perfruamur. Promitit auxilia ſua, Magnus GALLIARUM REX LUDOVICUS. Qui ut Armis eſt inclytus, & Generoſus; ita pacis ſtudio non inglorius

glorius: Stent & à nostra parte, à CODANO SINU, POTENTISSIMUS REX DANIÆ, aliique innumeri PRINCIPES, qui manus suas & fidem nobis Batavis nunquam denegabunt. Ne, hoc inprimis tempore, quando nobile Pacis negotium, velut altera Minerva, sub Vulcani incude est. Sic tamen divinæ Pacis studia curæ & animo sunt habenda, ut non cum majore periculo, quàm cum fructu tractentur. *Suscipienda enim bella sunt, ut in pace sine injuriâ vivatur. Et illa Pax est repudianda, si sub ejus nomine latitet bellum.* Pacem perpetuam, Pacem perennem, sine metu, cum felici eventu expectamus. Quæ PAX, dico, sit sine dolis, sine fuco, sine injuriâ. Quæ nihil habeat intus latentis veneni. *Quæ nostros & Britannorum animos vero & æterno Amicitiæ nexu conjungat. Quam si*

OPTIMUS MAXIMUS DEUS

de cœlo nobis, post tot vota & lacrymas, concedat, est, quod meritò, tanquam invento olim à Populo OSIRI, exclamemus:

Εὑρήκαμεν καὶ συγχαίρομεν.

DIXI.

ORA-

ORATIO XLIII.

In

Expectationem

FUTURÆ PACIS.

Habita à

FREDERICO LUDOVICO MOLL à NYENBURGH.

Nob. Batavo.

NUpero semestri Nobb. Ampp. DD. Audd. hôc ipso loco & pulpito, penè accinctus gladio militem agebam. Eo animo, cum viderem Studia bonarum Artium nullos honores & præmia bene meritis promittere, recta, inquam, ad arma militiamque me componere pro illustribus Sapientiæ studiis, pro cultu Musarum divino ad alteram Palladem, quæ manu & hastâ rem agit, me conferre. Videbam enim Togæ & Purpuræ majestatem contemni; virum doctum non pluris æstimari, quàm cassam nucem sine nucleo; quam inutile terræ pondus, aut prorepentem alicubi è pergula sua claudum sutorem, gibbosum, blennum, pætum, valgum, Thersitem ipsum: desperans de omni honore & meritis, quæ viris doctrina & sapientia perpolitis omnis antiquitas, & Majorum virtus ultro deferre solet. Nam paulo ante nihil præter pugnas & certamina præter sanguinem & maria cruore tincta vidimus. Non aliter quam si rupto cœlo atrum rebus chaos induceretur & mundi fundamentiis ab imo concussis

cussis terrarum orbi novissimus dies ruinam acceleraffet. Quare unum rebus meis Asylum & profugium tunc Rem Militarem mihi proposueram, & armatâ manu Patriam meam malui defendere, quam inter osores Sapientiæ ingloriam vitam instituere. At nunc H. H. Audd. longè alii spirare Zephyri incipiunt, qui spem mihi faciunt Fortunæ melioris, ut non sine causâ nunc videar à Marte ad bonas Artes pertransire. Modò rumor hic de Pace, qui Europam nunc invasit, ad veram constantiam & prosperos successus Producatur,

Projicio nunc tela manu galeataque ferro
Tempora nostra levo, lateri dissolvo pharetram,
Diripio loricam humeris, hastamque trementem
Ac orbem clypei nostris depono lacertis.
Musarum jam castra sequar, parmamque movebo
Palladis, & doctæ vibrabo tela Minervæ.
Pieridum me raptat amor, me ducit Apollo
Carminibus Cytharisque suis. nunc æthera scandam
Sidereasque poli sedes. Juvat ire per alta
Astra juvat terris, & inerti sedere relictâ
Aërias tentare domos, consuetaque dudum
Templa videre Deum, nubes & sidera cæli
Nunc pedibus calcare juvat. jam certus eundi
Auroræ thalamos supra croceumque cubile
Ingrediar? quo diva vocat me turba Sororum
Et Phœbi me ducit honos, vestigia cursu
Indefessa feram, duplici quo vertice Pindus
Astra petit Musæque mei stabulantur amores.

Doctrinam, inquam, & prudentiam forensem sectabor. Quæ artes veræ sunt ingenuæ & liberales. In Antiquitatis divina adyta me penetrabo, ubi

ubi inveniam, quod animum oblectet. aut ad bicipitis Parnassi jugum acriter grandibo gradum ut lyricis me vatibus inseram,

Sublimi feriens sidera vertice.

Sive cum divâ Themide solidos ego dies dividam, quæ me doceat in senatu consilia populis dare, & per medium euntibus profundum manus Auxiliatrices porrigere. Nulla enim in armis vera est gloria, aut si aliqua illa sit, sanguine & cruore ipsorum hominum, miserè in bello pereuntium, est quærenda. Ad quæ si eundum est, monet nos sæpè Patriæ infelicitas, quæ aliâ manu defendi non potest. Sed, si abstinere hac flamma dextram liceat, plus beati erimus. Ab illustribus studiis alia venit gloria, quæ nunquam ex toto extingui potest quæ in omnem æternitatem nominis, nostri immortelitatem *pennâ non metuente solvi* transcribit. silent enim sub armis bonæ leges, nec fas, nec fides, nec probitas locum tunc tenent. in templis non colitur relligio, in foro non viget æquitas in tribunalibus Magistratuum nulla exercetur justitia. Quis igitur tam bruto esset ingenio, qui durum hoc Martis opus, & cruenta castrorum armorumque certamina in ludum ac jocum assumeret? Quando tyrannus nos urget, & fortunis nostris gravis est. tunc adversum infestos latrones arma in manus sumenda sunt, ne Resp. communis illa nostrum Cymba in turbati maris fluctibus naufragium faciat, & dulcis Patria, charissima nostra omnium Mater, inimicis nostris triste pabulum ac piaculum fiat.

Pro Deum atque hominum fidem! quanta per universum Belgium lætitiæ foret gratulatio! si sparsi in populum rumores de pace, veros aliquando eventus haberent, O quàm divinum, quàm divinum, quam excellens hoc esset beneficium! quam res prorsus inæstimabilis, quam uno

K hoc

hoc jucundissimæ pacis nomine nos Belgæ assequeremur! omnia iterum in pristinum sui splendorem ac vigorē efflorescerent. Vetus & vera illa facies nuper desperatis Belgarum rebus reverteretur.

Hinc Batavi, tutos pelago præbente recessus,
Extendent sua vela Notis, quo sidera currunt
Quo Titan propellit equos. quo Sequana dives
Pervolitat Rhodanusque celer, quo Maxima Nili
Stagnarunt, Rhenusque. Pater se jactat in undis.
Mercurii sic surget honos, mercator avarus
Barbaricas dum portat opes, dum suggerit aurum
Et crystalla rubro subternascentia ponto.
Ipsa Pales tunc rura colet, lætamque colonis
Præbebit segetem, tunc curvum fiet aratrum
Hostili ferro, & fracto mucrone, redibit
In falces tunc hasta ferox. tunc vomer aduncus
Ensis erit. rastris clypeus mutabitur uncis.
Tunc Apollinis terris revirescere honores
Incipient, Phœbique lares Mavorte subacto.
Tunc læti pandent profugis Helicona Camænis.
Bella procul, scelerumque minæ, sub tegmine pacis
Dulcia secura peragent tunc otia gentes.
Se totum in lusus & publica gaudia mundus
Solvet, & in solis resonabit plausibus æther.

Restituta in integrum nobis pace H. H. Audd. quis nostrum omnium non ab hisce terris in cœlum usque animo suo præ gaudio eveheretur? quando liceret populum ab onere tot tributorum sublevare? Colonis otium dare ad agros conserendos? Maria liberare à metu prædonum; negotia ac commercia ultro citroque sine offensione hostili exercere? quando permissum militi tot cicatricibus ac vulneribus obsesso civilem vitam instituere; pro classibus, & sulphureis tormentorum glandibus, divinas Bibliothecas, librorum optimorum supellectilem sibi comparare? Æ-

raria,

raria, quæ nunc exhausta, novo censu augere, pro re nata, & occasione temporis; sine ulla vi & coactione miserorum civium. Quando omnem injuriæ memoriam lege oblivionis, divinissima Amnestia, liceret prorsus extinguere. Quando libertati, Ecclesiæ, Reip. Sapientiæ studiis otia illa erunt restituta, quæ proximis diebus, per funesta arma & belli injuriam nobis sunt erepta. O divinæ providentiæ æternum deprædicandas virtutes! O novos Reip. Batavæ Natales! qui tunc merito totis animis, atque omni gaudiorum apparatu essent celebrandi!

Vos, Magni Heroës, nunc totum fama per orbem
Jactat, pervolitans nubes ac aurea cœli
Climata, virtutes vestras, mortemque decoram
Extollit geminus mundus. quo Phœbus Eöo,
Assurgit rutilante comâ, quo serus Olympum
Hesperus involvit tenebris, noctemque reducit
Nigrantem: pulchrâ vos libertate peremptos
Dicimus, & nostri poterunt meminisse Nepotes.
Vestra per Oceani fines, gentesque remotas
Gloria, jam dudum famæ rumore secundo,
Imbuit attonitas aures. vos decolor Indus
Laudibus extollit, vobis nunc ipse Britannus
Virtutis documenta refert. sic vestra per omnes
Terras fama volat, metamque egressa sepulchri
Hinc Phaëtontæos transmittis nomen in ortus.
Virtutem stimulate, novas acquirite vires
Dum pacem sociare licet, rebusque futuris
Invictos servate animos, quos nulla furentis
Mavortis franget rabies, non sanguinis horror
Non furor armorum strepitus, non mortis acerbæ
Fatorumque minæ, nec vis inimica tyranni.
Sic vestra virtute, viri, gens Belgica fiet
Finitimis terror populis, sic vertice claro
Belgarum se tollet honor sic fama resurget
Inclyta. sic Batavum nomen pulsabit Olympum.

PRECES AD DEUM.

Tu Deus Omnipotens, qui stellas flectis habenis,
Qui frænis Elementa tenes, qui fulmine terras
Concutis, & cæcos atris in nubibus ignes
Moliris dextrâ, qui magna vocé per undas
Præscribis tua jura mari, fluctusque coërces.
Ecce tuis humiles nos nunc procumbimus aris.
Da Pacem, petimus, tandem post horrida bella
Da Pacem cælo reducem, da secla quietis
In terris sperata diu: da flectere Regem,
Ac Hostes lenire truces, da ponere Martem
Et firmam sociare fidem, da jungere dextras
Cum placidis animis, tandem Pater optime surgat
Exorata quies, tandem Deus aure benignâ
Accipe vota, preces, gemitus, suspiria, planctus,
Et lachrymas, tandemque placens miserere Batavum,
Hic pandant Helicona Deæ, reviresçat Apollo
Tanquam fronde nova. Despectus tempore belli
Hîc Phœbi succrescat honos, sub Pace serenâ
Almeriæ vigeant Proceres, Alcmaria blandis
Floreat auspiciis, & semper læta triumphet.

DIXI.

Tres antecedentes Orationes habitæ Examine Vernali CIↃ IↃCLXVII.

ORATIO XLIV.

De

PACE ANGLICANA

Habita à

JOANNE ATSMA
Leovard: Frisio.

TAndē, *humanißimi Auditores*, tandem, inquā, Deo immortali in cælis gratias ingentes habemus, quod optatā, quod optimám, quod exspectatam tot piorum votis illustri Batavorū populo pacem cum Potentissimo Britanniarum Rege Carolo tam prospere, tam feliciter concesserit, & à truculentissimis bellis, quæ cùm finitimis Gentibus, veteribus nostris amicis, gessimus, nunc in Belgii hoc pomerio summâ cum securitate nos liberaverit. Pacem, inquam, pacem optatam & optimam consecuti sumus. Pacem almam, pacem plus quam auream. Quâ omnium sapientum judicio nihil melius, nihil sanctius, nihil magis divinum ac cæleste nobis mortalibus potest contingere. Quo nomine universæ Reip. nostræ huic Asmariæ; & profugis hinc nuper Musis ac Apollini ex animo gratulor. Talique gaudio & hilaritudine hoc ipso in loco nunc exulto, ut vix sermonem & verba reperiam, quibus præsentis sæculi felicitatem satis dignè, satisque disertè describere possim. Bella hactenus, bella immania, bella cruenta, juxta lachrymas & summos animi dolores detestati sumus. Sæpiusque adversum furias istas pugnacibus iratisque verbis confliximus. Ac toto proximo triennio nihil præter linguæ tela, & mucrones, nihil præter armatam

Pallada vibravimus. Sessi armorum atque certaminum labore, quem pro Patriâ & libertate Belgarum toties institüimus. Nunc per Dei Omnipotentis clementiam, alii nobis Zephyri cælum serenant, alia spirat aura & Favonius ex alto: cujus dulcissimum calorem ac sensum totis dum animi medullis percipimus, nescio, certè, an hisce vinculis & carceribus humanis me satis contineam, & non rectà in cælum sublimis hinc abeam, plenus gaudio, plenus lætitiâ incredibili.

Te Pax alma, Pax aurea, quam lætis placidisque oculis, postliminiò, intueor! quam ego tui amore ac desiderio, totus incalesco! quam in uno hoc nomine, quod innumeris triumphis est potius, omnes amœnitates atque veneres, salutem denique ipsam, omni melle suaviorem, reperio! ite posthac infesta, infausta, cruenta, à Belgio nostro hinc bella. Tu à superis esto nobis redux Pax jucundissima, Pax optatissima, Pax omni gaudio & hilaritudine plenissima! quæ dum tacitâ mente & cogitatione mecum agito, incidit mihi (HH: AA:) quam proximis annis, cuncta bellorum flammis atque furiis conflagrarint. Et quemadmodum nunc apud miseros Brabantinos & Flandros Mars iste incrudescit, ita nos quoque funestis istis incendiis penè in extremum exitum & ruinam devenissemus. Tantis tamque immanibus hinc inde periculis circumsessi, ut hostibus pene ludibrium, amicis misericordiam exprimeremus. Terra marique plusquam infinitas calamitates tumultuante animo prospiciebamus. Quibus omnibus perferendis non pares habebat vires ac lacertos populus Belgarum Domi verò, quod omnium est gravissimum, fiscus de penuria rei nummariæ, de conturbatis rationibus non unam litem intendebat, Ærario penè exhausto. Non sufficientibus vectigalibus ac tributis nostris, ad plus

plus quam Regios exercitus alendos. Accedebat ad hoc, in tantis difficultatibus, vulgi desperantis animus audax, minæ feroces, manus complosæ; totò Belgio languor & formido mulierosa nulla, horresco referens, ad vicinum mare erant littora, quæ non continuis tormentorum ictibus detonabant; nulla in propinquo insula pelagi fluctibus objecta, quæ non incendia, rapinas, cædes, vastationes, in singulos dies exspectabat. Et, quod magis, omni in loco occultæ insidiæ, nefariæ molitiones, doli, conjurationes, machinationes improbæ. Hoc ipso in pulpito, parum abfuit, quin hisce nostris oculis fumos ac incendia istius Vulcani viderimus; hisce auribus præliantium furibundas voces ac certamina pr[illegible]ntium perceperimus: à tantis malis HH: AA: undique obsessi, laus, honor, gloria immortali sit Deo! aliam rerum faciem, aliud famæ theatrum adepti sumus. Quando nunc lætissima de pace gratulatio omnium Belgarum animos jucundissimo gaudio pertentat. Quando cives cum civibus de libertate, de salute receptâ lætos invicem sermones serunt. Quandò spem novam in agris suis percipiunt coloni; in instruendis suis navibus solita lucri exspectatione nostri Neptunicolæ. Et quod omnium rerum est primum, quandò templa & delubra inplenissimas gratiarum actiones ad Immortalem in cælis Deum quotidie effundunt. Tribunalia suis clientibus de æquitate, de justitia gratulantur; Rostra & Comitia populo sibi credito certissimam securitatem denuntiant. Academiæ & Scholæ suis alumnis ingenuarum artium studia, & sapientiam promittunt. Profectò! vix imaginari hanc novam nobis felicitatem possumus: quam beneficio divino tandem nos consecuti sumus. Cum paulò ante, omnes summa tristitia & mærore confecti, oculos

exorium erat : ad quod componendum comprimendumque majoribus, certè, fatis & oraculo erat opus. Quia non tantum ad fœderatas provincias res ista spectabat; sed ad fortunas & salutem Europæ universæ. Omnium populorum negotiis ac commerciis, sub immensa hac belli mole impeditis & quasi frigescentibus. Igitur magnis consiliis Regumque Maximorum ministris illò res tandem est perducta, ut sublatis discordiæ seminibus, in augustam pacem utraque populus coëat ac conjuret. Bellis cruentis atque horrendis tandem felicissimo fine imposito. Pulchrè probeque inter se coëuntibus perpetuo amicitiæ vinculo; hinc *Batavis*, illinc *Britannis*. Quare hic dies HH: AA: Musis nostris est sacer, nosque omnes Imperii nostri felicitas ad hoc impellit, ut nunc Belgio universo, ut huic inclytæ Civitati Alcmariæ, nostroque in illa Apollini, tanquam à mortuis reviviscenti pacem prosperam, pacem perennem, pacem terrâ marique fortunatissimam gratulemur. Vt cum Rege potentissimo, Carolo Secundo, fide Christiana conjuncti in omnem Æternitatem pari constantia & amore coalescamus.

Ad quem sacræ concordiæ nexum mundique amorem sempiternum, tu imprimis nos devinci atque conglutina, O Æterne immortalis, Optime, Maxime in cœlis Deus!

DIXI.

ORATIO. XLV.

De

PACE,

Habita à

FERDINANDO VAN KEULEN.

Amstelod:

PAcis tempore. AA: HH: universus terrarum orbis, omnes gentes ac nationes, ad pristinæ ætatis felicitatem, hoc est, ad aurei sæculi imaginem proximè accedunt. Remoto ab animis mortalium omni metu & formidine periculorum: quæ bella secum trahere solent. Quandô domi forisque summa est tranquillitas, cunctaque elementa in unum, æqualemque sui tenorem consentiunt. Terra, benigna matre, sine hostili timore, abunde segetém suam producente. Ponto & mari tot generum cibos squammosos, aëre tot voucres pennatas, esui humano aptissimas, copiosissimo cum apparatu proferentibus. Igne denique & flammis, non ut, proximis diebus, per classes & littora nostra immanissimè sævientibus. Quandò, inquam, ipsa naturæ benignitas, modestissimaque illius temperies nos ad omnes Venerum amænitates & amores componit. Talique habitu ac specie felicitatis antiquæ nos afficit, ut sine fabula novos in mundo Elysios adepti esse videamur. Quale sæculum Majoribus nostris sub Saturno quondam Rege, cum in alto otio & relligiosa inertia vitam illi producerent. Tanquam Dii ipsi, qui de Cælo tunc demissi, in corporibus humanis stabulabantur.

Ad

Ad hujus viræ vivam, dico, imaginem, AA: HH: nos, per augusta pacis hæc tempora, in Belgio hoc nostro deinceps vivemus. Quandò ab injuriâ noxiorum hominum prorsus liberi, in togâ & tunica sapientiæ studia profitebimur, & omnem crudelis Bellonæ vim & metum longè hinc à nostrrs terris ad barbarorum fines proscribemus. Damnatis æterna quadam ærugine telis & sarissis cruenti Mavortis. Inter quæ arma (proh pudor) per tot annorum tristes decursus, cum maximis animi cruciatibus & calamitatibus, colluctati sumus. Non possum AA: HH: oratione mea complecti, licet centum mihi sint ora, centum linguæ, quanta nos hilaritudine, quibus gaudiis perfundamur; quibus gradibus tripudiisque jure nos exultemus. Quam ingentem, quam infinitum bonorum cumulum, ex præsente cum Britannis pace, consequamur. Credite, illustres Batavi, Respub. universa fructus suos hinc capiet: quibus omnibus per proxima bella fœde destituti sumus. Per maria, per terras libera iterum erit profectio; ad omnes gentes & populos tuti commeatus, & itenera secura. *Qua parte debacchantur ignes, qua nebulæ; pluviique rores*, felix ad permutandas merces Mercurii nepotibus erit ansa & occasio Oriens & occidens Batavorum classes accipiet: quæ Indorum Arabumque messibus plenæ, orbis extremi thesauris refertæ carinas nostras stipabunt. Hinc Rhodanus, Rhenus, Danubius, & Odera solitis suis sarcinis ac oneribus portus nostros intrabunt. Inde Tagus, & Pactolus secundo labentes sinu, toto nobis flumine suas copias & opes ministrabunt. Ipse Sequana & Ligeris ipse Thamesis, qui nuper adeo nobis infestus sua horrea plenis foribus faucibusque aperiet. Nullus terræ angulus, qui non imposterum, Batavam nostrum Typhin dextris auspiciis &

gremio intimi ſui amoris dignabitur. Vos, beatiſſimi ruricolæ, tuto terram aratro ſulcabitis & longi anni ſpem non irritam, in areas & porticus veſtras accipietis. Vos, fortes neptunicolæ, ſecundis ventis vela implebitis; per æquora longa & cæcas charybdes tutiſſimè navigabitis. Vos, cives fortunati, conjuges & liberos veſtros, aras focoſque alio nunc vultu & amore aſpicietis. Vos, ſacro Apolline afflati vates, viri clariſſimi, novo ſapientiæ genio recreati, ad divinæ mentis operas provocabimini. Toti incaleſcentes maximarum rerum gloria ac deſiderio. O pacis beneficia admiranda! *O munera nondum intellecta Deum!* quæ à primis pacis Anglicanæ initiis in Belgio noſtro recipimus.

Non poſſum cogitatione mea emetiri magnitudinem tantarum rerum, quibus penè toti obruimur. Quibus non tantum in ſtuporem nos rapit temporum hæc ipſa viciſſitudo. Quæ tanquam vivo felicitatis fonte univerſam Europam inundant, quæ beneficia nectar & ambroſia ſunt eſurientibus; Panacea, & Dictamnum animo & corpore afflictis. Quæ ſunt ipſum Antidoton, & Alexipharmacon omnibus illis, qui pro Patriæ libertate, pro relligione, pro aris & focis defendendis honeſta nuper vulnera acceperunt. Ut nihil nunc dicam, de ſanctiſſimis fori legibus, de æquiſſimâ Aſtreâ & Themide, quarum jura in integrum reſtituta benemeritis præmia, nefariis homibus ſupplicia ſua decernent. Nihil de Libertate, de Relligione, de fide noſtra, hoc loco diſſeram. Quæ cuncta priſtino ſplendore illuſtrata immenſum ſuæ virtutis fulgorem dabunt, Adeò ut novos quiſque nunc ſpiritus recepiſſe videatur, qui hoc optatæ pacis gaudio perfunditur. *Nam non minus grati ſunt iſti dies, quibus conſervamur, quam quibus naſcimur.* Et ſi unquam verè in gaudia ac

ſolium

solium restituti sumus, hic præsens ille est dies, quo, cum illustri Britannorum populo, tot nexibus & vinculis veteris amicitiæ conjungimur. Cum quo in unum idemque corpus fraterno amore & fide coalescimus. Omni odio & invidiâ jam pridem extinctâ, vobiscum vivemus, affines populi, illo naturæ jure atque æquitate, quâ olim à tot annis, animis, puta, invictis ac generosis.

Vos, Amici Britanni, quicumque injuriâ aut dolo circumvenerit, idem nobis erit hostis. Par & commune nobis periculum; par salus utrisque. Sanctissimâ oblivionis lege, amnestia, omnem præteriti temporis inimicitiam ex animo prorsùs deleturi. Nullo usquam vindictæ vestigio relicto, quod adversæ partis memoriam recrudescere faciet, ô terque quaterque felices nos populi, Batavi & Britanni, si benè fœderibus ac fide invicem conjuncti, pari Marte, & armis externum Hostem aggrediamur. Quibus viribus virtutibusque piè prudenterque semel conglutinatis, quæ tam fera & barbara esset natio, quam non, sâncta hac nostra pace stabilita, sub jugum redigeremus? Scilicet hoc Batavo est, proprium, fidem cum omnibus conservare, nullius sacra temere violare. Cum omnibus vitæ suæ rationem & amores sanctissimos componere. Credite, vos fidissimi Britanni, quod ea pietate sit Batavus, ut nunquam æquissimas conditiones violet; nunquam falsos animos ad pios contractus ineundos adferat; nunquam aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habeat, & quas semel leges legitimo jure inierit, eas non nisi cum anima simul sit amissurus. Tandem igitur feliciter utriusque imperii limite & legibus constitutis, in domesticos nobis Hostes pariter arma nostra expediamus. *In jecore ægro nascuntur domini.* Illic avarities, illic superbia, luxuria fasces suos tenent. Contra hæc

insita nobis ab unguiculis vitia fortiter dimicemus: qui perpetui nobis sunt tortores & assidui carnifices. Iste Ixion & Hannibal, ad fores & portas nostras excubias agunt, cum quibus belli aleam tentare in dies est occasio. Hoc tamen *illustribus Patriæ Patribus*, velut aureo quodam monitu, insertum volumus: ut ipso pacis tempore de bello cogitent. Militemque semper in promptu habeant; ne, quod nuper evenit, armorum disciplina intermoriatur. Et ad omnem impetum & impressionem Hostilem minus prompti & parati inveniamur.

Sed, nolim ego in hæc arcana imperii falcem meam immittere. Plus sapit nostra Minerva, quam ut ad ista magnatum negotia calculos suos apponat. Satis oculatos hoc tempore habemus Palinuros, qui cum CANDIDIS ISTIS AVIBUS ac PHÆNICIBUS ad clavum sedent. Qui per amfractus istos viarum ac meandros Belgicam hanc navem in tutissimum portum deducent. Plus quam satis est, si nos divinæ pacis beneficia animis nostris sanctissimè imprimentes, pro tantis muneribus DEO immortali in Cælis grati simus Et sub illius umbone ac sacra umbra quiescentes, divini Numinis honorem debito semper cultu ac veneratione prosequamur.

PRECES.

Tu, ô æterne ac omnipotens in Cælis DEUS, fac ut illustris Belgarum populus hisce opibus, & fortunis suis, quas per lætissima pacis hæc tempora omnes in solidum recepit, semper honestè, semper probè, semper utiliter perfruatur. Nihique animo suo secum reputet, quam iisdem auspiciis cum omnibus nationibus atque gentibus, tam concordiam foris

confer-

conservare, quam domi sua continentiam, fidem, Probitatem, cæterasque Christiano homine dignissimas virtutes exercere. Tu PAX alma, tu PAX aurea, æterna quoque & perpetua esto toto orbe inclytis populis, Batavo & Britannis.

DIXI.

Duæ antecedentes, habitæ Alcmariæ CIↃ IↃ CLXVII. Examine autumnali.

ORATIO XLVI.

De

PACIS COMMODIS.

Habita à

SEBALDO WINNINX.

Amstelod.

BEllorum HH: DD: AA: abundè nunc satis est. Satis sanguinis inter hostes & veteres amicos effusum. Satis Europa, terrâ marique infestissimis armis crudeliter depugnavit. Adeò ut vix, historiarum & annalium fides apud posteros fidem sit habitura. Satis, inquam, indè Britanni, hinc Batavi in mutua armati vulnera, exemplum dedere summæ crudelitatis atque inimicitiarum. Quæ mala & pericula tantam in se pestem & perniciem habuere, ut præsens hic dies id vel solum cogitantibus maximum metum ac formidinem incutiat.

Nunc, laus opt: max: in Cælis Deo, hæc bellorum

lorum discrimina tandem consopita ac conposita sunt. Et pro lituis & pugnis, pro militari buccinâ & cruentis tormentorum ictibus, aurea pacis tempora consecuti sumus. Omni castrorum & certaminum metu longè à nostris finibus remoto. Nisi quod una adhuc Hydra superfit, quæ immanem sui terrorem per finitimos circumfert. Quæ ubi in soporem semel data, & collocata, omnem prorsus de bello atque inimicitiis cogitationem deponeremus. Illa, ut, cuncta mortalium, in divinâ sunt manu: & spes est, quando potentissimorum Regum legati in communem fœderis feriendi locum convenerint, omnis illa nubes, quæ super nostro est capite, felicissimè desæviet.

Nos *HH: DD: AA:* de præsente Belgarum statu & fortunis nunc loquimur. Bellum, quod cum proximis Britannis pridem nobis fuit, in puros amores, & amænitates utriusque populi commutatum. Adeò ut ex tanta charybdi, & malorum Iliade nunc in tutissimum pacis portum delati simus. Nihilque nunc seriò domi forisque sit agendum, quàm res familiares, quam negotia domestica; in altâ quiete ac securitate, summo cum studio, administrare. Quam sibi proponere & eligere illas terras & nationes, quò totis classibus, ut fortunæ nostræ fructum lucrumque quæramus, secundis ventis navigemus: sive ad Orientem, sive ad Occidentem, ad remotissimos orbis angulos, ad ultimam Thulen, & extremas Gades, desideria nostra nos vocant. Nullus enim est hostis, quem nunc in toto illo Oceano extimescimus. Aut cui depellendo domandoque non pares sumus. Taceo de privatâ cujusque securitate, in quam, per pacis hæc publica bona, deducti nunc sumus. Agros suos, remque rurestrem cum gaudio colonus exercet; semina sua sulcis, demandat, vineas plantat, in ordinem arbores disponit,

horrea

horrea sua lætâ segete stipat. Nihil metuens hæc munera cælitus sibi data eripienda per armatum nunc militem. Sub tuto fagi tegmine, cum examine ditis domus, placide se componet.

Modò sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labentur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in sylvis aves:
Fontesque lymphis obstrepent manantibus,
Somnos quod invitet leves.

A navitâ & ruricolâ si ad civium commercia me penetro, incredibile dictu est, quàm infinita hic bonorum copia redundet.

Vbi nunc certamina virtutum & studia pietatis, ad laudem & gloriam summi Numinis liberè exercentur. Et bellum, ut sic dicam, suscipitur contra amicorum vitia, contra superbiam, contra luxuriam, contra voluptatem, ambitionem, & cætera illa monstra, quæ in medio mortalium cætu sedem suam & domicilium habent. Reliqui hostes, qui hactenus insidias nobis struxerunt, per Omnipotentis Dei gratiam nunc prorsus sunt exstincti.

Igitur cuique apertus est campus in quo ad palmam & præmia potest decurrere gloriæ immortalis. Nihilque intermittat, quo minus ad famam boni nominis & existimationem illustrium factorum perveniat. Hic Rhodus hic saltus. Et illa in medium Helena nobis proponitur, quæ omnium nostrum sudores merito exacuet & exerceat. Homo enim prorsus otio se dare corrunpendum non patitur. In aliquo negotio generosus animus attentè semper habendus, ne, veluti in navalibus putredinem carinæ, quadrupes in stabulis, sine assiduo motu & cursu, squallorem & veternum contrahit, etiam hic sua damna & injuriam patiatur. Et ut de aliis factis illustribus,

quæ

quæ politicam hanc curam tangunt, nunc taceam, totus mihi Oceanus ad feliciter vitam instituendam, hic patet. Divina Eruditionis illa palæstra: in qua quisque fortissimus Atletha esse potest, viresque sui animi egregie exercere; quandò nunc ab alterâ Pallade, armatâ scilicet, pax est feriæ? Antea enim cum Marte & Vulcano res erat: sub quorum auspiciis non benè procedunt sapientiæ & litterarum studia. Qui veri sunt carnifices, ad sacros illos Musarum consessus. Quæ non aliâ magis peste fugantur à suo solio & tranquillitate fortunarum. Quod imprimis videre tunc licuit, cum in finitimis bellorum flamma & timores increbrescerent. Quando nihil minus in laudem & pretium ducebatur, quam de literis & artibus ingenuis excolendis cogitationem suscibere. Jacebant tunc altâ tellure defossæ bonarum mentium & ingeniorum exercitationes. Lugebant Gymnasia & Scholæ; deplorabant statum suum & fata hæc ipsa pulpita & cathedræ, quæ nondum ab immani isto ictu & impetu animam ex toto receperunt. Nam pro calamo & pennis ad secures & bipennes Quirites nostri se conferebant. Malebantque pro muris & mœnibus stare armati, quàm sub sacra silentii hac umbrâ assiduos se milites profiteri. Nunc iterum, laus Deo, apertæ sunt Musarum fores, & majori in sapientiæ cultum ac honorem in dies nascitur reverentia. Adeò ut imposterum nobis verè aurea tempora sint exspectanda, digna vetere Mecænate, digna, inquam, Rostris & Philosopho tempora! Ut non amplius cogitet nobili loco nata juventus cruentam sanguine hastam vibrare; sed sacras lauros, sed perennes victricesque hederas cogitare.

Doctarum præmia frontium.

Quibus securitatis publicæ fundamentis feliciter semel

ſemel iactis, *O Deus immortalis, Deus optime, æterne, ſanctiſſime*, quàm tui imprimis nominis Numiſque colendi ſingulare ſtudium incrementa nunc, ſumet! quanta pietatis in templis, in Curiis, in Tribunalibus, impoſterum erit ſeges & occaſio! quanta virtutis, quanta probitatis in bonorum pectoribus æmulatio! quàm adverſum vitia & peccata hoſtili animo decernere facilis erit labor & occaſio! quàm undiquaque nobis omnium optimarum rerum copia tunc dabitur! leges in perjuros: leges in nefarios, leges in ambitioſos tunc locum habebunt. Nullum flagitium, nullum ſcelus à quoquam committetur, quod non juſtiſſimis pœnis affectum, aliis in exemplum erit. Præmia vero ac honores bene meritis, in virtutis & laborum ſolatia, per omnes civitates & Provincias liberaliter perſolventur. Denique divina de Cœlis *juſtitia* in terras demiſſa, hoc in præſidium innocentiæ habitura, ut ſibi de jure & æquo impoſterum, inter homines exercendo ex animo gratulari poſſit.

Felices terque quaterque felices vos habeo dilectiſsimi Collegæ, quod hoc argumentum hodierno die vos ambo ſitis conſecuti, quo de Eruditione & pietate, quæ germana pacis eſt ſoboles, hoc loco perorare nunc poßitis. Pro virili igitur hoc agite, ut geminas illas Reipub: columnas, à quibus vera ſalus & felicitas in humanum genus promanat, vivis, quaſo, ad oculum coloribus nobis depingite.

D I X I.

ORA-

ORATIO XLVII.

DE ERVDITIONE

Habita ab

ADRIANO vander NIENBVRCH.

Alcm.

PAcis tempore, ut optimè dixisti, *mi Collega*, Eruditio & humaniores artes vero in pretio & honore habentur. Quæ, per nupera bella, immane quantum! jacuerint ac defloruerint, non necesse est ad novas lacrymas hoc loco, recensere. Cujus luctus & doloris sunt testes omnes illi, qui sapientiam & literas amant, atque æstimant. Qui sæculi sui vicem & miserias nunquam satis digne, pro ingenio ac viribus describent. Quibus tam omnia adversa tunc fuerunt, bellicis istis turbis & tumultibus, ut prorsus de sapientiæ studiis, artibusque libero homine dignis, desperare inciperent. Jamque *nec turpe putarent præcones fieri*, & ut idem Satyricus ait:

Romæ conducere furnos.
Desertis enim Aganippes
Vallibus esuriens migrabat in atria Clio.

Qua tempestate nemo tristes Camænas respiciebat; nemo dignas hæderis & imagine macrâ gratias cuiquam persolvebat.

Nam si Pieria quadrans tibi nullus in arca
Ostendatur, ames nomen victumque Machæræ.
Et lignorum aliquid posce ocyus, &, quæ
Componis, dona Veneris, Telesine, marito.
Neque enim cantare sub antro

Pierio

Pierio thyrsumve potest contingere mæsta Paupertas.

Cum tamen in majore honore ac existimatione merito haberi debeat, præstans excellensque Eruditio. Quam maximi semper Reges Principesque debitò in honore habuerunt. sine quâ non sapientiam, non virtutem, non humanitatem ipsam existere inter mortales illi judicarunt. Non Rempublicam, non Comitia, non Tribunalia, rectè administrari;Non domi forisque res aliquas sui fructum usumque posse habere Quod ipsum si nostra hæc ætas munus intelligat, quæ, per proxima bellorum mala, in multos errores ac vitiorum tenebras,pro pudor! prolapsa est, Græci hoc & Romani multis ad posteritatem transmissis exemplis testantur. Quo, meo judicio, multum illud *Aristippi* valebit qui, cum interrogaretur, quid filio profutura esset Eruditio, acutè respondit: saltem in theatrum cum ille venerit, ne lapis supra lapidem sedeat. Quare & magnus *Pompejus* Rhodum est profectus, ut illic bonis artibus imbueretur,qui nec erubuit in isto imperio & purpura ipsis Philosophorum januis adstare, ut aliquid se dignum illic addisceret. Igitur & laudandus merito *Alphonsus*, qui cum audisset Regem aliquem ex Hispanis dixisse, Principi literas non convenire, bovis illa, inquit, vox, non hominis. Ad quod si cjtem ac vocem testes Philosophos reliquos, vereor, ne multis nostri sæculis Zoilis, literarumq;osoribus infamiæ hic maculam inuram. Inter quos merito Primum sibi locum vindicat divinus ille *Socrates*, Qui hominem doctrina excultum animal in terris pulcherrimum judicavit. Cui jure proximus est *Cleanthes*, qui pluris fecit mendicum, quam hominem indoctum. Et sapientum non ultimus *Thales*, qui solos felices aplavit, qui animo eruditi & corpore essent sani.

Quis

Quis ille usque homo tam ferrea & perfrictâ fronte invenietur, qui non viris eruditione præclaris atque insignibus jure assurgat? illorumque ingenia & laudes summis in cælum encomiis extollat? Nostræ juventuti author non sit, ut ad egregia doctrinarum præcepta totis animis combibenda, omnes suas fortunas & facultates impendat? Sapientissimi Laertii aureo monitu ad hoc exstimulati, quod Eruditio juvenibus sobrietatem, senibus solatium, pauperibus divitias, divitibus ornamentum adferat. Et *Diogenis Cynici* exemplo, qui nullis verberibus ab institutione Antisthenis removeri potuit. Verbera, inquit, quantum potes, nullum tamen reperies baculum tam durum, quo à te, modo aliquid didicero, me avertes. Nec non ipso *Demosthene* hic teste, qui in ipsas terræ cavernas, abrasâ alterâ capitis parte, secessit, ut diligentius studia sua pertractaret. Nolo in communem hic locum altius nunc descendedere H H: A A: infinitis pene paginis de hoc argumento sæpius ex hoc pulpito disseruimus. Quare, juxta ipsos hosce oculos nostros, hæc Musarum sacra Jure meritoque pertractare debemus. Nunquam aut voluptatum illecebra, aut otii dulcedine, ab hac tam divinâ animarum nutriculâ, Eruditione, abstrahendi. Verè igitur felix & beata ista Respublica, ex divini *Platonis* sententiâ, in qua Reges Philosophantur, aut Philosophi dominantur. E contrario nunquam satis justo dolore prosequi illas civitates possumus, in quibus contemni, aut turpiter languescere clarissima Doctrinarum monumenta videmus Quando majoris pretii habentur illiberalium artium studia, quam hæc cælestia Regum Principumque ad indagandam sapientiam, monita & consilia. Igitur quantâ fieri potest industriâ, hoc mactis ingeniis omnes agamus, ut Reipublicæ sua constet authoritas; ut

bonæ

bonæ artes & literæ, quæ pro firmissimis columnis sunt publicæ & privatæ felicitati, non in contemptum ac fastidium adducantur. Pacis, ut diximus, desideratissima nunc sunt tempora: quibus decus illud ingeniorum ad sui maturitatem potest succrescere, & iste splendor florentis Reipublicæ ipsis posteris conciliari. Quo omnis barbaries atque ignorantia longissime à nobis propelli possunt: ita quoque brevi eveniet, ut quantum nuper malorum crudelis Bellona induxerit, tantum, postliminio, bonorum, favens iterum Minerva redonet. Atque illa ipsa juventus, quæ Gradivo tunc Patri pæne assueverat; propediem, meliore sub Phæbo, cruentum mucronem deponat.

Vos igitur, *Charissimi Commilitiones*, sanctissimâ, hoc loco, oratione ac voce adhortor, ut omnes animi nervos in solidæ Sapientiæ studia intendatis, nullumque diem, sine ducta linea, per otium vobis elabi patiamini. Ad quam felicitatem temporum amænissima hæc pacis Halcyonia vos vere nunc vocant & invitant. Multa enim præclara ingenia, quæ hactenus, propter armorum strepitus, bellique tumultus, in occulto jacuerunt, in apertissima mox luce ac theatro se ostendent.

DIXI.

ORA-

ORATIO XLVIII.

De

PIETATE.

Habita à

FERDINANDO VAN CEULEN *Amstelod.*

Quemadmodum eruditio & ſapientiæ ſtudia, *Humaniſsimi Auditores*, per aurea Pacis tempora, maximè florent, clariſque virorum ingeniis ex æquo ſemper præmia perſolvuntur: ita imprimis ſummo tunc in faſtigio virtus & pietas haberi poſſunt. Sublato enim omni bellorum metu ac monſtris; quæ in cauſa eſſe ſolent, quo minus cum privatim, tum publicè divinæ religionis negotium probe ſanctèque ab hominibus exerceatur. Hæc tandem tempora, per divinam Dei Omnipotentis clementiam, conſecuti ſumus: qui atrocium bellorum calamitatem in hoc tam dulce ſerenum optatiſſimæ pacis benigne convertit. Ut nunc exercendæ pietati, excolendæque Virtuti ampliſſimum apud Batavos theatrum inveniamus. Modo iſte ſemel calor & flamma animos noſtros accenderit, quæ ad divinas haſce dotes, operumque ſanctiſſimas functiones requiritur. Quod quam ex ſuo jure beneficium merito ſit æſtimandum, utinam! nemo noſtrum turpiter ignorare poſſet. Clauſæ ſunt, per Dei gratiam, Jani portæ, &, centum vinctus poſt terga catenis, furere furorem ſuum Mars funeſtus deſiit: ut, ſine metu & periculis, vivere in ſuo cuique agello nunc liceat, & carpere tutos domi ſomnos, abſque interventu armati militis & prædonum, qui

nuper

nuper circum tecta & aures, velut ferreus à cælo demissus imber undique crepitabant. Sed præ omnibus quod dixi, thesauris, nihil sanctiore nomine est dignius, quam pulcherrimæ Relligionis ac Pietatis studium. Quo nunc tam liberè, & feliciter frui nobis permittitur, ut publica delubra, tanquam privatas ædes, & proprium nostrum fundum frequentare liceat. Longe supra nostros majores beati fortunatique, quorum vita inter sacrum & saxum posita, quando aut Religiosum illum codicem, aut aliquem cultus divini testem domi suæ tacite occultabant. O miseram tunc vitæ degendæ rationem! O tristem infelicis ævi conditionem! cum quibus temporibus si nostra hæc tempora placet componere, ô quam augusta, quam optata nos præ illis ducimus secula! qui sine ulla mali suspicione ad sacra Dei pulvinaria nos demittimus; qui in publico cætu & concionibus, ad verum & ligitimum sanctissimi Numinis cultum informamur. Qui clarissimos divini verbi ministros & præcones ante oculos habemus, à quorum ore, tanquam ab oraculis ipsis, ad cælestis veritatis normam & dogmata erudimur. Qui in scholis & Gymnasiis istos ingeniorum sortiti sumus nutricios, qui puro & puto Christianæ doctrinæ succo & lacte nos alunt. Qui, rumpantur ut ilia ipsi Diabolo, vel in medio improbissimorum hominum conspectu infallibilis sacræ scripturæ auctoritatem generose defendimus ac protegimus. O plusquam auream vitæ degendæ felicitatem! O profundam Opt: Max: Dei in hisce terris clementiam & bonitatem, quibus omnibus cum animi, tum corporis beneficiis nos in altissima, nunc pace Batavi perfruimur. De quâ beatitudine, rerumq; prosperitate, si porrò gratulari nobis detur, non ipsa nobis salus saluti magis esse potest. Omnia enim bona, quæ mens humana excogitare potest,

hæc in Fœderatas hasce Provincias, velut agmine facto, confluxerunt. ERUDITIO, PIETAS, quas geminas in Rep: columnas esse diximus, pari studio, pari labore ab optimis mortalium excoli videmus. Ad quæ accedunt omnes istæ virtutes, & actiones honestæ, quas & à naturâ & ab opere nostro assiduo, exspectamus. Utinam! res istæ tam secundæ, semper secundo æstu procedant! Et non iterum in proximo limite nobis Gorgones & monstra repullulent. Quæ hanc, quam nunc tam læti possidemus, divinæ pacis serenitatem tristi aliqua nube & caligine involvant.

In solo Opt: Max: in cælis Deo, tota salus nostra est reposita. In illo olim nos Batavi, quandò inprimis suis incunabilis libertas consisteret, omne præsidium opesque nostras collocavimus. In illo solo spes, decus, gloria omnium fortunarum & civium nostrorum secure acquiescit. Nullum terrâ marique Hostem, aut inimicum extimescentes, quandò sub hac arce ahenea, sub providentiæ hac umbrâ & clypeo latitabamus. Sic,

Securus atras inter & aspides Psal. 91.
Deges, ferarum & pignora Tigridum
Tutusque calcabis Dracones,
Et Libycæ catulos Leanæ.
Noctis per atræ cæca silentia
Non expavesces cæca pericula
Non luce grassantem timebis
Perniciem, nec aperta bella.
Interque strages mille cadaverum,
Dextrâ, sinistrâ, mille cadaverum
Periculorum exsors, propinquam
Incolumis fugies ruinam.

PRÆ-

PRECES.

Ad te solum igitur, æterne, clementissime Deus unum confugimus. Teque ex intimis animi præcordiis obnixè rogamus, ut pia nostra desideria in sinum paternæ tuæ charitatis, admittere ne dedigneris. Tu pacem, nobis quam cum Britannis nuper dedisti terrâ marique magis magisque confirma. Tu bella, quæ in finitimis geruntur, à fœderatis Provinciis, & ab Ecclesia, sanctissemâ tibi sponsâ, procul averte: Tu Remp. universam, ejusque proceres prudentissimos, sanctissimo tuo spiritu illustra: ut libertatis hanc naviculam illorum fides & curæ commissam, per decumanos malorum fluctus in tutum portum deducant. Tu ô misericors & omnipotens Deus, fac ut magnus Galliarum Rex, cui prosperrimi in Europa bellorum successus tandem ad honesta pacis fœdera permoveatur: ne novæ molitiones, & arma hostium in proximis Flandrorum & Brabantiæ finibus incrudescant. Unde ad vicinas nationes, ipsosque Batavos facile hæc flamma se diffunderet. Averte & averrunca hanc pestem & perniciem à tuo populo Opt: Max: in cœlis DEUS. nec patere divino tuo Numini sacram hanc vineam à funestis illis harpyis fœde pollui & eradicari. Ut pax illa, quam semel votis piorum in hisce terris tam benigne concessisti, firmis semper radicibus consistat. Tuô,

Gentis humanæ bone dux Sionem,
Quo soles vultu facilis tuere:
Pace florentes Solymæ beatæ
Protege turres.

Tu O magne potensque in cælis Deus hoc te post hæc omnia per genua tuæ misericordiæ, etiam atque etiam oramus: ut Illustrem Alcmariam, & in illâ Nobilissimos & Amplissimos Dominos Consules, Prudentissimos Dominos Senatores, DD: Scabinos

nos; DD. Scholarchas, Reverendos & Clarissimos DD. Pastores, Omniumque ordinum viros excellentes ac doctissimos diu sospites, diu superstites conserves. Et nostro huic Gymnasio, in quo ERUDITA PIETAS *studiorum unicus est finis multa largiri velis prospera, multa felicia. Per nominis tui O Christe Jesu, sanctissimam Majestatem: cui soli sit laus, honor, & gloria, in omnium temporum perpetuitatem, & secula seculorum.*

DIXI.

Tres antecedentes habitæ Alcmariæ cIc. IↃCLXVIII. Examine Vernali.

ORATIO XLIX.

De

REGIBUS, EORUMQUE INFELICITATE,

Habita à

PETRO vander MERCT.

Zelando.

REges & Principes *H: H: A: A*: clarissimorum instar siderum inter cives & subditos suos elucent. Omnique loco, ubi Majestas ipsorum dominatur, ob potentiam suam summa sunt in veneratione ac honore, nec minus apud Christianos, quam Barbaros ipsos, qui quamquam ab omni humanitate penè abhorruerint, tamen suos sibi Duces & imp: elegerunt. Quorum auspiciis

auspiciis benignè obtemperantes, illos Deorum loco, semper honorarunt. Christiani autem quanti sacram hanc potestatem semper fecerint, hoc ex vetere & præsente seculo abunde cognosci potest. Regia & Principum dignitas toto orbe est illustris ac conspicua. Ad cujus nominis splendorem regna & nationes universæ stupent ac contremiscunt. Deumque ipsum vix minore, in terris, cultu & officio multi prosequuntur, quàm sedentem in solio suo Regem & Principem subditi. Ad horum nutum & arbitria, omnia, quæ terrâ marique geruntur, se sponte sua componunt. Sive pacis, sive bellorum sunt tempora, cuncta ab hoc capite & origine dependent. Quicquid regia auctoritas vel levi verbo imperat, pro firmâ mox lege habendum, nec ab eâ voluntate temere recedendum, nisi culeo te insui, gravique supplicio affici exspectes. Igitur apud Regem, dixerunt veteres, *omnis cana est jucunda.* Nec descifcere ab hujus voluntate & præscriptis vel latum unguem licet, nisi totus ac æternum ab illo sis extinguendus. Illius ora & oculi pro indice habendi; illius manus pro lege & rubrica. quæ si infeliciter semel tractaveris.

Tadâ lucebis in illâ Iuv.
Quâ stantes ardent, & fixogutture fumant

Recte igitur illi faciunt, qui Manlianis hiscè dictaturis subjecti, ut à magnatum istorum fastu & fastigio vitæ sibi ducendum sumant exemplum. Sine illa enim servitute impossibile est, sub Regum oculis vitam securam traducere. Fateor ego *H: H: A: A:* illustrem hanc esse dignitatem, & prope divinam, quam in subditos suos exercent capita illa gentium & terrarum. Sed, curiose mihi respicienti ad illorum sceptra & coronas, nec id ignorare quisquam mortalium potest, quod eminens illa potestas etiam suas procellas & pe-

 ricula

ricula patiatur. Quoque major horum est fortuna, eò etiam gravioribus fatis & molestiis hæc afficitur: Quemadmodum altissimo in loco posita delubra atque tecta, quæ venti immanes imbresque perpetui majore semper motu impellunt ac concutiunt. Adeo ut multum ego dubitem, an regiam hanc coronam, si ante pedes meos esset posita, à subjectâ terrâ, in hunc capitis mei apicem attollere non erubescam. Ista paludamenta, istas trabeas, torques, ista quæ videtis, conchylia. istud à Tyro, à Sidone ostrum & murex, immane quantum! secum trahit omnium malorum agmen. Ut non frustra dixerit Poëta:

Aurea rumpunt tecta quietem
Vigilesque trahit purpura noctes
Minus in parvis fortuna furit,
Servat placidos obscura quies.
Præbet summos casa securos,
Somnus agrestium lenus virorum,
Non humiles domos fastidit,
Umbrosamque ripam
Non Zephyris agitata Tempe.

De hoc Regum & Principum statu *H: H: A: A:* hac horâ nos in publico loquemur. Quantoque sublimius, magisque arduum hoc quod sub incude est argumentum, eò attentiores acrioresque nos aures habituros, ingenuâ cum fide ac fiduciâ exspectamus. Ego in Majestatem regiam, quâ possum ingenii alacritate, stilum meum distringam. *Collega meus*, cui mox tradam lampada, scio, privatæ vitæ felicitatem paucis describet. donec prælio hoc probè inter nos confecto, ipse demum hujus certaminis prudens *Arbiter* suam utrique sententiam interponat.

Regum & Principum vita, meo judicio, quo est in terris illustrior, eo quoque est periculosior. Nam in alto semper positi, subditis suis pro scopo & ex-

& exemplo sunt, in quos omnium ora & sermones convertuntur; sive bene, sive male Remp: administrent. Neque pene quicquam ab illis in commune bonum suscipitur, quod non infirmi quinque pro sua sententiâ prave dijudicent ac reprehendant. Rarò in populum lege proposita, quam non iniqua mente illi inter pretantur. Quasi id solum apud animum suum Reges Principesque deliberent, quod propriam ipsorum Majestatem confirmet, subditorum vero sortem ac fortunas destruat, ac destituat. Nunquam in pace & tranquillitate humili plebecula, quando consilia & comitia in publico. Quæ semper est anxia, semper in metu & formidine, ne quid suæ rei & fortunis infeliciter decedat; Quæ, profectò, vivendi Ratio, quàm sit plena sollicitudinis, facile illi mecum sentient, qui Regum & Principum fata rectis animi oculis intuentur. Quorum in loco si positi essemus, tunc demum ex vero intelligeremus, quàm gravis illa sit sarcina, quàm humeris illorum pondus intolorabile, quod die noctuque summi isti Monarchæ, Reges & Principes, perferre, ac tolerare coguntur. Adeo ut nullum sit tempus; quo non de curis, de molestiis suis jure meritoque conqueri possunt. Bella quando cum finitimis periculosè suscipiunt, ut regno suo quietem pacemque parent, quantis calamitatibus tunc illi subjacent? perpetuò animis inquietis hinc inde ingentibus curis, regnique fortunâ in ancipiti loco positâ. Quando in singulas horas suspicio ac metus est de perfidiâ & insidiis suorum domi, de hostium prosperis successibus, & fortitudine foris. In exercitu demum & castris ne qui tumultus & conspirationes malitiosæ; aut cum hostibus pactiones & molitiones nefariæ ineantur. Pace vero ipsa nec tuti hi esse satis possunt, qui in sublimi illo solio sunt constituti. Nam in

ſingulos dies habent, quod ſibi metuant magni Principes à talibus ingeniis, quæ, quod belli tempore aſſequi per vim & arma non poterant, id partium ſtudio, in turbatâ Rep: facile obtineant. Quando hoc unum agunt, ut Magiſtratus ſuos, quorum Virtus ſæpe formidoloſa eſt, per tacitos latentesque dolos ſubvertant. Sparſis in populum rumoribus de ſuperiorum Tyrannide, maliſque artibus, quibus inferiores, ſubditos ſuos, ſolent ſubvertere. Ut jure dixerit Satyricus:

Oſſa vides Regum vacuis exucta medullis. Juv.

Et de illis Græci Ὃν πάντες φοβοῦνται, πάντας φοβεῖται. Καὶ τοῖς βασιλεῦσιν ἧττον ἔξεστιν ἀδικεῖν ἢ τοῖς ἰδιώταις. Soc. Quid eſt vos O Reges Principeſque viri, quod tanto ſtudio, quod tantis ſudoribus ad illuſtres hos titulos contenditis? infinitæ ſunt curæ & moleſtiæ, quæ vos circumſtant. Quid pro dubio hoc ſtatu rerum ac lubrico vitæ genere, tam inſatiabili cupiditate arma ſæpe ſuſcipitis? En fulmina & ignes, cum totidem tempeſtatibus periculoſis, qua fortunæ veſtræ verſant apicem. Quid iſtos à naturâ & fato generoſos ſpiritus toties pravâ ambitione corrumpitis? in tacito & modeſto vitæ ordine multo jucundiorem vos vitã degere poteſtis. Sæpe à populo & civibus vobis ſubjectis iſtam habituri injuriam, quâ vix apertus hoſtis, omnibus ſuis machinis ac tormentis, crudeliter in vos ſævire ſuſtineat. Et hanc tam duram, tamque difficilem provinciam vos illuſtria inter mortales capita, tanta per pericula & diſcrimina rerum, ſollicite petitis? veriſſime de illis Tiberius:

Tacit. *Bonus & ſalutaris Princeps Senatui ſervire debet, & univerſis civibus, etiam ſingulis.*

Scilicet, ut obſequatur bonis conſiliariis; ut in omnium ſalute procurandâ, in Juſtitiâ adminiſtrandâ,

nistrandâ, in arcendâ à singulis injuriâ dies noctesque impendat, quæ si non exactè & ad limam præstiterit; non pro bono ac legitimo Principe, sed pro improbo ac infelici Tyranno est existimandus. O Regum Principumque curas infinitas! O calamitates inexhaustas! quibus illi potentes assiduè premuntur. Quando alius in alto otio & tranquillitate vitam agit; quando securos somnos capit, sibi ipsi vivit, vos, Reges Principesque, inter flammam & ignes versamini. Vos omnium ictibus & injuriis expositi, inter Serpentes & aspides, inter corvos illos aulicos & purpuratorum perfidiam, ætatem sæpe agitis. Vita rerumque dubii *incedistis per ignes suppositos cineri doloso.* Horat. Hæ remunerationes splendidæ, hæc illa sanguinis vestri merces; Hæc trophæa & monumenta, quæ apud posteros relinquitis. *Admittitis in animum totius Reip. curam, populique fata suscipitis, & , obliti quodammodo vestrum ipsorum gentibus vivitis.* Tac. Quæ verò præmia ex pari, quæ vobis gratiæ, ô Sanctissima in terris capita, pro tantâ vestrâ fide & labore persolvuntur? vigiliæ vestræ, quas pro populi salute suscipitis, nunquam metu & sollicitudine carent. Actiones virtuum vestrarum, quibus toti dies & noctes aula perstrepit, nunquam insidiatoribus, nunquam gravi periculo & calamitatibus destituuntur. Semper aliquid timendum ab inferioribus, quibus nec vitæ vestræ honestas, nec scepturi dignitas placet. Omni in loco latet scorpius, semperque à tergo Nemesis, quam extimescas. Ut merito dixerit Pöeta : Juven.

Custodite animas, & nulli credite mensæ:
Livida materno fervent adipata veneno.
atque eme quod Mitridates
Composuit si vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare rosas.

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumas
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Seneca. *O quantum bonum est obstare nulli,*
Carpere securas dapes humi jacentem
Scelera non intrant casam,
Tutusque mensa capitur angusta cibus
Venenum ex auro bibitur.

Horret animus meminisse HH: AA: tot fata & funera maximorum Regum. Qui quando in felicissimo rerum successu erant positi, inter tot plausus & gratulationes, suis Hostibus, ipsique fortunæ, quando libet jocari, sæpe ludibrium fuerunt. Quod & veteris & nostri ævi exempla abunde testantur. *Unus Pellæo Juveni orbis non sufficiebat, alii quærendi erant. Alexander orbi magnus; Alexandro orbis angustus erat.* Age, expendamus in trutinâ *Hannibalem: quot libras in duce summo invenies?* Omitto, hoc loco, *Cæsarem*, quem repentina vis oppressit. Omitto *Pompejum, Crassum, Marium:* quos omnes ad miserabilem vitæ exitum fortuna reservavit. Non dico de *Mutio*, de *Regulo*, de *Polycrate*, de *Fabricio*, de *Socrate*, de *Catone*, & de ipso denique *Demosthene* & *Cicerone.*

Quos felices Cynthia vidit, Seneca.
Vidit miseros abitura dies.
Cespes Tyrio mollior ostro.
Solet impavidos ducere somnos.

Et, ut alter Poeta ait:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci Juven.
Descendunt Reges, & siccâ morte Tyranni.

Quis dicat nostro quoque hoc seculo vere felices ac fortunatos *Philippos, Ferdinandos, Ludovicos, Carolos,* magnos istos Hispaniarum, Galliarum, Britannarum Reges? quos omnes maximi motus & me-

& metus bellorum acerbiſſimi, ad horrorem formidinemque audientium, ſummis nuper periculis involverunt. *Quorum operum & factorum illuſtrium memoria ſera nondum veſpera vidit. Nos illorum coronis & ſceptris omnia fauſta omnia fauſta omnia felicia apprecamur. Diuque nos Batavi Regiæ illorum Majeſtati ac virtutibus, modo pacem cum illis ſecuram & ſempiternam habere poſſimus, diu inquam, nos Batavi innexi inſertique eſſe deſideramus.*

DIXI.

ORATIO L.

De
LAUDE VITÆ PRIVATÆ.

Habita à

JOANNE BAERT.

Alcmariano.

FAteor ego *H*: *H*: *A*! *A*: Regum Principumque fortunam multis calamitatibus eſſe ſubjectam. Eorumque conditionem tam eſſe miſeram, ut, ad illam deplorandam, nunquam lachrymarum ſit ſatis. Quod tu, *mi Collega*, non ſine juſtâ querelâ nobis ad oculos propoſuiſti. Tecum in eadem prorſus ſum ſententiâ. Qui Regum & Principum potentiam, non illa dignor veneratione, qua plurimi homines illam uſque in cælum & ſidera extollunt. Ipſa enim illa purpura, quæ in tantam admirationem & dementiam quemcumque è vulgo rapit, infinitis doloribus redundat.

redundat ad læſam ſubditorum ſalutem! ego igitur quam poſſum longiſſime, doloſas iſtas Syrtes & Charybdes ſummæ dignitatis defugio; malimque in privato humilique ſtatu ætatem agere, quam tot telis undique infeſtis ac periculoſis caput meum objectare. Sic enim eveniet, ut triſta illa fulmina faceſque ſanguineas, quæ ſumma iſta quaſi papaverum capita percutiunt, ſecurus declinem multoque mihi tutior vita, ſub modeſto lare degere, quàm in turbido illo theatro, tot rerum inter ſe periculoſè remeantium. Verum eſt quod Poëta dixit:

Auream quiſquis mediocritatem
Horat. *Diligit, tutus caret obſoleti*
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ:

Et ut apud Plutarchum Phocion ait:

Ζῆν κρεῖττόν ἐστιν ἐπὶ στιβάδος κατακείμενον, καὶ θαῤῥεῖν ἢ ταράττεσθαι χρυσῆν ἔχοντα κλίνην.

Qui enim extra turbam & turbines vivit publicæ inquietudinis, hic vere felix & beatus eſt, ſuâ ſorte & fortuna ſupra maximorum Regum viciſſitudines immane quantum antecellens! cujus ego hominis vitam, juxta immortalium animarum felicitatem, jure meritoque colloco. Cum reliqui iſti, qui in excelſo agunt, ſemper ſuos morſus ac vexationes in finitarum calamitatum perſentiſcant. Extra quæ mala & moleſtias ille prorſus agit; qui ſuo ſale & ſole contentus, ſatis magnum ſibi regnum in rure paterno comparavit. Quantum enim à natura, benigna matre, datum eſt beneficium, non alienæ ſervituti obſtrictum eſſe; non dormire, non vigilare ad alienum arbitrium! ſed, ſuo more & modo, ſibi ipſi liberrimam agendi volendique poteſtatem face-

re / illa ad manus ſumere, quæ intimum animum reficiunt; quæ plurima lætitia & gaudio nos perfundunt. ad nulla negotia cogi ac impelli, à quibus noſtra ratio & ingenium generoſe abhorret.

Latius regnes avidum domando Horat.
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus jungas: & uterque Pœnus
Serviat uni.

Illi verò quàm omnibus numeris ſunt infelices, qui nullum pene diem ſibi vivunt ac vacant. Qui cum Siſypbo, cum Ixione, cum Perithoo æternæ ſervitutis jugo damnati, nullum unquam liberum vitæ ſpiritum traducunt. Quales ego omnes iſtos purpuratos eſſe judico, quos hactenus in theatrum introduximus. Quorum vitam ſi conferamus cum iſtis hominibus, qui in tacito agunt, me hercule! ter & amplius illi miſeri ac calamitoſi ſunt habendi. Ille verò qui, aut in civium numero honeſte vivit, aut in agris ſuis ruſticam operam exercet; aut maria frequentat; aut aliud domi ſuæ negotium in manibus habet, cæteris omnibus, quibus ſceptrum & corona fatis evenerunt, longè eſt præponendus. Agite *H*: *H*: *A*: *A*: utramque hanc fortunam rectis oculis mecum intueamini. &, ut cæteros omnes hoc loco, omittam, quibus terra marique libera eſt agendi voluntas, velim hanc noſtram, in quâ nati ſumus, vitæ conditionem, exacte expendatis. Non putem ego tam triſti ſidere aliquem ex nobis eſſe natum, qui non malit cum Muſis ſuis in togâ vitam inſtituere tranquillam; & cum ſummis clariſſimiſque ingeniis occupari, quam cum magnis Regibus, quos tanta in dies tempeſtas circumſtat, ſuum otium & ſapientiæ ſtudia permutare. Quando enim illi inter arma cum externa, tum domeſtica verſantur;

nos

os in tacito Minervæ ſinu, aut abdita naturæ opera ſpeculamur, aut in divinarum rerum cogitatione mentem defixam habemus. Quando illi totius regni curam; tot urbium &, civitatum adminiſtrationem periculoſe ſuſcipiunt; nos extra metum & formidinem alternantis fortunæ poſiti, *quid Seres quid Thraces agant* ſecuri ſumus. Quando, inquam, magni & humani iſti Joves, Reges & Principes dico, tot inſidiis ſuorum hoſtium circumveniuntur, tot ſicas & venena expaveſcunt; nos extra invidiam beati, tum noſtris quiſque negotiis animique voluptatibus involvimur.

Neſcitis cupidi arcium, Seneca
Regnum quo jaceat loco?
Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color.
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.

In exemplum, omiſſo *Xerxe, Cræſo, Hannibale* unius nobis *Sejanus* ſatis eſt, qui
Juvenal. *Facies toto orbe ſecundâ,*
Mox unco ducitur ſpectandus:
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus. Scilicet,
Unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ,
Exitus ergo quis eſt O gloria?

Rideo ego illorum hominum temeritatem, qui, neſcio, quo faſtu & ſuperbia afflati, non niſi ad ſummas opes & dignitates graſſantur. Qui per fas & nefas Remp: invadunt; & tunc demum felices qui ſe eſſe deprædicant, quando aut imperii ſui limites late extenderint, aut ingentes pecuniarum acervos avare coacervaverint: quo poſtea felici auſpicio ad ſummæ Majeſtatis gloriam perveniant. Longe melius eſt cum Philoſophis,

cum

cum viris doctis auream vitæ mediocritatem diligere, *vivere coëmptos undique nobiles interlibros Panati, Socrati cam & domum*, Horat. veterisque sapientiæ factum esse ministrum, atque alumnum, quâm magnâ invidiâ, & dulci regnantium fortunâ esse ebrium. Nam verissimum est:

Sæpius ventis agitatur ingens Horat.
Pinus & celsæ graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulmina montes..
Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo: neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.

Rex est, qui metuit nihil,
Hoc regnum sibi quisque dat. Senec
Stet, quicunque volet, potens
Aulæ culmine lubrico.
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

Quod cum perspectum sibi haberent divinissimi illi homines, *Plato, Socrates, Diogenes*, magno animo & constantiâ Regios honores & sarcinas, tanqoam oneri futuras, repudiarunt. Optimas vitæ facultates in privatâ modestiâ & tunicatâ domi quiete collocantes. Cujus etiam indolis fuerunt, apud Romanos *Fabii Cunninnati*,

& nomina pauperis avi,
Fabricii Curiique graves:

Apud Græcos *Aristides, Epaminondas, Solones, Phociones*: Quorum una salus & felicitas in animi virtute & honestâ paupertate consistebat. In quos magnos & inclytos viros non cadebat puerilibus crepundiis consentanea ambitio

ambitio; Sed sola, illi mentis inflammati eruditâ sapientiâ, omnes suos affectus intra r: ctæ rationis gyrum determinarunt. In quorum laudes exclamare mihi licet.

Lucanus. *O vitæ tuta facultas*
Pauperis, angustique lares: ô munera nondum
Intellecta Deum.

Seneca. *Secundis rebus*
Quisquis exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetens,
Hunc illa dira fortunæ comes
Subit libido.
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus
Et se coërcent modica? contra divites
Regno fulti, plura quam fas est, petunt?
sollicito bibant
Auro superbi, quam juvat nuda manu
Captasse fontem! celerius somnus premit.
Secura duro membra versantur toro.

Aut, cum Isocrate potius dicam: Ἐμοὶ μὲν ἀσφαλέστερος βίος εἶναι δοκεῖ καὶ βελτίων, ὁ τῶν ἰδιοτευόντων, ἢ τῶν τυραννευόντων.

Nihil ad me & sapientem faciunt stultitia tua, O Cretice; nihil conchylia ista ac Endromedes, vestræque Phaleræ & trabeæ molles Græculi; nihil apparatus isti Persici; nihil Caricæ Lydorum, mollities Iõnum; Sacerdotum illa redinucula, tiaræ, flammea, peristromata. Totiusque ille mollium Cynædorum ordo calamistratus. Contemno bona ista, quibus supervacuus labor inutilem æstimationem pretiumque facit. In continentiâ, in modestiâ, in virtutibus antiqui ævi, omne meum decus, divitias, honores repono.

In servili penulâ, in abollâ cubiculari, aut in griseâ illa veste Rudolphi Imp: plus ornamenti pono, quam in Alexandrinis tapetiis, quam in distinctis

ſtinctis marmore pavimentis, quam in emblematibus vermiculatis. Gemmæ enim, & id genus lapillorum, quibus pretium impoſuit mulierum vanitas, viris uſui non eſſe dixit *Alexander Severus*; *imperium in virtute conſiſtere non in decore & elegantiis fæminarum.* Hæc indigna ſunt magno Principe ornamenta: quæ negotiator aliquis aut mango uſurpet. Quæ niſi vaniores illi virorum è mimarum & ſcortorum complexu magno ſemper æſtimarunt. Hæc illa Regum Principumque ſpolia & exuviæ. Hæc *Cleopatra* aut *Meſſalina*, mulierosæ iſtius manus, nugamenta ac illecebræ. Quibus in ſolo corporis habitu externo ſuæ voluptates atque otia reponebantur. Multo melius apud mediocris fortunæ homines vita inſtituitur. Ubi non Hymettias trabes craſſum aurum abſcondit; non domus, ſectis marmoribus, cruſtata eniteſcit; non ſegnis Achates, non purpureus lapis tota in aulâ effuſus calcatur. Non hebenus marioticavaſtos poſtes operit.

Lucan. *nec crebro maculas diſtincta ſmaragdo*
Fulget gemma toris, & Jaſpide fulva ſupellex
Strata micant. Tyrio quorum pars maxima ſucco
Cocta diu, vires non uno duxit, aheno.

Ubi cuncta ad naturæ ſimplicem uſum ac fruitionem ſunt facta. Majorque eſt honor & dignitas, ſuo ſordido tuguriolo fortuitum amare ceſpitem, quam pretioſis orbibus parietes habere diſtinctos. Seneca. *Ubi non refert quantum in arca, quantum in horreis jaceat. Quam magna multaque paropſide quis cænet. Vbi, an ſplendeat toga, an ſordeat perinde eſt. Et frugalitatis indicium habetur, auro argentoque caruiſſe, juvatque inter ſidera vagantem divitum pavimenta videre.* Hæc talis vitæ conditio

H: H: A: A: præ Regum Principumque magnifico

fico luxu & apparatu sola mihi placet. Nec facile desiderem modestam meam quietem, quam ex Musarum convictu ac commercio quotidie percipio, ipso Tago & Pactolo permutare.

DIXI.

ORATIO. LI.

ARBITRI,

INTER REGES & PRIVATOS.

Sententiam suam dicentis.

Habita à

FERDINANDO VAN KEULEN.

Amstelod:

REges, & Principes, *Mei Collegæ*, vos de scholæ pulvere & pulpito, quod miror, huc in theatrum adducere ausi estis. Quasi hujus loci sit, circa summa capita rerumque fastigia occupari. Si de vestro foro, de literis & sapientia dixissetis, multò meliorem, fortasse, gratiam apud Amplissimos Auditores inivissetis. Quid, quæso, ad summos illos apices tangendos potissimum vos impellit? an ignoratis periculosum esse in Reip: arcana se immittere? & de istis in hoc Minerveo differere, quæ minime ad hanc ferulam faciunt? extra orbitam & terminos itis. Vos majoribus pulpitis ac rostris tale argumentum relinquite: ubi politicam hanc incudem versant homines eruditi & sapientes. Quam facile fieret, ut, citra canonem vestra artis & officii in alienam messem

messem falcem injiceretis. Vereor, ne meritò sitis reprehendendi, ac in gravem alicujus Aristarchi censuram incurreritis. Ego vobis auctor esse velim, ut à tam difficili ac arduâ materia pertractanda linguam & calamum abstineretis. Et, ut alias prudenter fecistis, intra vestræ Minervæ pomeria maneretis. Non tamen omnio animos despondere vos velim, charissimi Commilitones, & hæc à me sic seriò dicta esse putetis, tanquam læsæ Majestatis rei, maximam in vos, pœnam concitaveritis. Non gravi, spero, vos supplicio mactandos, quod semel de alieno negotio tam speciose verba feceritis. Scio pacis & bellorum materiæ dudum vos saturos, ac de illis hactenus in publico copiosè vos dixisse.

Pax est Herculea manu Seneca.
Auroram inter & Hesperum.
Et qua sol medium tenens
Umbras corporibus negat.

Semper eandem crambem recoquere, quid est aliud, quam miseros magistros toties occidere? nunc, Deo Opt: Max: sit gratia, postquam in jucundissimæ tranquillitatis gremium recepti estis, voluistis etiam Regum & Principum fortunam tenuiter delibare, summosque illos apices, tanquam lusoriis ingenii armis, adoriri. Permittent, non dubito hunc vobis ludum H:H:A:A: nunc ludere, animique recreandi causâ, in hoc tam nobile argumentum paucis vos immittere, quod ita obiter sub manu tractasse, non ita grave, scio, auribus alicujus tædium aut vulnus faciet. Sed quando vos, *Mei Commilitones*, in hac arenâ novi Athletæ nondum satis inter vos bene de proposita quæstione convenitis, ego me *arbitrum* vestræ sententiæ interponens, quasi caduciatorem agam, qui hinc inde natas invicem lites sapienter, spero, componam.

Regium

egium in terris imperium Deo hominibusà multis seculis sacrum sanctumque semper se judico. Nec non summo in honore & existimatione habendum, quando fideliter & feliciter ad populi tutelam ac conservationem administratur, & in nullum alium finem suscipitur, quam ut terra marique pax & tranquillitas privatis in Rep: partes teneant. Sublatis enim de medio juris & æqui defensoribus, quæ facies & fortuna rerum? quis status & ordo civium ac subditorum haberetur? *Natura ipsa commenta est Regem, quod & ex ipsis animalibus licet cognoscere, & ex apibus quarum Regi amplissimum est cubile, medioque & tutissimo loco. Mutis quoque gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus. Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Idem in avibus, in ovibus & in alio genere congregum animantium.* Quod etiam à condito orbe sacræ literæ testantur. Ubi Judæi Regem poscentes, sic audiuntur: *Constitue nobis Regem.* Sic & in *Italia* primi illi Romani, in variis voluntatibus, Regem tamen omnes volebant. Quare & Græci olim: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω, Nam ubi gentium & locorum in principatu summum est imperium, quis neget optime illic justitiam exerceri? ubi nec noxæ nec corruptelæ, & Rex ipse supra metum & gratiam est. Tranquillitatem & concordiam coli? metus vel auctoritas principis hoc facit. Quod egregiè Tacitus: *Suspectum*, inquit, *senatus populique imperium, ob certamina potentium, & avaritiam magistratuum.* Nec ullus in Rep: status magis unquam diurnare imperia fecit, quam ipsi principatus. Quod in illo *Assyriorum* liquet, qui mille & ducentos annos stetit; in *Persarum* dominatu, qui, etsi graviter ab Heraclio Imp: contusi, adhuc vivunt & regnant.

regnant. In *Ægyptiorum* & *Sinarum*, qui in serie continua, Reges ducentos quadraginta tres annumerant. *Sparta* verò, ubi alia imperii forma vix quingentos annos libertatem tenuit. *Athenæ* sæpe mutarunt. *Roma* paulo plus quadringentos annos liberam Remp: servavit. Multa in utramque partem sunt argumenta, quibus Regum & Regnorum diuturnior felicitas asseritur; Sed non nostra est, ut ante inCollegas meos dixi, provincia, hanc tam amplam & difficilem materiam, hoc loco, pertractare. Disputent de illo Politici, qui sive electionem, sive successionem in optimo imperii genere præponant; Sive Optimatum studia & statum defendant, nos in medio hæc posita relinquimus, huic rei tantum intenti, ut & Regum & privatorum fortunam suis ex æquo coloribus hic describamus.

Summus ille Principatus meo judicio *H*: *H*: *A*: *A*: Deum Opt: Max: auctorem & pro tectorem habet, ad quem siquis jure & ligitimo tramite perv enerit, merito felicem illum esse existimo. Regum enim optimorum hæcuna in animo est cogitatio divina ut, obliti quodammodo sui, universæ Reip: curam suscipiant, & ex omnibus mortalibus sunt electi, *qui Deorum*, inquit Seneca, *vice in terris funguntur*, illustre est exemplum *Hadriani Imp*: Qui toties auditus est dicere; *ita se Remp: gesturum, ut sciret rem populi esse non suam.* Et *Vespasiani*, qui etiam æger in publicis administrandis negotiis, diligentiam suam quàm maximam ostendit. Revocantibus illum amicis ut sibi parceret, *Imperatorem* inquit, *stantem mori oportet.* Neque illo inferior *Rudolphus Imp: qui per Deum*, inquit, *finite homines ad me venire; non enim ideo ad imperium sum vocatus, ut in arcula includar.* Quare olim *Aristoteles* dixit:

ὅτι πρώτη καὶ θειοτάτη ἡ βασιλεία.

Primus

imus & divinissimus Principatus. & Plato: *βασιλεὺς ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις, Rex Deus quisdam humanus.* Regesque Homeri sententia vocatos. *διοτρεφέας βασιλῆας, à Jove educatos, ποιμένας λαῶν, pastores populorum.* Quid est, *mi Collega*, quod divinissimum illud munus, quo Reges Principesque imperant, temere accuses? verum & verus ut video dictum est: *Omnes bonos Principes in uno annulo posse perscribi.* Quid vero hoc ad te? illorum vestigiis insistere debes, qui in illa dignitate eximia, eximias quoque virtutes per omnem suam vitam instituerunt. *Rex omnia mortalia infra se habet, supra se Deum: cujus benignitati referenda est gratia.* Simul illud reputes, *arduum & subjectum fortunæ regendi cuncta onus. quantoque plura adeptus tantò se magis in lubrico. Cogitandum illi, ne ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera obliterentur. Detque populo exemplum Religionibus, ac divino jure illum divinaciendo. Principis enim est detestari profanos, qui Dei imaginem mortalibus materiis in species hominum effingunt, & venerari illius summum & Æternum neque mutabile, neque interiturum Numen.* Nihil, hoc loco, de Tyrannis, aut malis Regibus Principibusque porrò attexam, de quorum vitâ & vitiis aliàs sermo nobis in publico fuit: Tempus, est ut vela nunc colligam, ac de portu cogitem. Ad te me confero, mi collega qui privatam vitam', nescio, qua auctoritate & exemplis defenderis.

Si verò alicui in privato vitam agere contingat, & in eâ inveniat, quod sibi solatium ac delectationem præstet, non est, profectò, quod illam fortunam, etsi in obscuro ac humili sit posita, infra Regiam Majestatem collocem. Quemcumque enim proprii sui lares & penates jucundo satis animi

animi sensu afficiunt, & sibi ipsis in parvo regno maximum Principatum imaginantur, quid ni summam vitæ felicitatem meritò illis attribuam? equidem vetus est verbum: *Aut Regem, aut fatuum nasci oportere.* Nam hic Majestatem ipsam in solio possidet. Ille hanc animo & imagini suæ mentis subjicit. Uterque beati sunt, quibus ista vivendi ratio divinitus est data.

Rex est, qui posuit metus, Seneca.
Et diri mala pectoris.
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Non quicquid fodit occidens,
Aut undâ Tagus aurea
Claro devehit alveo,
Non quicquid Libycis terit
Fervens area messibus.
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis;
Non Eurus rapiens mare,
Ventosi tumor Adriæ
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs.
Qui tuto positus loco
Infra se videt omnia
Occurritque suo libens fato
Nec queritur mori.

Talis *Diogenes* olim *Cynicus*, talis *Abdolonymus*, tales *Curii, Fabricii*, & plurimi ab aureo illo ævo. Qui æque magnam in dolio suo; aut exiguo rure paterno voluptatem perceperunt, quam maximi terrarum Principes in universæ & Asiæ & Africæ possessione; qui suæ modestiæ humilisque fortunæ sedem ac domicilium non ipso potentissimorum Regum solio & sceptris unquam permutare desiderarunt. Fugere tamen oblatos sibi honores, qui, nisi

nisi stipes sit aut truncus, nulli ego in laudem & decus adscripserim. Ita neque ambitione nimia, nec per largitiones & corruptelas, summæ istæ dignitates sunt invadendæ. Sed, si ultro, si sponte ad te venerint augustæ istæ appellationes, cur non, ipso naturæ jure, & communi populorum suffragio, libenter hasce mihi assumam? homo autem, qui nulla gloriæ cupiditate ducitur; quem nulla nominis stimulat immortalitas, hic inerti otio sepultis, ipsisque mortuis non immeritò est annumerandus. *Magnæ*, fateor *divitiæ sunt lege naturæ composita paupertas. Et contra naturam est, torquere corpus suum, & faciles odisse munditias. animusque magnus tam in servum potest cadere, quam in equitem Romanum. Subsilire in cælum ex angulo licet. Non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, sapiens pedem referet. Sapiens ad omnem incursum munitus est.* Omnes illam in Philosopho felicitatem deprædicamus. Sed quid nocebit etiam manus istas, quæ sapientibus sunt datæ ad clavum & gubernacula admittere? meo judicio, bonæ indolis rectique ingenii est judicium, humo se tollere, & viris Principibus non tantum placuisse, sed unà cum illis imperii fræna & habenas, in populo regendo capessere. Ipsa demum Musarum studia, quæ colimus, ad ardua & sublimia quæque nos vocant ac invitant. Nec patiuntur in occulto & abdito aliquem latere, cui propositum est, non penitus vitam ingloriam, instar brutorum, in squallore ac tenebris traducere. Qui verò in sordido tanquam in latebris & cavernis abjectè habitant, illi nunquam virtutem factis extendere; nunquam salutarem Reip: operam navare possunt. *Præter laudem nullius avari.* Semper Miltiadæ trophæo excitari debemus; semper aliquo honesto negotio esse intenti, ut gloriam nostri nominis quam maximè

ximè longam efficiamus. Et, ut Sol in Aurora tenuior assurgit & inclarescit, sic ex virtute ex meritis fama cum ipso ævo est augenda. *Fax mentis honestæ Gloria. Si quid enim rectè feceris incorruptum facti testem habeas* Tac: *fruarisque fama tui quæ una brevitatem vitæ posteritatis memoriâ consolatur: quæque efficit ut absentes adsimus, mortui vivamus.* Cic. *Nunquam excelsi ingenii virū humilia delectant.* Sen. Agite, *Charissimi Commilitones*, in primâ vestra juventute cum *Themistocle* futuræ sapientiæ monumenta ostendite & *Alexandrum* imitemini, qui, ad huc ætate nondum provecta & matura, totam jam sibi Macedoniam in spe habebat. Cum nulla sit tanta animi humilitas, quæ dulcedine gloriæ non assidue tangatur. *Multoque sit magnificentius virtute acquirere parva regna, quam ex Regum Regibus nasci* Humile namque vulgus, plebejæ istæ animæ, nihil horum generose capiunt, aut intelligunt, quæ supra se, quæ infra se turpiter ignorant. *vulgus*, inquam, *incertum, cupidum voluptatum, & ad deteriora promptum; illud seditiosum est, & ægris semper oculis alienam felicitatem intuetur.* Dixi H: H: A: A: de Regum & privatorum fortunis, & unà, quid cuique nostrum in hoc vitæ decursu propositum esse deceat. Honores & dignitatem nostri nominis, qua posset fieri solertia, semper intendere debemus. Et cum Venusino Poëta exclamaro:

Odi profanum vulgus & arceo.

PRECATIO.

CÆterum faxit Opt: Max: in cælo Deus! ut tales in Rep: Proceres ac Atlantes semprr habeamus, quales olim optimi Regum Principesque in vetere & nostro ævo exstiterunt. Quorum facta & virtutes nos & posteri nostri perpetuo imitemur. Ut ab

illis

illis vitæ ducendæ probitatem; ut justitiam, ut clementiam, constantiam, fortitudinem perdiscamus; ab illis modestiam in sensu, in cultu corporis honestatem, in sermone & verbis humanitatem nobis singularem comparemus. Ad illorum, inquam, exemplum religiosam pietatem, fidem Amorem in immortalem & Æternum Deum testemur, quæ una sacra illa est anchora ad quam Christiani omnes, tanquam ad unum nostræ salutis asylum, omnia nostra studia dirigere debemus. Semperque impiæ superstitioni hostes & inimici bonæ conscientiæ clypeo ac umbone nos fortiter protegamus. Ita fiet, ut illustris Batavorum populus, cujus pridem majestas post feliciter cum hostibus confecta bella, ipsis siderum spatiis est determinata; sua quoque virtutis sempiternam memoriam, cum ipsa seculorum immortalite conjungat Et inclyta Alcmaria, quæ utraque sua Pallade, Togata & Armata universo terrarum orbi praclare hactenus præluxit, semper latior semper augustior, ex majorum suorum cineribus, resurgat!

DIXI.

Hæ tres antecedentes Orationes sunt habitæ Alcmariæ, CIↃ.IↃCLXVIII. *Examine Autumnali. XIX. Septembris.*

ORATIO LII.

De AFFECTIBUS MALIS IN HOMINE,

Habita à

JOHANNE BAART.

Almeer.

QUando H: H: A: A: mortalium ego animos & ingenia tacitus mecum examino, video, quam variis affectibus, quam diverso animorum impetu in quemcunque illi habitum inclinent: Hinc vitiorum turpitudine, inde virtutum, blando amore partes suas artesque h.bentibus: agente rerum natura pro suo ductu & arbitrio, in singulis humani ingenii moribus ac seminibus apertum sui theatrum. Adeo in diversos cupiditatum impetus inclinante hac vita nostræ voluntate; eodem sæpè momento vix sibi constante Humani propositi levitate ac inconstantia ut vere dixerit Poëta:

Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?

Felices illi, qui vera in Opt: Max: Deum relligione sinceræ pietatis propensi rebus divinis operam navant quotidie, & hoc animorum astro incitentur & auspiciis, ut nihil aliud desiderent, quam per veram virtutis callem recto semper tramite incedere. Infelices, terque quaterque infelices illos ego judico, qui fatali vitiorum scopulo adhærescentes, nihil sibi proponunt, quam ad incertam levitatis auram, ad scelera & flagitia, ad

vitæ

vita morumque turpitudinem summo cum studio industriaque, proh pudor! advigilare. Quorum hominum miseriam potissimum oriundam puto ex ipsâ naturæ ac indolis pravitate, quæ vim maximam habet, in depravandis humani ingenii consiliis. Unde ad omne malum & deteriora, ab ipsis natalibus nostris, propendemus. Quod si à teneris, ut solet, pessima accedat *educatio* & societas improba, deserta recti & honesti regione, ilicet, periimus, actum est. Paulatim proserpente in intimas animorum medullas, per pravam conversationem, pestifero hoc naturæ veneno. Mala quoque præceptorum *Institutio*, & parum circumspecti mores, ad tenella ista formanda ingenia, plurimum conducunt, ad improbam naturæ voluntatem in plures propagandam: Quibus malis quando se conjungit & conglutinat nimia parentum Indulgentia, & cæcus amor in liberos suos, (subtracta ludimagistris sanctâ suâ manu & ferula suppliciorum) quis unquam à tali fonte ac initio successus expectet legitimos? Improbitas per se ipsam lædit & sine præceptore facile addiscitur. Ut non sit necesse oleum huic caminæ addere, cum non semper in potestate sit boni ac sapientis Ephori, ex omni ligno Mercurium facere, ita inclinante quorundam natura in pravum, ut frangi citius quam corrigi possit. Omnem operam perdente vel optimo in opere suo artifice. Unde fit, quod filios sæpe Heroum habeamus noxios, & tot Arcadica rudere circum nos pecora audiamus: Quos crasso Bœotum sub aëre natos jurares. Quicquid allaborat prudentia senilis, pietas divina, virtus innata atque insita, frustra est, nihil à bono exemplo trahitur:

Ingenii sequitur semina quisque sui.

Quibus perpetuo claudi scholas & gymnasia æternæ essent feriæ. Ita in pravum, ut dixi, inclinan-

te proh dolor! naturâ, quæ ad multa quoque perniciosa primam hanc ætatem seducere solet.

Hæc cum experiundo Præceptor noster ac multâ annorum consuetudine didicerit, & inprimis in illa cognoscenda ingeniorum virtute & vitiis apprime sit versatus, voluit, ut nos Duo, de hac affectuum varietate paucis, hoc loco, differeremus. Quod sane hac ætate utile nobis erit cognoscere, nec eruditis auribus alienum, aut injucundum, sp ro argumentum. Ego de *pessimorum hominum indolo materiam primus aggrediar.* Collega meus meliore auspicio alteram sortitus partem, dicturus de optima hominum indole ac temperie: Vos A: D: A: vaporatas attentasque, quæso, mihi aures præbete.

Valde dolendum est, quod ita infeliciter cum humanis ingeniis egerit natura, multos ita improba morum ac vitæ consuetudine nasci voluerit, ut ad omnes ingenuas liberasque animi functiones prorsus sint inepti & male idonii. Ipsorúm pravis affectibus nihil pene desiderantibus, quam a virtutum officiis & rectæ rationis dictamine penitus aberrare. qui etsi videant meliora, tamen pejora eligunt ac sequuntur: post habitâ omnibona occasione in majus & melius emergendi; contempta etiam bonorum præceptorum institutione, natalibus suis, quæ sæpe â Druso & ab ipsis sunt Æmilianis, in maximas tenebras & infamiam adductis. De quibus vere Poëta noster:

Frangendâ miseram funestat imagine gentem.

Sine fræno, ut equi indomiti in omnia mala qui se præcipitant. Valeant scholæ, institutio præceptor, musæ omnes valete; ipsa limina deorum, ara, sacella, ædes sacra, ac templa valete. quorũ affectus omnia virtuti contraria desiderant; nullumque est tanti sceleris facinus, quod designare nõ audeant;

nihil

nihil tā ſanctum, quod non violent; tam muritum clauſumve, quod non perfringant; tam æquum & rectum, quod non pervertant. Quod ſi paranda ſeditio, parati; ſi opprimenda injuriis innocentia, expediti; optimis licet nati parentibus, & majorum illuſtri ſtemmate; à virtute tamen & boni nominis famâ toti degenerant; in ludos & aleam proni, fas nefaſque promiſcue habentes: diem ſterrendo, noctem vigilando inſumentes, in potationes, in ſcortationes, in dedecora, in Lupercalia & Orgia addictiſſimi. O Mores! O Tempora! oriundi ſumus, cæleſtibus, auſpiciis, ut ad omnia honeſta animos noſtros intenderemus; ut Creatori noſtro pro tantis beneficiis debitæ gratitudinis victimam, in hac vita, perſolveremus; ſed nulla proh dolor! ratio apud tales ritè recteque vivendi habetur. Et in omne malum ac nequitiam, neſcio, quo animi ductu & auſpicio inſani præcipiteſque feruntur. Horreo tremoque totis artubus, quando horum malorum elementa atque incunabula mecum perpendo. Non patitur miſeriarum tam acerba cogitatio, ut pene à lachrymis & ſingultibus temperare me poſſim: nos parem cum ipſis in cælo Angelis felicitatis fortunam ſortiti ſumus; nos ad virtutem, ad humanitatem, ad obdientiam, ad modeſtiam de cælo mandata accepimus; nos piorum veſtigia expreſſa oculis noſtris videmus; nos ad omnem honeſtatem facti; ad cultus religioſos inſtituti, bonis artibus imbuti, omnibus cum animi, tum corporis bonis inſtructi ſumus; fruſtra tamen omnis divinus eſt labor, & multi eo modo vivunt, quam ſi bella, & odium æternum virtuti indixiſſent. Quam Hominis contumaciam & improbitatem cum videret ipſe humani generis deſtructor *diabolus*, omnes illò artes porrò intendit, ut ſuam huic malo manum adjungeret; ut quantum in ſe

 eſſet;

esset; ad perniciem & pestem sempiternam excitandam ab inferis, omnia sua consilia instrueret. Qui super pravâ hac indole humanâ, oculis & fallaciis suis intentus, in hac fragili materia egregium artificem se praestitit, qui bonas leges, latas de caelo, in vitium & contemptum adduxit; qui infinitas pestes & iniquitates pro totidem virtutibus induxit, quocumque loco & tempore positis satellitibus miserum hominem in totidem transennas coëgit.

Longum esset omnes diaboli technas huc in medium producere; nos, qui non tanti THEOLOGI hic sumus, ut ad tam alta & caelestia ab hoc pulvere nostro penetremus, nos magis ad ipsa exempla in utramque materiem data, quam ad eruditam hanc THEORIAM animos nostros intendimus; cum tanta ejus mali sit messis, ut si de illo hoc loco essem dicturus,

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Certum est, H: A: ab hoc tramite inspirationis diabolicae nasci tot monstra & portenta vitiorum; Quo si accedant ut dixi pravae animorum inclinationes, & quodcumque pugnat cum sanctissima virtutum Majestate, non mirum, si haec tam misera nobis naufragia, in hoc rerum humanarum oceano, in dies contingant.

Unde alias, amabo, evenirent, quod tot *Incredulos*, tot *Athëistas*, *Epicuros*, *ventres gulasque* invenires? quod tot *reos perduellionis*, Laesae Majestatis, tot *Judiciis convictos*, *vadimonia deserentes*, *repetundarum*, *residuorum* quoque reos? quod alii in *latrocinia*, in *homicidia*, in *furta* & *rapinas* eant? Vide totum illum chorum male feriantium in otio suo & desidiâ *bonosos*, *biberios*, *Tiberios*, *Bicongios*, *Tricongios*, qui non nati ut vivant, sed ut bibant: vide in aperta Tirannide *Domitianos*, *Nerones*, *Syllas*, *Caligulas*; tot Patriae prodi-

oditores *Catilinas* & *Cethegos*; tot *Euclione* tot *ritos veneficiorum*, tot *refractarios*, *pigros*, *bar-os*, *blennos*, *buccones*; quibus si ipsius juventæ vitia & errores annumerem, nescio, quo fune & an-horâ aliquando tot scyllas & charybdes tutus evadam. Pudet, piget, pœnitet me diutius deti-nere, ut vere exclamare mihi liceat: *O miseri mor-tales! O terque quaterque miseri mortales!* quibus ira suâ sorte & infortunio nasci aliquando con-tigit; qui meliore fortuna & fato æternum vivere sine ullo malo & macula potuistis.

Tu mi *Collega*, ut dixi, meliore auspicio sorti-tus argumentum, nos linguæ tuæ lepore felicius demulcebis: &, quæ ego, proh hominum fidem! nisi cum summo animi dolore dicere potui, Tu nobis, cum justâ argumenti tui gratulatione, spero, recensebis.

DIXI.

ORATIO LIII.

De AFFECTIBUS BONIS in HOMINE.

Habita à

SUFFRIDO BURMANIA,
Nob. Frisio.

Tu mi *Collega*, prorsus tristi oratione aures animumque meum complevisti, nimiumque disertus fuisti in malis humani generis recen-

fendis. Quæ cum fatear magnâ ex parte vera esse, tamen meâ oratione, spero, hoc efficiam ut aliqua quoque solatia inveniam, quibus publico illi malo feliciter occurram. Nondum enim, ex toto, exstincta est illa divinæ auræ particula. Supersunt adhuc in homine aliquot reliquiæ cælestes, ac bonæ mentis semina: de quibus gratulari nobis possumus. Plurimique affectus egregii, quos in pretio & existimatione meritò habeamus. Imperator vitæ mortalium animus in multorum pectoribus egregiè adhuc elucet, qui ubi ad gloriam virtutis viâ grassatur, abunde pollens potensque & clarus est. Vasa adhuc pura sunt relicta talesque homines, quos meritò Semideos & Heroas appellaveris, cum ipsis Diis immortalibus comparandos, qui cælesti quodam afflati genio generosam & magnificam animi indolem præ se ferunt, quam illis Parens Natura feliciter ingeneravit, ut in opere maximarum rerum potissimum ipsorum virtus eluceat, quæ nulla temporum invidiâ, nullo livore pessimorum hominum inferius adducenda.

Date mihi veniam, H. Aud. ut hoc loco illas virtutes recenseam, quæ aliquo solatio erigere nos possunt in communi hoc mortalium malo. Dicam de illis viris, quorum vitam & virtutes imitari meritò debemus. Atque utinam! illa mihi esset facundia, qua celebrare tantorum Principum honorem ac decus abundè possem Non dubito, quin aures animosque sim habiturus acres attentosque.

Nondum divinæ bonitatis fax illa illustris ex toto interiit. Sed Incredibiles bonarum virtutum fructus legere & in publico & in privato licet. Multorum hominum factis & facinoribus tam præclaris atque egregiis, ut cælestem in illis originem animorum oculis intueamur. Ut non quis efferatur spe improbâ, non dejiciatur degeneris

animi

imi metu, non transversum unquam à verâ vir-
te recedat. Quem non incendit iracundiæ a-
rbitas non vexat misera honorum ambitio, non
get opum profusa cupiditas. Quem non tur-
ssima veneris & ventris desideria inflammen ;
on vitiorum aliqua labes in scelus & flagitium
npellit. Qui nihil in vitâ expetendum putat,
si quod summa cum laude, & honore, cum dig-
tate eximia sit conjunctum. Hos ego homines
vinis laudibus instructos atque ornatos esse ju-
co. Imo exultant animus meus, quando maxi-
orum virorum memoriam mecum percurro, qui
on pravo affectuum subjecti imperio, mentem
iam ab impotenti temeritatis incursu transver-
im ferri patiuntur. Nec improsperè fluentibus
ebus degeneres sibi animos sumunt; Sed in fini-
ris asperisque fatis eodem semper vultu appa-
ent, cum nulla fortunæ mutatione, in alium sui
abitum permutandi.

Hujus tam præclare indolis causam quis, quæ-
o, sapiens ignorare potest ? Deus Optimus Ma-
imus hac in parte suam providentiam ostendit,
qui tales virtutum igniculos multorum pectori-
bus ingeneravit, unde in omnem æternitatem ho-
nestissimi ingenii exempla promanant.

Qui non ex toto divinæ mentis possessionem
cœlestiumque rerum imitationem interire vo-
uit ; sed super esse felicissimam aliquam segetem
prudentiæ, quæ humani generis majestatem sar-
tam tectamque conservaret. Ad quæ bona excel-
entia accedit imprimis naturæ quadam benigni-
tas, bonis artibus & disciplinis in meliorem sui
habitum naturam formas. Quando animorum
illi nutritii, boni Præceptores, pessimas vitiorum
radices ex animis expurgant. Et indolem, quæ
sæpe natura sua est corruptus ad decus & laudem
espoliunt. Qua arte & officio inprimis id effi-

citur, ut in Rep: hujus modi viri reperiantur, qui bonis consiliis, & virtute singulari omnia sua negotia instituunt. Huic etiam virtutum famæ & gloriæ conservandæ multum utilitatis adfert proba Educatio, & cum bonis viris conversatio. Quæ immane quantum habet robur & vim ad honestam animi indolem probe excitandam. Quibus non æstimatis, certè, homo in quodvis malum & periculum facile incurrit. Dixisti. *mi Collega* ipsum quoque Satanam suos habere discipulos, quos malis suis artibus instruat ac informet. Et quasi ludos literarios ab illo aperiri, in quibus & à teneris ipsa addiscitur improbitas. Non enim desinit Animarum ille hostis deceptionum laqueos ubique prætendere. Hoc omnibus cuniculis callidus, ut in mendacium, in perjuria, in criminationem, in calumnias, in iram aliosque pravos affectus, hominem inducat, & à recta virtutum calle ac tramite fallaciis deflectat.

Quæ libens tecum fateor. Sed per Dei Optimi clementiam erecta quoque & instituta virtutum gymnasia: in quibus assiduam adhibemus operam ut animi nostri singulari scientiarum succo imbuantur. Quæ si non existerent, certè, in ipsam barbariem, & tenebras Cimmerias brevi incideremus: sublata de medio tot illustrium disciplinarum exercitatione.

Tua, O Diva virtus plurima & maxima sunt ornamenta, quæ non fatorum arbitriis es subjecta; sed in tenebris splendida; in tempestate quieta. Tu probos hominum mores atque ingenia immortali gloria commendas; Tu viros summa sapientia doctrinaque illustres propinqua cum Deo cognatione conjungis. Non sine pudore ac detestatione modò accepimus, quàm multi homines reperiantur quorum vita nisi in vitiis & improbitate tota consistat. Quibus hoc unum est vivere,

vere,

vere, ut malis facinoribus & infamia nomen immortale sibi comparent. Quos cæca quædam malignitas à recto & honesto abducit; misera honorum contentio vexat. Qui indomitis atque effrænatis cupiditatibus, excusso rationis gubernaculo, insolentius se efferunt. Qui tam sui immemores, ut divinos sibi honores adscribant; Et extra suæ conditiones rapti memoriam Dei hominumque obliviscantur, Qua tua commemoratione, mi Collega, summum me in stuporem dedisti, qui portenta hæc hominum nec animis nec oculis perferre possum. Dolens de rerum Natura, quod tam improbos abortus in lucem protulerit. Ita est H. A. ut quemadmodum malitiæ illud semen facile in improbis invenitur, & suo quasi fato infelicitas hæc existit: Sic etiam suas rationes & argumenta habet Animus meliore cœlo & auspiciis natus, Optimus quisque suo genio ducitur. Et eodem labore ad decus & gloriam nititur, quo perniciosi isti homines ad infamiam & dedecus. Non patiuntur suam laudem & gloriam sileri amplius clarissimorum hominum Ingenia & Virtutes. Quorum alii mirifico in Deum cultu ac veneratione propenderunt, semper in id intenti, ut Religionem divini Numinis pro summo bono, optimisque vitæ suæ thesauris existimarint. Quorum exemplis sacræ ubique Paginæ sunt plenæ. In quibus sapientissimos Salamones, Piissimos Davides, Samueles, tot stupenda pietatis nomina habemus. Quorum animi nulla flagitiorum labe adspersi, semper in Deum suum attentissimâ curâ defixi. Unde sacri isti igniculi, ac flammæ meliores? nonne à cœlesti origine & auspicio divino? O animos verâ sanctitate imbutos! omniumque virtutum ornamentis egregiè instructos! Ad quorum splendorem & claritatem si oculos nostros attollimus, nihil, profecto est,

giè incumbunt. Hoc unum acturi, ut omne suum decus & honorem in solo virtutis auspicio reponant. *Vos optimo sati sanguine, viri Nobilissimi in theatrum prodite, vos sanctissimas justitia leges sancite. Vos vita vestra exemplo in crassissimis ignorantia tenebris praelucete.* A vobis, post immortalem Deum, vivere feliciter incipimus. A Vobis bene regendæ Reip. normam discimus libertatem & jura defendere, Patriam protegere; in Deum & Parentes officia præstare. Totum hoc, quod, certè, maximum est, totum hoc, inquam, vestræ authoritati & nominibus debemus.

P R E C E S.

Caterum, ô Optime Maxime in calis Deus, ex intimis animi medullis oramus, ut calesti tuâ disciplinâ porro nos informare velis, & animos nostros intingere divino ambrosia succo. Ut Reip. aliquando utiles esse possimus. Et illas artes nostras, quibus ad sapientiam & pietatem erudimur, tui nominis honori impendere. Ut particula illa aura divina, qua etiamnum in nobis nondum ex toto evanuit & exstincta, in majorem semper flammam incalescat. Ita fiet, ut tandem Pax lata nos respiciat domi forisque. Et Belgium nostrum perpetuò efflorescat novâ accessione Christianarum virtutum, & sapientia possessione sempiterna. Nostraque hac Alcmaria, in qua vivimus, Viris illustribus, Viris doctissimis, Viris honestissimis semper vigeat, floreat, perennet. Et hac ipsa nostra juventus ingenuarum artium studiis rectè instituta, decus, Gloriam, Honorem Reip. & Ecclesia, maximo cum fructu & ornamento, tandem adferet, ac conciliabit.

DIXI

Ha dua antecedentes Orationes sunt habita Alcmaria, CIↃ. IↃ CLXIX. XIV. *Cal. Maij.*
Examine Vernali.

ORA-

ORATIO XII.

De MEMORABILIBUS EXEMPLIS VITIORUM.

Habita à

HIERONIMO DE HAZE, *Amstelod.*

De Idololatris. Tyrannis. Superbis.

PRæterito semestri HH: AA: de Virtutibus & Vitiis, bonis & malis animi affectibus, sermonem, hoc loco, instituimus, sed, longè infra majestatem tanti operis, ubi magis rudi Minerva verborum, quam rerum copia diserti fuimus illorum exemplo, qui corpore cum sint tenues, veste se dilatant, & diffundunt; ut aliquam in theatro personam, si cæteris thoris & lacertis destituantur, repræsentent. Nunc ab inutili fastu sermonis abstinentes, quantum, per judicii falcem fieri potest, res ipsas & exempla ex Historiarum promptuariis delibabimus. Ego in medium provocare incipiam, Giganteæ audaciæ Homines, adversum quos omnes meas vires & copias in campum producam. Vos HH. AA. qua soletis audiendi benevolentia, quæso, nostros inceptus juvate, promovete.

In primo ingressu quando turpem & nefariam vulgi multitudinem intueor, terribili facie & monstroso habitu, mihi occurrunt *impiissimi Libertini, Atheistæ, Idololatræ, Apostatà, & Incredulis;* quos meritò cane pejus & angue odisse debemus,

mus, quibus nihil unquam infelicius; fœcunda tot parentum vitiis terra in medium produxit; quorum tanta sævitia & immanitas est, ut rectà in Creatorem suum reclamitent, ac recalcitrent, ejusque Providentiæ sacram legem per summam incredulitatem, abnegent, violent, extinguant. Quales olim nati fuerunt infelici ovo, Cæsares, *JVLIANVS*, *VALENTINIANVS*, *DIOCLETIANVS*; Qui igne ferroque dilectam Dei Ecclesiam prosecuti, omnem relligionem, cultusque divinos procul ab animis suis removerunt. His non inferiores flagitio & Scelerbus suis *TVRCÆ* & *BARBARI*. Illa genuina & germana antichristi proles; ipseque *MAHVMETES*, qui unum esse Deum statuit, eumque corporeum, Christum non Deum, sed magnum vatem magnum prophetam, præmia qui ipsum audient Paradisum, Flumina, ibi quatuor fluere, lacte, vino, melle, aqua, ibi palatia, ædificia gemmata atque aurata esse, multaque alia, quæ ipse pudor in medium proferre non permittit, quibus annumerare merito licet totum illum antiquæ superstitionis cætum & turbam *THRACAS*, *ÆGYPTIOS*, *INDIANOS*, plerosque quorum alii canem, & feles; Isim, Cerapin, Anubin, divinis honoribus afficiebant; alii, credo, larvas infernales, ne noxam inferrent, pro Numine suo invocabant. De quibus salse & sapienter *Satyricus*

Illic cæruleos, heic piscem fluminis illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & cepe nefas violare, & frangere morsu,
O sanctas gentes, quibus hac nascuntur in hortis
Numina!
Ægyptus portenta colit, crocodilon adorat

Pars

Pars hæc, illa parit Saturam serpentibus Ibim.
Non iftis, meo judicio, fuit minor, minusque profanus, FERDINANDUS II IMPERATOR cui hoc in ore semper; *tres fuisse insignes impostores qui genus humanum seduxerant,* MOSEN, CHRISTUM, MAHOMETEM, nec ipse *Alphonsus*, Hispaniarum Rex decimus, qui identidem culpare solitus providentiam divinam, & dicere; *si principio mundi Deo affuisset, multa melius ordinaturusque condenda fuisse.* Atque profanum impiumque fuit, quod de *Ratholdo*, Frisonum duce historiæ commemorant, qui cum à *Volfranio* Episcopo intelligeret, plures ex majoribus suis esse in inferno, quam in paradiso, *eò se velle proficisci dixit, ubi sui essent, malleque eos qui numero superiores, quam pauciores sequi.* O improbitatem incredibilem! vix hominum auribus recipiendam, O delicia! O nugas! & inania! atque utinam! non multi mortales hoc nostro quoque ævo reperirentur, qui ad similem insaniæ modum vitam suam dirigerent; quod ipsum de aliquo vel verbis profiteri, maxime fateor esset incuriosum; attamen si opera, si actiones, & negotia multorum intueamur, quem quæso, hic non offendent cœca plurimorum vestigia, quâ ad quamcunque incredulitatem promiscuè eatur?

His proximè sunt conjungendi barbara crudelitate, TYRANNI, quorum mores animosque cæde ac sanguine bonorum civium imbutos, juventuti in conspectum proponere, non alienum hic esse judico, ut maturè odium in illos concipiant, qui communem salutem in summas miserias & calamitates præcipitant. Hominum genus, quod meritò invisum esse debeat omnibus illis, qui semel vitæ hanc usuram de cœlo acceperunt. Quamquam vix sæculum aliquod fuerit, quo non

istius

iſtius ſentinæ & hominis prodigia magna cum copia extiterunt. Quid enim frequentius, quid magis in oculis & pectoribus omnium, quàm crudelitatem, quam perfidiam, quam tyrannidem in principum aulis, tanquam in proprio ſuo domicilio ſemper ſtabilem, ſemper perpetuam fuiſſe? hoc enim à natura tyrannidi eſt inſitum, ut ſolum Regni decus & præſidium eſſe putent, *ſemper intenſum tenuiſſe ferrum.* Ut per ultimos cruciatus miſeros homines lacerent; decollandique artifices, quibuſcunque è cuſtodia capita amputent, & in eo unam animi affectuſque ſui cupiditatem collocant, ut minutiſſimis ictibus confectos, erubeſcendo tantum mortis genere conſumant. Horum primus in publicum prodeat, Argentinorum ille *Phalaris*, qui civium ſuorum ut ſupervacuo & ſordido abutebatur ſanguine, alios flagellis deſciſſos coram confodi imperabat; aliis ſpiritum laqueo eripiebat; alios vigiliis pariter & continuo tractu doloris enecabat; alios mutilatis auribus naribuſque cruci affigebat, *Semper nova pompa morti ducebatur.* Cui conjungire à Romanis *Tiberium*, qui adeò humanos ſenſus exuerat, ut fœminas quoque ob ſolas lachrymas, acerbiſſimo mortis genere trucidaverit; quod crimen in Fuſii Gemini matre vitreà oſtendit, quæ propterea necata, quod filii necem fleviſſet, cui quoque perpetuo in ore:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί?

Et cui in votis eſſe ſolebat, ut *Romani omnes unam cervicem haberent, quam uno ictu poſſent reſecare*; Tantaque hic Sevitia, extitit, ut fratrem *Tiberium* interemerit, Syllanum Socerum, ad ſecandas novacula fauces, compulerit. Denique cum omnibus ſororibus ſtupri conſuetudinem habuerit; *Lucium* verò *Syllam* quis ignorat? hic univerſas Italiæ partes civilis ſanguinis fluminibus inun-

davit;

davit; quatuor legiones contrariæ partis, misericordiā implorantes, obtruncari jussit; tandemque virorum cædibus non satiatus, saviit in mulieres. Idem infami proscriptione *quatuor millia & septingentos cives uni civitati abstulit*, & non vilia quædam capita è plebe: centum quadraginta in illis senatores, ut non immeritò vox illa Catulo expressa sit; *cum quibus tandem victuri sumus si in bello armatos in pace inermes occidamus*? Quis *Annibalem* non detestetur? qui pontem humanis cadaveribus in Gelo flumine construxit? quis non *Mithridatem*? qui unâ epistolâ octoaginta millia Romanorum per Asiam dispersa, mandavit interfici? Quis non jure oderit *Alexandrum Pheraeum*? qui vivos homines inversis in se faciebus sepeliebat? Quis denique crudelitatem *Cnei Marii* rorante satis pennâ & sanguine describat?

Hic *Marci Antonii* abscisum lætis manibus caput, inter epulas, per summam animi ac verborum insolentiam aliquandiu, tenuit; clarissimique & civis & oratoris sanguine contaminari sacra mensæ est passus. Addam istis Thyesteæ crudelitatis monstris, ipsos *Carthaginenses*, qui quàm crudeli facto in *Attilium Regulum* animadverterint, neminem, scio, latere potest. Hi, resectis ipsi oculorum palpebris, certæ machinæ, in quâ undique præacuti stimuli eminebant, illum incluserunt, ut pariter vigilando, & continuo tractu doloris necaretur. Nimis longum esset nimisque auribus honestis inimicum, si in omnibus illis DOMITIANIS, DIOCLETIANIS, CARACALLIS, ALBANIS verè portentis naturæ recensendis, diem insumeremus. *Tyrannorum enim mentes*, ait Tacitus, *Si recludantur, posset inspicere illorum laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita sævitia & libidine, malis consultis animus illorum dilaceretur.*

Hoc

Hoc unum solatio est adversum pestem illam humani generis Tyrannos, quod nemo illorum violenta imperia tenuerit diu. *Sequitur enim superbos ultor a tergo Deus.* Usque adeò, *ut quem dies veniens viderit superbum brevi eum dies fugiens viderit jacentem.* Averte è nobis Opt. Max: Deus hujusmodi hominum monstra, qui nisi sanguine miserorum civium se saburrarunt, se nunquam ex vero felices arbitrentur.

Hinc ad cognati sanguinis non dicam viros, sed virus ipsum & pestem, *homines turpi fastu & superbiâ elatos*, me confero. Qui id unum jure merentur, ut civitatum finibus, & humani convictus societate eliminentur; nec inter familiares Christiani nominis ullo modo ac tempore recenseantur. Ex horum ordine primi sunt Rex *Alexander*, qui natalium suorum oblitus, patrem Philippum jam fastidiens, originem sui generis ab Hammone Jove deducere voluit qui tædio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit, spretoque mortali habitu, divinum emulatus est. Et *Caligula* qui non aliâ de causâ domum sibi in Capitolio extrui fecerat, quam ut illic unà cum Jove habitare putaretur; Nec non *Domitius*, *Maximus*, qui manus pedesque suos adulatoribus exosculandos præbuit. ut nihil dicam de *Julio Cæsare*, de *Hannibale*, de *Xerxe*, quibus cum Regii honores & nomina non essent satis, divinis honoribus coli voluerunt. *Hannibal* Cannensis pugnæ successu adeò elatus fuit, ut nulli civium suorum in castris, nisi per interpretem, respondere permiserit, de Xerxe dicit Satyricus;

In Corum, atque Euros solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passus
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigeum.

Dolendum

Dolendum est H: A: adeò nos abjectos humilesque homunciones, terram ipsam despicere, unde originem nostram deduximus. Et velle supra alta sidera ambulare; qui quam nobis curta sit supellex, quamque angustis in hac vita spatiis habitemus, satis cognitum perspectumque habemus. Veniet aliquando illud tempus, cum hanc pravitatem & dementiam nostram justissimis lachrymis deplorabimus. Quod præclarè in *Salmoneo* apparet, de quo Poëta *Virgilius*:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis & tonitrus imitatur Olympi:

Ita omnibus illis continget, qui supra humanæ sortis mensuram se extollunt; qui Cælum digito attingere putant, quando paulum imperii & pecuniæ accessit, unde illicò sublati animi, & primos se rerum omnium esse volunt, nec sunt, obliti divini illius moniti; *Quanto superiores sumus, tantò nos geramus submissius*: Nec alia fuit causa interitus *Romanæ urbis*, quæ à *Sabinis*, à *Samnitibus*, à *Pœnis*, à *Gallis*, aliisque populis frustra toties tentata, tandem à se ipsa, propter imperandi licentiam, victa & vastata. Quod si olim *Persarum Rex Sapor* cogitasset, nunquam eò temeritatis devenisset, ut, cum ad *Constantinum Imperatorem* scriberet, *Solis & Lunæ fratrem appellari se voluerit*. Nec ipse, qui ingenio & animo magnus, *Julius Cæsar*, qui postquam omnium populorum victor, tandem fœdæ adulationi succubuit. Superbissimam hanc emittens vocem, *debere homines consideratius secum loqui, & quæ diceret pro legibus habere*, certe eradendi sunt ex hominum memoriâ ejusmodi Reges & Principes, qui inanis gloriæ titulo intumescentes, Deos hominesque fastidiunt. Solâ virtute rerumque gestarum gloriâ sempiternam apud posteros recordationem pro-

promereri debemus. Pessimo enim exemplo claris suis majoribus æternam ignominiæ maculam adspergunt, qui, suorum natalium immemores, Cælestes sibi honores assumunt. Qualis fuit supra reliquos illos, quos in principio notavimus, *Philosophus Heraclides* qui draconem aluit, quem feretro suo post mortem, imponi jussit, ut ex hoc putaretur ad Deos remigrasse. *Cyrus* quoque Persarum Rex, qui ab exteris sibi Dei altissimi nomen adscribi patiebatur, & *Demetrius* qui præter se, & *Antigonum* patrem, nec regem nominasse quemquam nec salutasse dicitur.

Concludo turpissimum hoc de superbis argumentum H A, divino poë æ *Mantuani* carmine, qui in fine ingeniosissimæ suæ descriptionis, sic ad vivum oriundam ab inferis superbiam repræsentat,

Ferre nequit juga, majorem indignata paremque,
Imperia usurpat, Regnique libidine fervet,
Immansueta ferox, miseris adversa, minaxque
Mitibus, elatis contraria, nescia pacis,
Nescia amicitiæ, rixarum & litis origo.
Dura, ingrata, duplex, animo violenta, rebellis.
Improba, quid pietas quid sit clementia nescit.
Perfida, fœdifragam dubio sub pectore mentem
Versat; ab excelso, fugientia culmine semper
Saxa movet, laudum semper vesana cupido,
Sollicitum pectus curis flammantibus urget,
Nec vitæ ratio: nec opum, nec honoris. in omne,
Sponte scelus præceps, ruit, implacabile monstrum.

DIXI.

ORA-

ORATIO. LV.

De

MEMORABILIBUS EXEMPLIS VITIORUM.

Habita à

JOHANNE GUILIELMO QUAET.

Arenaco Geldro.

De Perfidis. Patriæ Proditoribus. Ebriosis.

AB hoc vitio & superbè dominantibus H. H. A. A. facilè ad *perfidiam* & *proditiones* descenditur: Quæ impietas sæpè hoc Machinatur, ut nec ipsi patriæ, quæ communis nostrum est parens, suus amor & benevolentia, præstetur. Cum frequenter hoc accidat, ut, qui cœco avaritiæ furore stimulati, non desinant in ipsa sua viscera & patrios penates quam crudelissimè desævire. Quemadmodum hoc, licet valdè ignobili exemplo, cum infamibus suis sociis, *Catilina*, testatur, qui scelera issimus Patriæ civis ipsam, pudor! Patriam ad quatuor partes incendio destinavit. Ita quoque turpiter in Patriam suam egit *Julius Cæsar*, qui cum ex conditione Imperare non posset, contra Pompeium & populum Romanum tantis exercitibus insurrexit. Ita *Themistocles*, cum ad Nerzem Persarum Regem confugisset, contra Græciam arma tulit. Ita *Q. Martius Coriolanus*, qui, postquam Volscis se conjunxisset, Romanos multis præliis afflixit.

Huic

Huic ſceleratæ conſuetudini, à proximo adjungi debet illorum incredibilis improbitas, qui turpi proditione patriam ſuam infeſtarunt. Quales fuerunt *Piſidice*, & *Antiope*, Quarum hæc amoris æſtu inflammata, patriam Morſymum Achilli prodidit: illa Theſei deſiderio capta, hanc Herculi in poteſtatem dedit. Et ipſe *Æneas*, *Polidamas*, *Antenor*, patriæ ſuæ Trojæ per impias & iniquas proditiones cauſa excidii extiterunt. Quo loco nec *Pauſaniam* Lacedæmonium intermittere debeo, qui quinquaginta auri talenta à Xerxe acceperat, ut ſpartam dederet. Nec *Tarpejam virginem*, quæ Sabinis capitolium prodidit, capta ſpe armillarum, quas Sabini magni ponderis, in ſiniſtris gerebant. Dolendum eſt quod plures Romani ſanguinis illi ſe infamiæ ac turpitudini conſecrarint. Inter quos *Sergius Galba*, vir ſummæ perfidiæ, trium civitatum convocato populo, tanquam de commodo civitatis acturus, ſeptem millia, in quibus flos juventutis conſiſtebat, armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit. Et *C. Domitius*, qui *Batullo* Regi Avernorum iratus, quod cum ſuam tum etiam Allobrogum gentem ad Q. Fabii ſucceſſoris ſui dextram confugere eſſet hortatus, per colloquii ſimulationem accerſitum, hoſpitio exceptum vinxit, ac Romam deportandum curavit. Quàm fœda, quàm barbara hæc ſit proditio, quæ in proprias aras & focos admittitur, quis unquam dolore ſatis æquo efferre & effari poteſt? Cujus ſceleris ac flagitii tanta tamen apud improbos eſt authoritas, ut nihil eâ ſit familiarius. Nihil ſolennius. Cujus efficaciſſimæ ſunt vires, *Mentiri & fallere*. Hinc date mihi veniam. H. A. ad *Ebræos* & Epicureorum collegia me conferam; non ut aures veſtras ſeſamo & papavere demulceam delicati ſermonis, ſed ut adoleſcentibus noſtris proponam, Quam fœdum &

N dete-

detestabile sit contra naturæ legem, contra desideria innatæ virtutis, se immoderati vini usu in brutorum speciem transformare, aut nimia voracitate ciborum ventrem suum, tanquam pondere, & fasce iniquo, pro pudor! turpiter saburrare. Quales homines, certè, non dignos habemus, quos inter rectâ mente ac ratione præditos annumeremus. qui non *nati, ut vivant, sed ut bibant*, ut helluentur, ut pergræcentur, & humano generi ad contemptum, in terris hac lucis usurâ perfruantur. Qui multa luxuria ebrii, patrimonia effundunt, ne fœnore trucidentur; qui proluere opes, & profusis sumptibus vivere, pro gloriâ ducunt; Qui voluptates domestico lenocinio sustentare, & in profundissimum libidinum suarum gurgitem fortunas suas profundere, viri Magnanimi putant officia. O famelica hominum natio! Quid tam turpiter vitam vestram instituistis? Majore corpore, sarcinâ animo laditis, ciborumque copia subtilitatem benè cogitandi deliberandique impeditis; ut mirum non sit plures crapula, quam capulo & ense periisse. Doleo me exemplis tam tristibus, tam improbis hoc me loco eloquentem esse debere. Non tamen patitur sceleratissima Epicureorum turba, ut illam silentio prætereeam. Vos *Biberii*, vos *Tiberii*, vos *Bicongii*, *Tricongii* primum in conspectus nostros venite, quorum aliqui tantum bibistis, quantum, Aureliano teste, hominum nemo; aliqui suspensi infelici ligno, ut de *Bonoso* Imperatore historici loquuntur, Amphora sint dicti. *Claudius Cæsar* eò deliciatum pervenerat, ut tanta populi frequentia convivia celebraverit, ut plerumque sexceni, simul discumberent. Et *Antiochus Magnus*, ut ob vinolentiam totos dies dormire soleret. Quo non inferior *Caligula*, qui maximam partem thesauri, à Tiberio relicti, cœnis & commessationibus devora-

voravit; ut meritò de illis dicere liceat illud Levini Lemmi: *De capacitate poculorum certant, adeo ut inter illos optimus censeatur, non qui concinniter Instrumentis Musicis aut sermone Philosophico uti novit; sed qui multos eosque Maximos calices exsiccare potest.* Quibus, credo, *Rex Xerxes* pro Duce & Antesignano fuisse videtur, qui præmia & dignitates illis proposuit, qui novæ voluptatis genus invenisset. Aut *Cleopatra*, qua cœnâm Antonio paravit, In qua ducenta M. V. Aureorum uno ferculo secundæ mensæ consumpsit. Sed satis ipse sibi Magnum theatrum fuit *Antonius*, qui cum turpe esset, ructare in senatu populi Romani, Hic frustis esculentis totum tribunal implevit. Quis bonæ mentis usus potuit esse apud *Bœotios*? apud veteres *Pharsalios*? apud *Caupones Morontos*? apud luxuriosos *Lydos*? quo fungerentur sapientiæ munere veteres illi gulæ architecti, *Sergii*, *Lucinii*, *Apicii*; *Claudius* & *Vitellius* Imperatores?

Ingluvies & tempestas baratrumque Macelli.
Qui quod quæsierit ventri donabat avaro
Exhaustisque bonis, patinas cœnabat, ornasse
Pingues, & agnini, tribus ursis quod satis esset.

Inter quos video Helluonem illum nostris mensis arcendum, *Milonem Crotoniatem*, qui libras viginti, & aliquando quadrimum taurum devoravit. *Maximinum* Imp. qui libras quadraginta. *Albinum Clodium*, Imp. decem capones, centum ficedulas, præter ostreorum, ficuum, uvarum, melonum incredibilem copiam ingurgitantem. Et Regem Lydorum *Camblen*, qui eo voracitatis profectus est, ut

quadam nocte propriam uxorem absumpserit. Qua re etiam *Nisæus* Syracusarum tyrannus, ubi ab auspicibus didicisset, se brevi periturum, quicquid vitæ superfuit, commessationibus & ebrietati impendit. Infinita essent hujus generis exempla, quæ pias vestras aures H: H: A: A: jure offenderent. Mitto igitur totum illum Catalogum malè feriatorum hominum, *Dionysium Juniorem*, qui usque ad oculorum vitium mancipatus est ebrietati, *Herculem & Vlyssim* polyphagiæ & edacitatis exemplo famosissimos. *Timocræontem, Rhodium, Philoxenum, Phi ostratum.*

Satis, eheu! Nimiumque satis ævi nostri moribus edocti, quanta sæpe tempestas, quantæ procellæ oriantur ex nimio poculorum usu & consuetudine.

DIXI.

ORA-

ORATIO LVI.

De

MEMORABILIBUS EXEMPLIS VITIORUM.

Habita à

JOHANNE BAERT

Alcmariano Batavo.

De Adulteris. Luxuriosis. Prodigis. & reliquis Vitiorum exemplis breviter in fasciculum collectis.

NEc dum omnia dixisti, mi *Collega*, satis amplum mihi campum & materiam relinquis immanissimorum flagitiorum, & exempla plus quam barbara honestis auribus recitanda. Ab *Helluonibus* istis & *Gulosis* facilis est transitus ad legitimi thori violatores, pessimos *Adulteros:* qui furere in libidine solent, & vigilias suas in stupris consumere, educati & educti in Venereo nutricatu. *Fundum, ut* Comicus ait, *alienum arare, incultum proprium relinquere.* Qua infamiæ notâ, plurimi apud antiquos, cum viri, tum fœminæ, pro pudor! pessimè audiverunt: inter quos, authore Suetonio, *Caligula* est recensendus, qui capillamento celatus, & veste longa noctibus adulteria obibat. Et *Domitianus*, qui in alios censor rigidus, Juliam fratris filiam, quæ marito nupserat, revocatâ lege Julia, impiè corrupit. Quibus lupercorum sodalibus inferendi sunt *Antiochus* & *Themistocles*, quorum ille, dum bellum ge-

reret in Romanos, vino & Veneri indulsit: qua mollitie deliciisque corruptus, hosti suo victoriam reliquit. Alter, inter scortorum gregem, totus effæminatus, nihil in vita præclarè gestum ad posteritatem transmisit. Hoc etiam turpitudinis stigmate inustus fuit ipse *Alcibiades*, Dux aliàs eloquentissimus, qui fugiens ad Regem Persarum ARTAXERXEM, in ædibus Tymandræ meretricis, à Lysandro gladio confossus est. Et *Menander* Athenienfis, qui Poëta comicus, adeo à sana mente factus alienus, ut, ex amore in mulieres, ad ipsam insaniam sit redactus. Inter quos locum quoque tenet *Milo Crotoniates*, qui, licet robore corporis præ aliis multum excelluerit, animo tamen ac libidine plus quam fœmina fuit. Cum quibus conjungere tot illustrium virorum nomina, quis non jure meritoque doleat! quò in genere non præterire possum te, *Juli Cæsar*, qui, post victum Pompejum, & sexcentos Imperatores, à turpi libidine tandem es victus, nec satis, ad restinguendos tuos amores, Regina Cleopatra, sed cum pluribus mulieribus promiscuè scortationes tuas exercuisti. Te, *Commode Imperator*, cui trecentæ concubinæ, quas ex delectu meretricum tibi constitueras, necdum sufficiebant. Te, *Gordiane Iunior*, qui mulierum cupidissimus, ex tanto scortorum grege maximum liberorum numerum procreasti. Adeo, ut lepido cavillo, à nonnullis, pro *Priamo*, *Priapi* nomen sis adeptus. Sed nihilo viris inferiores strenuè hic se gesserunt, magni nominis, & familiæ, fœminæ. *Thais Ægyptia* meretrix. *Niceta & Aquilina* sorores. *Sappho Lesbia*. *Flora* apud Romanos. *Regina Semiramis*, quæ nulli se firmo conjugio conjungere volens, è totis castris formosissimos juvenes sibi delegit. *Acca Laurentia*, faustuli pastoris Regii uxor, quæ propter corporis quæstum turpissimum, lupa est appellata

appellata. *Calvia Crispillina*, libidinum Neronis Magistra. *Licinia Horatii. Quintilia Claudii. Lesbia Catulli. Neæra & Sulpicia Tibulli*, cæteræque illæ pestes & portenta operosæ educationis humanæ. Quibus omnibus pro pudor! prima & Princeps extitit Claudii Cæsaris uxor, *Messalina*, quæ tanta fuit libidinis, ut, ante omnes alicarias, quæ pistrinum circumstarent, impudicitiæ palmam promeruerit, qua dormiente lege Julia.

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque suam, tunc nuda papillis
Prostitit auratis, titulum mentita Lycisca.
Ostenditque tuum, Generose Britannice, ventrem
Accepit blanda intrantes, atque æra poposcit.

Utinam! sapientissimi *Solonis* leges tunc locum habuissent, quibus fas fuit scortatorem & mœchum, in adulterio deprehensum, impune interficere. Nullum enim scelus hoc ipso majus atrociusque inveniri potest. Quare magnam laudem meretur dictum illud *Lacedæmonii*; qui ab Hospite interrogatus, quæ pœna foret adulteris apud Lacedæmonios, negavit ullos illic esse adulteros. At instans ille, quid si quis existeret, quam pœnam daret? respondit, *taurum daret, qui producto ultra Tayzetum montem capite, biberet ex Eurota.* Non patitur Honestus pudor H: H: audd. de sordidis & abominandis scortatorum & adulterorum exemplis plura in medium proferre. Quanquam tamen vix infra istam turpitudinem ponenda sint, ad quæ oratio mea festinat. Video, post hasce libidinum varias species, nova monstra & portenta, quæ jure LUXURIÆ & PRODIGALITATIS titulo inscribo. Quæ olim tam fuit prodigiosa ac stupenda, ut merito admirari debeamus, unde istæ opes & divitiæ in potestatem hominis pervenerint

nerint, quas illi in immensum profuderunt. *Blandum est*, ait Historicus, *malum luxuria, quam accusare aliquantò facilius, quam vitare possumus.* Exordium facio à *Cneo Sergio Orata*, qui primus domi suæ pensilia balnea facere instituit: Qui, ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiariter sibi maria excogitavit, in quibus varii generis pisces, separatis molibus, inclusit. Hunc proxime sequitur *Clodius*, *Æsopi tragædi filius*; quem constat cantu commendabiles aviculas, immanibus emptas pretiis, in cœnâ, pro ficedulis, posuisse; acetoque liquefactos magni sumptus uniones potionibus adspersisse. Hanc luxuriam etiam *Cneus Domitius* collegæ suo objecit, quod columnas Hymettias in porticu domus collocasset. Eodem vitio *Metellus Pius* in Hispania notatus fuit, qui adventus suos aris & thure excipi patiebatur; qui Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur; demissasque lacunaribus aureas coronas, velut cælesti capiti, recipiebat. Præcipue verò *Catilinæ* libido scelesta fuit, qui vesano amore Aureliæ Orestillæ correptus, filium suum, ne novæ nuptiæ impedirentur, veneno sustulit. Inter summa quoque opprobria *Campana luxuria* memoriam & mentionem meretur, quæ invictum armis Hannibalem, illecebris suis complexa, Romano militi vincendum præbuit. Quæ vigilantissimum Ducem, abundanti vino & veneris usu lasciviore, ad somnum & delicias evocavit. Hæc eadem pestis urbem *Volsinensium*, Hetruriæ caput, postquam ad luxum prolapsa, in profundum miseriarum conjecit. Hæc *Antiochum*, Siriæ Regem, eò dementiæ redegit, ut magnâ ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuerit, argenteaque vasa ad usum culinæ comparaverit. Hos omnes longo intervallo *Cypriorum* multitudo superat: qui Reginas suas mulierum corpori-

bus,

bus, velut gradibus constructis, quo mollius vestigia pedum ponerent, currus conscendere æquo animo sustinebant.

Hinc ad *Ægyptios*, eorumque insanas substructionum moles *Obeliscos* & *Pyramides* si me conferam, quis ille tam disertus, qui verborum finem aut filum facile hic inveniat? penè fidem veritatis excedit, quomodo olim Athenienses de *Armamentario* suo sint gloriati, omni opere & impensâ majore. Quomodo *Dianæ Templum* ingeniosissimus architectus Ctesiphon fabricare inceperit. Ad quod opus exasciandum universa tunc Græcia totis viribus insurrexit. Quibus impensis *Artemisia* Mausolo, Regi Cariæ, marito suo, memorabile sepulchrum exstruxerit. Dies mihi deficeret, si *Jovis Olympii* simulachrum, quod Phydias eboris lineamentis fuit amplexus; si *Colossum Solis*, qui assurgebat in altitudinem septuaginta cubitorum; si *muros Babylonios*, qui laterculo coctili erant structi, & centum cubitorum spatio eminebant; Dies mihi, inquam, deficeret, si tanta, tamque immania mortalium opera, hoc loco, discribere esset propositum. Quare silentio prætereo omnia illa Romana; *Templum Apollinis* in Palatio; *ædem Jovis* in Capitolio; *Porticum & Basilicam Lucii & Gaii*, theatrum *Marcelli*; *Circum maximum*, *Amphitheatra*; denique plus quam templa quadringenta viginti quatuor in una urbe Roma; quæ Dianæ Ephesiæ majestati minimè concedebant: ubi sub Domitiano in solam capitolii inaurationem, plus quam duodecim millia talentum absumpta sunt. O vere admiranda! quæ non humanis auribus, animisque percipienda.

Quomodo hac tanta vitiorum multitudine me evolvam H: H: Audd. vix tacitâ cogitatione perspicere possum. Nimis ampla est messis & materies, quæ abundè nobis dicendi argumenta suggerit-

gerit. In *Livio Salinatore* odium & iram invenio, quæ in pectoribus humanis maximos sæpe fluctus excitant. In *Marco Crasso* & *Hortensio* manifestissimæ prædæ avidissimam voraginem. In *Fulvio Flacco*, in *Pompeio magno*, in *Marco Antonio* summam superbiam & impotentiam. Hinc tota agmina mihi occurrunt illorum, qui *Repetundarum*, qui *Residuorum* rei. Qui totas provincias, totaque regna in proprios suos usus contulerunt: quales fuerunt *Verres*, *Antonius*, & *Sylla*. Inde immensa manus *Sicariorum*, *piratarum*, *prædonum*, quales fuerunt *Silices*, *Samii*, & nostrâ hac ætate, *Scythæ*, *Turcæ*, *Barbari*. Ut nihil hoc loco dicam de *Euclionibus* avaris, de *Mida*, de *Crasso*, de *Caligulâ*, qui in solis fortunæ bonis animæ suæ salutem reposuerunt. De *Calumniatoribus*, de *Ingratis*, de *Invidis*. Quibus omnibus hoc unum est in animo, ut in proximi famam & honestum nomen improbissimo semper conatu debacchentur; Illorum secundis successibus, velut panico quodam metu, percussi ac perturbati. Omnium ultimo loco in bonarum artium osores, *Licinios*, *Caracallas*, *Diocletianos*, linguæ meæ mucronem distringere proposueram, & Divinæ nostræ Palladi debitos suos honores ac libertatem adstruere. Sed, cum nolim nec ausim aurium vestrarum patientiâ, H: H: Audd. longius abuti, Orationis meæ vela nunc contraho, & subsisto.

Satis, superque qui in immenso hoc pulvere sordidissimorum exemplorum veteris ævi jam fessi & defatigati estis. Proxima vice, si *Optimus, Maximus, in Cælo DEUS* id permiserit, hoc loco, de *illustribus virtutum exemplis condiscipulos nostros perorare audietis.*

PRÆ-

PRECES.

Tu, ô Æterne, clementissime DEVS, da, ut à turpissimis hisce exemplis, quæ ad Horrorem usque aurium nostrarum recitari audivimus, animos nostros quam longissimè removeamus. Ut nulla nobis sint commercia, cum impiis Idololatris, *cum* Atheistis, *cum totâ illâ manu & multitudine* Apostatarum *& Incredulorum. Ut oderimus perpetuo barbarâ crudelitate* Tyrannos, *& quicquid ad inhumanam illam feritatem viam aut fenestram aperit. Ut viperino sanguine cautius vitemus hujusmodi homines, qui nimiâ* Ambitione *&* Superbia *extra se rapti, alios despiciunt, sibi Divinos honores assumunt. Qui aut* proditione, *aut* perfidia, *malisque artibus erga patriam suam affecti & animati, detestemur, quantum possumus omni sancto proposito* calicum remiges, impios bibones, gurgites illos & voragines, *qui vino & ventre infames, vitam viresque suas non nisi gulæ & gutturi in potestatem dederunt. Fac, ô magne & misericors DEVS, ut anima nobis semper sit sicca & sapiens: ne ad voluntariam insaniam, quæ* ebrietas *est, sponte turpiterque prolabamur. Nec ab infelicibus hisce auspiciis, ad indignos libero homine affectus, ad impias* scortationes, adulteria, *& illegitimos illicitosque conjugiorum tramites unquam animos nostros applicemus. Sed, ut* Pudicitia, *ut* castitas, *ut ingenuè sanctèque affectus in rectam & cælestem pietatis semitam nos ducant, totisque viribus ab* intemperantia, *à* luxuria, *à prodiga fortunarum nostrarum dissipatione, malisque cupiditatibus nos jugiter constanterque avocemus. Vitamque nostram non nisi honestissimis actionibus coram te & hominibus determinemus. Omniaque hæc vitia, quæ ad vivum propriis suis lineamentis descripsimus, incitati Christianæ pietatis zelo, religiosè sanctèque fugiamus, ac dete-*

 stemur,

ftemur. Cæterum, ô potentiſsime in cælis DEUS, hæc te oramus, per intima pectorum penetralia & viſcera, ut illuſtre BATAVORUM nomen, & univerſam rempublicam diu terrâ marique ſartam tectam conſervare, & inclytam ALCMARIAM, in qua vitalem nos omnes ſpiritum ducimus, tuâ ſacra cuſtodia & tutela, adverſus omnem malignantis fortunæ impetum & occurſum, fortiter, feliciterque cuſtodire; noſque omnes, qui publice, qui privatim bonas artes & virtutem in templis, in foro, in ſcholis profitemur, paterna & potente tua dextra benignè ſemper tueri, protegere, & defendere velis! Per filium tuum dilectum, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM: cui ſoli ſit laus, honor, gloria, & gratia in æternum!

DIXI.

Hæ tres antecedentes Orationes ſunt habitæ Alcmariæ, cIↃ. IↃCLXIX. *Examine Vernali.*

ORATIO LVII.

In quâ agitur, de *Religione*,
De *patriæ Amantibus*,
De *fide publica*, De *fortitudine*,
Et *pudicitia*.

Habita à

JULIO vander MOERE.

Alcm:

NUper HH. Audd. fœda & horrenda vitiorum agmina in medium produximus, quorum ſcelerum magnitudo ac dira facies, credo,

do, adhuc recentes aures in stuporem et formidinem rapit. Nos, ut promisimus, hoc tempore, benigniore materiæ Zephyro sensus vestros demulcebimus: non Atheisias, non Epicuros, aut irriligiosorum hominum gregem, Turcas, Barbaros, in Theatro repræsentabimus. Silebunt, hoc loco, Tyranni, Superbi, Avari, Ebriosi, non cum patriæ proditoribus, cum Adulteris, cum Impudicis certamen nobis erit. Præteribimus Falsarios, Incendiarios, Calumniatores, Perduelles, de quibus præterito semestri, hi parietes & columnæ perstrepuerunt abunde. Nunc, ut pollicita nostra præstemus, post intervallum magnæ ac miraculosæ hyemis præteritæ, sub Auspicio Divini Numinis, nobilissimarum virtutum materiam aggrediemur. Ego autem à probitate veteris ævi exordium faciam; ut & corrupta ætas nostra videat, quantum ab exemplis antiquis in nostrum bonum ac imitationem trahere liceat.

Religio.

Religio divinique Numinis vera & cognoscendi & colendi ratio, basis & fundamentum est, quo omnis in Ecclesia sanctitas, altissimis defixa radicibus firmo semper talo consistit ac innititur. Sine qua nec justum, nec honestum inter homines unquam existere potest, quæ ut in animis unius cujusque nostrum feliciter floreat, vigeat, luxuriet, unice à Deo Optimo Maximo est exoptandum. Nos, hoc loco, in Gymnasio nostro, sæpius Christianam pietatem descripsimus, illamque juventuti commendavimus, ut nobis nunc non sit propositum illa sacra & sacella attingere, ut dixi, exterarum gentium virtutes, moresque rectos ac ingenuos, quibus illæ huic nostro sæculo pro pudor! prælucent, in conspectum dabimus. Romanis, rerum dominis, adeo Deorum metus fuit injectus, tantaque veneratione in eos pro-

penderunt, ut nihil prius, nihil posterius his fuerit cœlestium siderum, atque oraculorum observatione. Nihil unquam facturi inauspicatò, nihil sine ominibus, & præsagiis; nihil sine auguribus, sine auspiciis, aut sacerdotibus. Quare de Jove, de Junone, de Sybillis suis; de Ægereâ, de Pheretrio, deque infinitis aliis Dis & Deabus plena illorum sunt scripta & historiæ. Nos carptim inde aliquot exempla nostri usus in medium proferemus. Primum mihi ex hoc longo agmine occurrit *Cneus Metellus*, qui Posthumium Consulem, eundemque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum, Africam petentem, ne à sacris discederet, mulctâ indictâ urbem egredi passus non est. Huic adjungo *Publium Licinium* pontificem maximum, qui virginem vestalem, quod quadam nocte parum diligens fuisset in sacro igne custodiendo, flagris fecit admoveri. Consimili ratione *Alexander*, qui, Melesiâ ab eo captâ, milites, qui templum spoliaturi irruperant, flammâ objectâ, oculis privavit. Nescio, an non omnes hosce *Cneus Fabius* antecesserit: hic, Gallis Capitolium obsidentibus; ne solenne Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humerisque sacra gerens, per medias hostium stationes, in Quirinalem collem pervenit, ubi omnibus primum sacris peractis, tandem victor in Capitolium rediit. *Agisilaus*, quoque Spartæ Rex, qui delubra etiam in hostico sita non minus violare voluit, quam quæ in solo amico. Magnâ, quis nescit? Religione *Carolus Quintus* fuit, qui multâ vitæ sanctimoniâ, præsertim jam senior, preces ipse composuit, quibus in præliis assidue usus est.

Patriæ Amantes.

Sacra autem Religio, quem imprimis fructum haberet majorem, quam ut patriæ amantes, Reipub-

publicæ *fideles administratores*, in publicum bonum immittat? ex horum numero primus mihi occurrit *Marcus Curtius*, qui, cum Romæ in mediâ parte fori repentino hiatu terra se aperiret, ille animi & generis nobilissimus adolescens, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit. Nec illo inferior fuit, *Lippus Gennucius*, qui cum se Regem futurum audivisset, si in urbem reverteretur; quod ipsum ne accideret, voluntarium ac perpetuum sibimet indixit exilium. Nec *Publius Decius*, qui, cum Latino bello, Romanam aciem inclinatam, pene jamque prostratam videret, caput suum pro salute Rei publicæ devovit. Hujus quoque *Filius*, in quarto consulatu, patris exemplum secutus, simili devotione, labantes perditasque Romanorum vires correxit. Illis merito attexendus esset *Scipio Africanus* superior, qui tribunus militum, admodum juvenis stricto gladio, mortem unicuique minitando, jurare omnes se nunquam relicturos patriam coëgit. Et cum Phocione, *Aristides*, *qui* ab Athheniensibus missus in exilium, sublatis in cælum manibus, deos comprecatus est, ut ita res Atheniensium prosperarent, ut illis nunquam Aristides in mentem veniret.

Fides Publica.

Juxta singularem hunc patriæ amorem, *venerabile Fidei numen* se offert. Ubi nova iterum messis occurrit insignium virorum, qui multò optabilius habuerunt, de vitâ decedere, quam vel latum unguem à Fide semel datâ turpiter recedere. In hac tam præclarâ virtute, tu imprimis plurimum excelluisti *Superior Africane*, qui captam aliquando Carthaginensium navem prætoriam, cum ipsis inviolatam demisisti. Nec minus ab hoc insigni facto, vos illustrem famam & nomen promeruistis,

tuistis, *Cneë Appromi* & *Æmili Lepide*, tuque imprimis magne *Regule*, & plures alii, qui sanctissimæ Fidei constantiam semper sartam tectamque conservastis. Possem hoc loco, debitam suam laudem obsessis *Petellinis* non denegare, si non erubescerem nimiâ dicendi libertate Amplissimorum virorum aures defatigare.

Fortitudo.

Magnæ quoque & illustres illæ heroum animæ, *qui gloriosâ suâ Fortitudine*, toties in hostem probatâ, prorsus se immortales effecerunt. Inter quos jure commemorem *Horatium* illum *Coclitem*, qui, extremum pontis Sublicii partem occupans, totum hostium agmen, donec post tergum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit. Quamvis primum hic locum suis auspiciis tenere debuisset *populus Romanus*, ejusdemque gentis Stator & Autor, *Romulus*, qui ab Acrone Cenenensium Rege, ad dimicandum provocatus, quamquam & numero & fortitudine superiorem crederet, suâ potissimum dextrâ lætum victoriæ omen accepit. Non separandi sunt ab hoc singulari virtutum concursu & certamine, *Valerius Corvus*, *Scipio Æmilianus*, *Æmilius Scaurus*, &, ante omnes hac laude dignissimus *Julius Cæsar*, qui fortitudinis suæ mirifico exemplo orbem terrarum in stuporem dederunt.

Pudicitia.

Quantus hic se campus aperiret, *si Sophroniam Lucretiam*, si *Euphrosynam*, ausus essem, retectâ cortinâ, in theatrum producere, quibus æternitatem nominis ipsa *pudicitia* conciliavit.

Verecundia. Constantia.

Si *Julium Cæsarem* laudarem à *Verecundiâ*; *Alcibiadem*, *Catonem*, ab iisdem virtutibus; à *Clementiâ* & *Constantiâ* Senatum Romanum, qui legatis, qui ad captivos redimendos

in

in urbem venerant, protinus, nullâ pecuniâ acceptâ liberos demisit; qui Syphacem opulentissimum Numidiæ Regem, quoque catenis vinctum, in custodiâ Tiburi mortuum, publico funere sepelire mandavit; qui Masinissæ filium, jam captum atque ægrum, post valetudinem ejus bene curatam, patri remisit: Si plura ejusmodi argumenta hoc loco, cuperem in medium proferre, vereor:

Ante diem clauso componat vesper Olympo.

Applicatio.

Quem non afficiat meritò H: A: ista memorabilium virtutum sacra apud omnis gentes memoria, quæ tam divinæ & excellentes fuerunt, ut unumquemque nostrum magnâ delectatione affecerint. Rude hominum vulgus omnia ista contemnit ac despicit, quæ sapientes summo in pretio ac æstimatione ponunt: quid enim *Atheistis*; quid incredulis illis cum *Pietate*? cum *Religione*? quid, inquam, illis cum vero divini Numinis cultu! sanctissimos Dei cultores pro nihilo & ludibrio habent. Vates illos cœlestes clarissima *Prophetarum* nomina, *Mosem, Davidem, Salomonem,* & reliquum illum sacræ cohortis apparatum, velut infaustas & inauspicatas quasdam aves & spinturnicia, oderunt ac detestantur. Non affecti in aliquam partem fide & Religione insignium virorum, quos veteri isto seculo vere commendavit pietas, divinæque voluntatis generosum obsequium. Pudet dicere, taciteque apud animum cogitare, quam etiam in reliquas virtutes improbi isti homines male semper judicent: quam ægre nolint agnoscere, principum virorum egregia facta: quæ pro patriæ amore, pro libertatis defensione, pro uxoribus & liberis in publico sæpe ostenderint. Rident, propudor, *Phociones, Brutum, Themistoclem*; *Auriacos*, & *Nassovios* nostros,

ſtros, quod ſe tantis periculis objecerint, tantaſque animi procellas pertulerint, ſolo patriæ ac religionis amore. O homines vere inanes & inertes, qui tam improbam ferunt ſententiam, de inclytis illis Heroibus, quos omnis ætas & poſteritas ſempiterno ſemper honore & annalibus condecorabunt Utinam, utinam! plures ab aureâ illâ ætate extarent, qui *publica fide* inſignes domi foriſque civitates regerent. Quorum virorum hoc noſtro ſeculo magna, certè eſt inopia & caritas. Quando plus valet cretata ambitio, vanique honoris exiſtimatio: quàm omnes illi apud Græcos, *Solones*, *Ariſtides*, Epaminundæ: quam totus ille apud Romanos ſapientum cœtus, *Falij*, *Fabricij*, *Marcelli*, ut vere cum Arpinate Conſule exclamare mihi liceat, *O tempora, O mores!* addam, ego, O improbitatem & Tyrannidem ſeculi noſtri inauditam! de quibus poſt Oratorem, malis maculiſque merito Poëta dixerit:

Pajoraque ſecula ferre
Temporibus, quorum ſceleri non invenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo.

Quis non omnibus mecum votis exoptet AA:, & nunc in ſummo honoris equeſtris pulvino ſedere viros illos *fortitudine*, *conſtantia*, *clementia* inſignes, de quibus paulo ante glorioſam, hoc loco, mentionem fecimus? qui tanta *animi moderatione* in cives ſuos propenderunt, tantâque *animi lenitate* erga ſubditos ſuos uſi, ut niſi cùm ſumma admiratione, vitam & facta eorum recenſeamus. Eſſe clèmentem erga unumquemque, ſummorum operum gloriæ certamen illi judicabant, cives cum civibus de virtute certabant. *Conſtantem* eſſe in fide ſemel datâ, hæc ipſi cœlo & cæleſtibus accepta referebant. Illæ gentes à vita & fortunis abire, quam partam virtutis ſuæ gloriam turpi quodam facto amittere voluerunt.

Hæc,

Hæc, *Ornatißimi adolescentes*, si æmulari aliquando possimus, ô quam beatam, quam felicem hic primum in terris, in luce omnium gentium ac populorum, postea in cælis, in conspectu Angelorum divino, vitam fortunatam omnibusque numeris perfectam instituemus!

DIXI.

ORATIO LVIII.

In qua agitur

De Sobrietate. Gloriæ cupitate. Patientiâ. Disciplina militari. Censoriâ gravitate. Justitia

Habita à

GELLIO WIBRANDO A JONGESTAL.
Leovardiano Fris:

Illustrem tuam, *mi Collega*, de virtutibus materiam ex toto animo veneror ac deprædico. Affecisti omnes sensus nostros elegantium ac prope divinarum rerum jucundâ recensione, quod gratissimum, & suave fuit, toti spero, auditorio quodque in divinas istas historiolas nos amœnissime divertere, feceris. Cuperem, certe, similis materiæ auditor esse non in paucas diei horas, sed in solida tempora, & totas noctes.

Lucida dum current annosi sidera mundi.

Sequar nunc tua, *Amicißime Collega*, vestigia, & ex eodem virtutum hortulo amœnos aliquot flores, ejusdem odoris & argumenti, decerpam: Non dubito quoque, quin aures acres, & benevolum auditorem sim habiturus.

Sobrie-

Sobrietas.

A *Sobrietate* & Temperantiâ illustrium virorum jure meritoque initium facio, quæ virtutes adeo libero homine sunt dignæ, ut cuivis pro fundamento maximarum rerum necessario esse debeant. Sine quibus columnis, & benè instituendæ vitæ nostræ fulcris, nihil honestum, nihil utile, à quoquam aut privatim, aut publice, geri potest. Quod prudenter judicabat *Zeno*, qui aquam loco vini bibebat. Et *Artaxerxes*, qui in fuga, direpto commeatu, pane hordeaceo vescebatur. Deos superos inferosque testatus, quod hactenus tantæ voluptatis fuisset expers. Quibus proxime adjungo *Anaxerxem*, cui sola fames ac esuritio pro pulpamento fuit, cui solum cubile, vestis scutorum tegmen. Et *Lydorum regem Gygem*, quæ Valerii Maximi verba sunt, *qui magis probaret securitate ridens tugurium, quam tristem curis & sollicitudinibus aulam: Paucasque glebas pavoris expertes, quam pinguissima Lydiæ arva metu referta: & unum aut alterum jugum boum facilis tutelæ, quam exercitus, & arma, & equitatum voracibus impensis onerosum.* Singulari quoque sobrietate fuit *Constantinus* Imperator, qui, nunquam gustasse pomum, dicitur, nunquam nares in publico extersisse, nunquam spuisse. Quo non inferior divinus *Sophocles*, qui per omnem ætatem continentissimè vixit. Nec *Epictetus*, nec *Diogenes*, nec *Cyrus*. Quorum alius pane oleribusque contentus, & simplici pallio duntaxat usus, humi jacens somnum capiebat. Alius rogatus, quid cœnæ sibi vellet apponi, Respondit: *panem tantum, sperare se prope aquæ fluentem rivulum brevi cœnaturum.* O virtutem eximiam atque generosam! quæ si nobis, pariter esset nota & adamata, quam tu ingentia caperes beneficia, felicissime mortalis.

Gloria.

Gloriæ cupiditas.

Comitatur egregiam hanc animi dotem, quam neque silentio preterire debeo, & quæ ab omnibus unicè amplectenda, æterni nominis *gloriæque* sempiternæ *cupiditas*. Quam si quis turpiter negligere, aut contemnere ausit, profectò, exterminandum illum censeam ex consortio liberalium ingeniorum. Hæc virtus præclarè illuxit in *C. Cæsare*, qui Alexandri res gestas, ubi in Herculis Templo delineatas videret, mœstissima voce ingemuit, quasi se ipsum accusans, *quod, hac ætate, nihil adhuc laude dignum egisset*. Et in *Alexandro* ipso, cui insatiabile gloriæ pectus à teneris insitum fuit: *dolens se nondum unius mundi esse victorem*. Quid autem de *Themistocle* dicam? cui Milthiadis trophæa vix somnum capere permittebant. De *Manlio Capitolino*? qui famam bonam, quam magnam malebat. Quid de *Hannibale*? quando dicere solebat:

Mihi magna satis sat vera superque
Bellandi merces sit gloria, cætera vobis
Vincantur.

Omitto divini *Thaletis* animum, celsitudine gloriæ nulli unquam cedentem. Omitto *L. Sullam*, *Africanum Superiorem*, *Theseum*, *Julianum*, quos omnes incredibilis famæ nominisque ardor occupavit.

Patientia.

Qui, hoc loco, præterire possem, non indigna hoc theatro nomina, *Pompejos*, *Philippos*, *Alexandros*, qui, præter insignem gloriæ laudem, etiam sui æstimationem merentur, ab illustri virtute *Patientiæ*. Quæ adeo sæpe maximis ingeniis fuit propria atque insita, ut hac ipsâ non obscurum sui in fastis & Annalibus nomen comparaverint. Hac notâ imprimis nobis memorandus est *Pompejus*, qui dum legationis officio fungeretur, & à Gentio interceptus, cum senatus consilia prodere jubere-

tur,

tur, & à Gentio interceptus, cum senatus consi-lia prodere juberetur, *ardenti lucernæ digitum cremandum præbuit.* Simili patientiæ præconio efferendus Macedonum Rex *Philippus*, qui calumniam Nicanoris adeo leniter patienterque tulit, ut, amicis de illo male loquentibus, ille dixerit, *Nicanor non est Macedonum pessimus.* Quis credat apud barbaros homines, apud rudes *Indiæ* populos, hanc quoque virtutem summo in pretio atque honore haberi? Cum inter illos quoque reperiantur tam obstinatâ animi patientiâ, ut omne vitæ tempus nudi exigant. Modò Caucasi montis glaciali rigore corpora sua durantes, modò se igni flammisque sine ullo gemitu objicientes. Hujus patientiæ æmulus fuit *Anaxarchus*, qui, cum à Tyranno torqueretur. Non erit, inquit, effæminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis, *protinusque dentibus abscissam, & commanducatam linguam in os ejus exspuit.*

Militaris Disciplina

Proposueram mihi H. H. A. A. Principis populi disciplinam militarem in medium producere, & de *Publio Rupilio*, de *Q. Fabio Maximo*, de *Carthaginensibus* non injucundum sermonem instituere; dictatorem *Papirium*, *Africanum superiorem*, *Manlium Torquatũ*, & generosissimos nostros *Auriacos*, *Nassovios* in tabulâ ad vivũ depingere.

Censorea gravitas.

Nec non de *Censoriâ gravitate*, *Posthumi* & *Camilli*, de *Junii bubulci*, & de *Antonii Flacci* virtutibus plenam paginam perorare, sed vela colligo, & , bonâ cum veniâ, omnia missa hæc facio.

Totus tamen erubescerem, si non aliquâ parte attingerem tuam, *O Divina Justitia*, majestatem, quæ adeo in generosis multorum pectoribus insita insculptaque fuisti, ut nostra ætas is hominibus, vix de tantâ virtute & æquitate fidem & memoriam

moriam relinquas. Cujus divinitatis monumenta si in tabulis nitidè possem depingere, quàm multos tui, ego admiratores meritò post me relinquerem! Notum est in populo illud *Zeleuci* plus quàm laude unâ dignum exemplum, qui, cum filius ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum, utroq; oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris, pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit. Ad ultimum verò precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum videndi utrique reliquit. Nec minus illud *Charundæ Thurii*, qui, ut seditiosas civium conciones pacaret, lege cavit, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuò interficeretur. Videte ingentem viri animum. Leges, quas sanxit, transgredi noluit. Et quando eas ipsas temerè transgressus esset, idem ego illas, quas constitui, aliisque præscripsi, salvas esse volo. Ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit. Pulchrum quoque est *Senatus Romani* exemplum Camillo consule: qui cũ Faliscos circumsedisset, Magister ludi plurimos & nobilissimos inde primos, velut ambulandi gratia, eductos in castra Romanorum perduxit. Quibus interceptis non erat dubium, quin Falisci depositâ belli gerendi pertinacia, tradituri se Romano Imperatori essent. Quid factum? Censuit Senatus, ut pueri, vinctum magistrum virgis cædentes, in patriam remitterentur. Quem latet ex eruditis, illud nobile justitiæ exercitæ exemplum in *Timocharem Ambraciensem*? Ille Fabricio consuli pollicitus, se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum. Ea res cum ad senatum esset delata, missis legatis, Pyrrhum monuit, ut adversus tales insidias cautius se gereret. Memor, urbem è filio Martis conditam, & armis bella, non venenis gerere debere.

Omitto

Omitto hoc loco, dicere de *Crasso*, de *Themistocle*, de *Collegio Tribunorum* apud Romanos. Quæ historicus noster pulchro ordine descripta memoriæ posterorum relinquit. Quæ si nos apud animos nostros taciiè expendamus, O quam pulchram, quam excellentem divinæ justitiæ imaginem præ oculis haberemus!

Applicatio.

Hæc quoque illustria virtutum exempla, H. A. quem non jure meritoque affecerint summo gaudio ac delectione? videor pene extra me rapi, quando singularia hæc ad virtutem monita & monumenta apud animum mecum revolvo. Primi, quos in theatrum produxi *sobrii* & *temperantes* fuerunt. Quorum tanta apud bonos æstimatio esse debet, ut nihil cum divinis istis thesauris, cum animi corporisque abstinentia, dico, comparari in hac vita possit. Quæ omni ætati, juvenibus, viris, senibus, omni sexui, puellis, virginibus, matronis, semper summa est dignitas & excellentia. Nam transilire Liberi patris terminos, vino & temulentiâ essegravem, quid turpius? quid detestabilius? *Vita sicca sapientissima est.* Et ut veteres dixerunt, *ebrietas voluntaria est insania.* Abite, vos calicum remiges, vos sordidi improbique *Edones*, *Bibones*; vos turpes *Tiberii*, *Beberii*, *Bicongii*, *Tricongii.* Vos verò, optima cœlestum proles, in animos mentesque nostras pertransite, *Fabricii*, *Catones*, *Cincinnati*, à quibus jugiter discamus, quod nihil sit melius, nihil utilius, nihilque honoratius, demissa de cœlo, sobrietate.

Cæterarum verò virtutum, quàm exigua atque brevis sit supellex, docet nos pro pudor, quotidianæ vitæ institutio: Ubi nihil minus obtinet, quam veræ gloriæ & laudis cupidum esse: Quibus ita affici debemus, ut nihil illa virtute nobis prius, nihil

hil posterius esse deceat. Equidem summa est virtus in homine memoriam sui nominis, quam maxime longam efficere. Quæ animorum ornamenta, deteriore hoc ævo, tam parvi fiunt, ut multi inclarescere malint, nescio, quibus animi sordibus maculisque; quam egregiam patientiæ laudem cum illustribus viris, profiteri. Illi non pluris in vulgo æstimantur, quam otiosæ terræ pondera, & ridicula aliquot capita male feriatorum hominum. Quasi verò in domandis refrenandisque affectibus, nihil prorsus egregiæ laudis sit situm. Quæ barbatulis Philosophis superstitiosa quædam consuetudo. Judicantes pessimè ex innatâ homini lege, illos sui ipsorum hostes & inimicos esse, qui non libre suo genio quid permittant, & pravas suas quascunque voluntates ex proposito exerceant.

Si verò Disciplinam militarem, si sic veritatis Censoriæ gravitatem, cuiquam præscriberemus, longissime abesset, ut inclytos illos heroas illustri exemplo imitaremur. Vapulant illæ nunc virtutes apud inanes & ignotas hominum mentes. Quæ quàm egregiæ atque excellentes sint, merito que ad usum à nobis traducendæ, statum vivis ad oculum exemplis ostendimus. In tanta enim hominum multitudine, in tot rebus diversis, tot casibus iniquis animum suum regere non posse, ut sic dicam, prudentiæ habenis, O quam jure meritoque dolendum! equis indomitis similes tunc sumus, qui, ubi auriga, curru excussus, deest ac deficit, non intra rectam suam orbitam continentur; sed per saxa, per præcipitia, insanientium belluarum instar, feruntur.

At verò *sanctiss. ma Themidos Templa* quàm paucos, hoc sæculo, sui cultores habeant, quis aut dicere, aut docere in publico nunc ausit? Bonæ leges adeo in contemptum venerunt, ut vix Romani

juris vestigia usquam in commercio Hominum, Forique Tribunalibus invenias. Dormit nunc Lex Julia, in adulteros; Lex Scantinia in Cinædos & Pathicos; Lex Cornelia, in Sicarios. Paphia, Famia, aliæque bonæ Leges & exempla, quæ olim tantâ cum utilitate & modestiâ, cum à Lacedemoniis, tum ab Atheniensibus posteris sunt relicta. Quasi nunquam illæ leges apud populum in usu & consuetudine fuissent. Jacet, inquam, illud sanctum & venerabile Justitiæ nomen altissimè sub improbum pedibus defossum atque sepultum.

O Vos cœlo dimissæ virtutes! O si nostris quoque pectoribus altissimis defixæ radicibus, inhæreretis. Et vita hæc nostra mortalis illorum vitæ esset conformis, qui tantis virtutibus, domi forisque in togâ, in bello, in curia & templis, omni in loco, omnique tempore, uterentur. Tunc demum salva nobis esset Respublica, salvæ fortunæ, salvæ sacræ nostræ Pierides & studia, quæ jugi semper labore & sudore prosequemur.

DIXI.

ORA-

ORATIO LIX.

In quâ agitur de *Paupertate* laudata. De *humili loco natis. Gratitudine. Liberalitate. Pudicitia.*

Habita à

DOMINICO à EYONE à ROORDA.

Frisio.

PEnè tibi invideo, *mi Collega*, quod in celebri hoc conventu hominum, tam illustrem dicendi materiam sis consecutus. Quæ omnium, credo, animos aurefque tanquam sesamo & papavere conspersit: Alexander Magnus ex honesta æmulatione invidebat patri Philippo victorias. Ego quoque tibi *mi Collega*, qui tam stupendo, supraque modum singulari argumento es usus, hunc fortunam invideo. Sed plures mundi restant, quos invisere nobis & invadere licet. Mihi parvo Macedoni etiam aliquid superesse ad laudem confido, quod desiderii mei magnitudinem explere valeat. Nondum omnia dixistis *mei Collegæ*, restat ingens adhuc campus & area, in qua vela mei quoque ingenii liberè explicare possim.

Paupertas.

In primo mihi vestibulo laudata, apud Romanos, & Græcos, *Paupertas* occurrit. Quæ non, ut hodie, in turpitudinem alicui objicitur; sed inter maxima illustrium virorum ornamenta ducebatur. Quod ipsum in *Aristide* videre licet: cum

non posset domestico sumptu funerari, illum, honoris ergò, à Rep. obtinuit. Hic & *Phocion*, qui magnorum exercituum ductor, paupertatem gloriæ sibi duxit. Et *Epaminundas*, qui unicâ contentus vestè, publica, ob inopiam, impensâ à Thebanis honorem sepulchri accepit. Quid loquar magna illa nomina, *Socratem*, *Homerum* pluresque alios, qui præter se ipsos nihil possederunt. Pauperras quoque *Poplicolas*, *Æmylios*, *Scipiones* produxit: Qui tamen fidis domesticæ penuriæ uberibus, publicam imperii gloriam nutriverunt. *Poplicola* ille Regum exactor, & *Menenius* publicæ pacis arbiter, sui quoque præstare funeris expensas non potuerunt. Paupertas *Curios & Fabricios*, contemptis Regum Principumque muneribus, fictilibus suis contentos esse docuit. Illa ipsa *Scipionis & Val. Levini filias*, ob domesticam inopiam, non à maximis matrimoniis virisque illustribus avertit. Illa æterno honori atque gloriæ principi terrarum populo exstitit. Adeò, ut nec *Crassi*, non *Syllæ* opes, nec *Cæsar* & *Pompejus* plus utilitatis Romanæ genti attulerint, quàm istorum hominum divinæ virrutes, quas in incunabulis suis paupertas produxit.

Neq; mirum aut novum id nostri sæculi mortalibus videri debet. Quia *populus Romanus*, aurea illa ætate, non nisi optimis moribus institutus, ad modestam & temperantem naturæ legem vitam suam instituebat. Quod in *Marco Curio* apparet, qui exactissima frugalitatis fuit norma. *Quem Samnitium legati in ligneo cænantem catillo spectarunt.* Et, quandò ingens auri pondus ad eum publice missum attulissent, *supervacua*, inquit, *ista nobis sunt sarcinæ, Marcus Curius mavult locupletibus imperare quàm dives fieri.*

Humili loco nati.

In tantis domi forisque virtutibus, quas prisca illa

illa ætas exercuit, quis dubitet, *humiles* quoque *natales* nascendique conditionem in vitium alicui & opprobrium cessisse? nullum in eo discrimen, aut contemptus. Quemadmodum in *Tullio Hostilio* liquet, cujus incunabula agreste tugurium cepit: Ejusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata: Validior ætas imperium Romanum rexit, & duplicavit: Senectus excellentissimis ornamentis decorata in altissimo majestatis fastigio fulsit. Huic nobilissimus & animi & generis *Servius Tullius* quoque accedit, in quo fortuna præcipuè vires suas ostendit: Serva natum, huic urbi Regem dando: Servili cognomine, & Regia appellatione. Et in *Terentio Varrone*, qui ex macellariâ patris tabernâ, ad honorem consulatus pervenit. In *Porcio Catone*, qui nomen suum Tusculi ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. O sæculi istius felicitatem, admirandam! O dignas solio suo virtutes!

Gratitudo.

A quo fonte *Probitatis* quis dubitet infinitas alias cum animi tum corporis dotes ad posteritatem redundasse? Quandò princeps ille populus ubique locorum, in omni re & occasione talem se præstitit, ut meritò sui nominis immortalitatem per omnium temporum ac ætatum memoriam latissimè dispergat, Invenio in *Q. Fabio Maximo* dignum imitatione exemplum; & in *Q. Mucio* qui ubi temerè inito certamine, pestiferum habiturus exitium, subsidio Fabii conservatus: quem propterea patrem appellavit, & à legionibus suis patronum salutari voluit. *Mitridates* quoque Rex mirificè gratus apparuit, quoniam pro Leonico acerrimo salutis suæ defensore à Rhodiis navali pugna excepto, omnes hostium captivos permutavit, *satius esse existimans ab invisissimis circumveniri quam bene merito gratiam non referre.* Eodem

animo gratum se præstitit erga populum Romanum *Attalus* qui pro acceptis beneficiis populo Romano universam Asiam legavit.

Liberalitas.

Hinc, non mirum, ipsa *Liberalitas* & *Pudicitia*, bonis auspiciis in lucem venerunt. In liberalis animi virtute ostendenda primum mihi occurrunt *Alphonsus & Sigesmundus.* Quorum ille decem aureorum millia amico donavit. Alter quadraginta aureorum millia in viros doctos distribuit. Hos imitatus est *Dionysius*, qui melius judicabat addere semper aliquid subditis, quàm adimere. Et *Artaxerxes*, qui, ad felium ingressus, conspectâ vasorum aureorum multâ supellectile, *non est in te*, inquit, *regius animus*, *qui hisce poculis non collegisti tibi gratiam, præstantium virorum.*

Pudicitia.

Etiam *Pudicitia* tanto fuit in pretio atque existimatione, ut magni quoque Reges Principesque illam summè honorarint atque exercuerint. quod in *Theodosio* manifestè apparet, qui severis legibus prohibuit, ne aliquis nudatus publicos oculos incestaret. Quarè & *Pithias* aliquandò, interroganti, quis color ex omnibus coloribus esset pulcherrimus, Respondit: *iste est color, qui ex verecundia provenit.* Igitur ex verò Historicus noster, qui *castitatem omnis honesti consilii, solemnium officiorum tutelam innocentiæ magistram, omni tempore favorabilem præ se vultum ferentem appellavit.* Huic quoque affinis est *Demades* qui Pudicitiam summæ honestatis fastigium in muliebris pulchritudinis arce sapienter collocavit. Sed ne in infinitū crescat Oratio mea, exemplorum hunc fontem & scaturiginem hîc nunc claudere mihi propositum Collegis meis non invidendam quoque messem dicendi relicturus.

Appli-

Applicatio.

Hæc eſt illa area& arena *Nob:Amp:Aud:* in quâ meas, hac horâ, viriculas, tanquam probus Athleta exercere debeo. De *laudata paupertate*, de *frugalitate*, de *innocentia* veteris ævi verba feci. Quæ virtutes ſi pari modò ipſis civibus in uſu eſſent, ô quàm omnibus honoribus cumulatam vitam inſtitueremus ſed quod jurè meritoque, eſt deplorandū, nihil ab hâc perfectione virtutum in præſens hoc ſeculum noſtrum redundat. Quandò pro pudor? ſolæ divitiæ, ſolæque opes in cenſum & pretia veniunt. Quandò *nummorum parè aras ereximus & prima mortalium vota & cunctis notiſſima templis, divitiæ, ut creſcant; ut maxima toto noſtra ſit arca foro.* Pauperem verò eſſe ac deſtitui fortunæ præſidiis, ampliſſimo patrimonio & pecuniis, ſummus proximuſque ad infelicitatem gradus ducitur. *Protinus ad cenſum*, *ut ait*, Poëta, *de moribus ultima fiet quæſtio.* Nunc eſſe Epaminundam, aut Phocionem, *quibus publicus cenſus erat magnus privatus brevis*, pœnè in contumeliam & vituperium tibi cedit.

Nunc unde habeas quærit nemò ſed oportet habere

Vis in ſublimi poſitus eſſe? pecunia illo te facilè promovebit; vis ſupra vulgus in pulvino equeſtri ſedere? *de pulvino ſurgat equeſtri cujus res legi non ſufficit.* Vis toga, vis pilio, vis aureo annulo eſſe inſignis? proſtat illa nobilitas prece ac pretio venalis. Quarè ex animo veſtris fortunis ingemiſco, ô divini vates: Quibus magna ingeniorum excellentia eſt foris; ſed domi inopia, eſuritio, paupertas.

Pertranſeo à fœdiſſimo hoc vitio& flagitio ad divinam virturem, *Gratitudinem.* Quæ an magis locum alicubi inveniat quàm honeſta paupertas, jurè ſubdubitem. Tanta enim è ingratorum hominum ubique frequentia, ut citius in Cœlo enumeres

meres ſtellas & vaga ſidera, quàm aliquem inveneris, qui pro acceptis beneficiis, pro favore & amicitia præſtitâ vel nudas homini gratias retribuat.

Eodem modò cum ſanctâ *Liberalitate* de quâ verba mox fecimus, pro pudor! res ſeſe habet. Cujus ne quidem rivulos uſquam invenias à magno illo, ut ſic dicam, oceano priſcæ illius liberalitatis ac beneficiorum. Clauſi ſunt iſti fontes in bene meritos. Et ſæpè mali indè meſſem metimus undè plus quàm aureos montes exſpectare deberemus. E heu! quantum dedecus huic noſtro è ævo, vitiorum alimenta ac venena ubicunque locorum nos reperire; virtutum verò lætam ſegetem in convallibus ſuis tam raram ac ſterilem conſiſtere. Modo admirati fuimus antiqui ævi felicitatem, quandò viris ab humili loco oriundis tantæ dignitatis altitudo evenerit. Quandò pro maximo cenſu habebatur ſi quis à deſpectâ fortunâ aut à tenui majorum ſalino ad ſummæ dictaturæ majeſtatem vocaretur. Quæ nunc ad ſuum uſum revocare puto idem eſſet, quod nova deliramenta & nugas loqui, cum ſummi honoris apicem ſolum illi invadant, quibus aut inſana fori Ambitio, aut amplus pecuniæ modus ad præcipitium illud dignitatis benè ominatos gradus aditumque ſtruxit.

Ut nec Te, O Divina ſanctiſſimaque PUDICITIA, hoc loco, meritis nunc lacrymis deplorare deſinam. Superior, ut audivimus, ætas quàm tua Templa & penates venerata fuit? At nunc Sacella iſta quàm paucos cultores & alumnos inveniunt! Frigent priſci hujus cœleſtis Penelopes amaſii. Dudumque vereor, noſtra templa & tempora ab illis Aris, certè, patum ſancti ſibi relictum eſſe videant. Sapientiſſimo Philoſopho divino ſuo ore pro me concludente:

Pro

Pro Pudore, pro abstinentia, pro Virtute, audacia, largitio, avaritia vigent. Et vitia nostra quia amamus, defendimus, malumus excusare ista, quam excutere. Seneca.

DIXI.

ORATIO LX.

In quâ agitur de *Doctrina amantibus*, de *Diligentibus*. *Eloquentiæ vi. Præmiis Doctorum virorum.*

Habita à

TACONE JELTEMA
Bolswardiano.

VEreor H. H. A. A. ne jam audiendi patientiâ vos defessi, vix mihi quicquam de benignitate & favore vestro, ad Orationem meam cohonestandam, sit reliquum. Tamen, quia nobilissima mihi materia adhuc in manu, de quâ Collegæ mei nullam mentionem fecerunt, æque benevolentiam vestram exspecto. Cæterum, fateor, quæ dicta sunt, certe, suum decus & applausum merentur. Ego ex historiarum penu illa adhuc in medium proferam, quæ Amplissimo Auditorio, auribusque eruditis erunt, spero, dignissima.

Doctrina.

Feliciter benigneque mecum agit Præceptor meus, qui ex omnibus materiis atque argumentis, certè, non vilissimum illorum mihi demandavit. In Theatrum deducturus ejusmodi homines, qui sapientes & eruditi vocantur! Qui in

illa gloria & amplitudine exstiterunt, ut, pro merito, præmia illis attribuerint, qui præ aliis, in vulgo, ingenii majestate excellerent. Hoc cum non ignoraret, quantâ laude Doctrina esset æstimanda, *Robertus Rex Neapolitanus* dicere solebat: literas multò sibi cariores esse, quam Regnum. Et *Rex Alphonsus*, Cui Uniones & Margaritæ erant pro vili, Sapientiæ studia in pretio maximo. Quorum sententiam & judicium amplexus *Plato*, qui rogatus, quid discriminis esset inter doctos & indoctos, scitè respondit: quod inter medicos & ægrotos. Nec non divinus ille *Thales*, qui solum illos felices appellavit, qui animo essent eruditi. Nemo ignorat sapientissimi *Socratis* super hac re testimonium: qui pulcherrimum in terris animal, hominem Doctrinâ perpolitum vocavit. Nemo *Aristippi*, cujus hæc vox fuit: malle se mendicum esse, quàm nullâ scientiâ rerum esse imbutum. Quod cum animo *Juliani Apostatæ* satis alta radice esset defixum, Scholarum usu & Sapientiæ exercitiis interdixit: exinde certior redditus de Christianorum nomine & Familia penitus eradicanda. A quo non dissenserunt *Mitylenenses*, qui aliquos gravissimo supplicio affecturi, bonarum artium organa & instrumenta illis ademerunt.

Diligentes.

Igitur nemo miretur H. H. A.A. quod plurimi Literarum & *Doctrinæ amantes* exstiterint hoc nostro & antiquo ævo: qui summis sudoribus & vigiliis in id incubuerunt, ut ante alios recta ratione & eruditione eminere possent. Qui propterea longinqua itinera sustinuerunt; qui totas noctes insomnes egerunt; qui oculos vigilia defatigatos in opere semper detinuerunt. Talis olim *Pompejus Magnus*, qui Rhodum profectus, non erubuit Professorum januis adstare. Talis *Pytagoras*.

goras, qui, ad perdiscendas liberales artes, Ægyptum petiit. Talis *Cato Major*, qui, cum Eloquentiæ magnam gloriam sibi partam haberet, penè senex, Literas Græcas addidicit. Qui adeò Doctrinæ Cupiditate flagravit, ut & in Curia quidem, dum Senatus cogeretur, secum aliquid tacitè legeret ac meditaretur. Cui pari Zelo & studio respondet *Terentius Varro*, humanæ vitæ exemplum ætatisque spatium nominandus, cujus in eodem lecto spiritus operumque præstantissimorum cursus exstinctus est. Et *Livius Drusus*, qui ætatis viribus oculorumque adjumento destitutus, jus tamen Civile populo interpetrabatur. Ut nihil dicam de *Pontio Lupo*; de *Crasso Muciano* aliisque innumeris Philosophis, qui, ad indagandam rerum veritatem, cum *Democrito* in altissimum puteum se demerserunt. Aut, cum *Aristippo*, qui cibum in os ingerere obliviscebatur. Cum *Archimede* citius ensem jugulo excipiant, quam obsessas Syracusas cognoverint. Silentio involvo *Demosthenem*, *Ciceronem*, Oratores; *Alexandrum Magnum*, *Julium Cæsarem*, summos Imperatores: Quibus omnibus illa ingenii facultas & felicitas adfuit, ut nihil illustri studio artiumque Dignitati præposuerint.

Eloquentia.

Inter hæc Doctrinarum ornamenta, præcipuo loco, Regina artium *Eloquentia* collocata fuit. Illa Togatæ militiæ arma, quibus toties hostes subjugati, Civitates expugnatæ, exercitus deleti. Quemadmodum in *Pisistrato* videre licet, qui sola bene dicendi scientiâ Regium Imperium ab Athenensibus est consecutus. In *Theseo*, qui ex sylvis & agris populum Athenienſem in unam Civitatem congregavit: sola ad hoc usus flexanimæ suæ linguæ potestate. In *Xenocrate*, qui Polemonem, ab infami Ganearum nidore & popinis, ad

divinum temperantiæ studium permovit. O incredibilem & singularem Eloquentiæ vim! qua meritò prisci illi Oratores & Poëtæ ad immortalitatis possessionem pervenerunt.

Præmia Eruditorum.

His viris tam illustri ingenio & prudentia præditis, quis non ex merito *honores* & *præmia* constitueret? qui à Regibus & Principibus in tanto pretio sunt habiti, ut, juxta Deorum Aras & Sacrificia, sancti ac pene divini exstiterint: Ipse *Vespasianus*, etsi cætera parcus, ingenia tamen artesque ingenuas liberalissimis præmiis cohonestavit. Latinis Græcisque Auctoribus Annua Centena Sestertiâ pronuntiavit. *Scipio Africanus* adeo eruditorum hominum familiaritate delectabatur, ut Polybium Panætiumque domi militiæque semper secum habuerit. *Antoninus Pius* admodum largus & liberalis quoque fuit in præstantium Virorum ingeniis promovendis, qui Præceptori suo Frontonio statuâ in Senatu posuit. Præterea *Pompejum*, qui Possidonio lictorios fasces submisit, Cui se Oriens Occidensque antea submiserat. Et *Adrianum Imperatorem*, qui, ob decrepitam senectutem, muneri suo obeundo non satis idoneos, jamque emeritos magnis beneficiis affecit. O divinam principum virorum fortunam ac liberalitatem! qui tantis muneribus, privilegiis, Civitatis jure doctissimos homines, propter ingenii Doctrinæque præstantiam, tam benignè foverunt, honerarunt, aluerunt.

Applicatio.

Atque ita tandem, Amp. D.D. A.A. post longum iter, quod suscepimus in Sacra illa profectione ad Colchidem, ut inde aureum illud Virtutum vellus reportaremus, in optatum, spero, portum tuto deveniemus. Facturi idem, quod nautæ solent, qui puppibus suis Coronas præfigunt, quando

quando Servati à naufragio, *Vvida vestimenta suspendunt potenti Maris Deo.* Hoc verò unum mihi à *Collegis* est relictum, ut, pro more antiquo, præficam hic agam, deploraturus tristissimam Conditionem & fata Doctrinæ melioris. Quæ ut olim maxime fuit æstimata, ita nunc penè, pro derelicta habetur. Jacet illa pro pudor sub pedibus, & pro vili & nihilo apud plerosque censetur. Deus bone! quam Sacra nostra Pallas sub magnis quondam Regibus ac Mæcenatibus effloruit! quam in summo honoris gradu viguerunt *Sapientia*, & ingenuæ Artes! quæ Majestas, quæ, penè dixerim, divinitas circumfulsit Musarum nostrarum domicilium, Helicona! docent hoc æternâ memoriâ illustres illi Viri, quos in Theatrum produximus. Quando autem de Diligentium *ac vere Literarum Amantium præmiis* ac professionibus tacitus mecum recogito, totus, profectò, hilaritudine atque gaudio exulto. Nam nihil unquam est convenientius; nihilque præstantius, quam præclaris ingeniis parem gloriam & gratiam constituere; quam statuas & Trophæa tantis manibus erigere; quam omnibus locis & temporibus laudabiliter illorum meminisse; qui Reipublicæ Principumque laudibus suis laboribus & lucubrationibus immane quantum! utilitatis & famæ attulerunt. Imprimis autem quam *flexanimis illa Eloquentiæ vis* & divina dicendi copia laudem apud veteres promeruit; quæ digna, certè, fuit ut Græcos & Romanos sacra quadam æmulatione fatigaret. Quibus artibus, ut modò professi sumus, ipsa pene natura rerum in sui stuporem & admiratione, abripitur. Ut nihil hoc loco dicam de illustribus *Scholis & Gymnasiis*; de celeberrimis Academiis, ad quarum curam & tutelam accipiendam maximi semper Reges & Principes summâ cum industria animique intentione

advigilarunt. Ex æquo judicantes, felicem illam esse Rempublicam, *in qua aut Reges Philosophantur, aut Philosophi dominantur.* At verò horum temporum fata & funera, qui ausim verâ voce & vocabulo hic loci appellare! Bonarum Artium studia in exilium & barbariem ivisse videntur: pene que de illis conclamatum esset, nisi pauci adhuc existerent, qui fugientes illas Nymphas suæ benevolentiæ quasi laciniis, & bonis auspiciis, retinerent. Deum Opt. Max. piissimis precibus invocamus, ut id nobis largiatur, ne sapientiæ Doctores & Magistri, qui adhuc è clade hac Cannensi sunt reliqui ac superstites, ex toto exstinguantur. Sed Gymnasia & Academiæ, quibus inest ac debetur salus publica, diu in honore suo, atque merito gloriosè existant.

Sic tandem H. H. A. A. defessi ac defatigati longis laboribus hoc onus, quod in humeros nostros susceperamus, bona cum venia, in sinum vestrum gremiumque deponimus. Vos *delectissimi Commilitones*, oro rogoque, ut harum Virtutum vivam imaginem, quas in brevi tabella vobis depinximus, æterna cum memoria intimis pectoribus inscribatis. Deum immortalem in omni vita & ætate sanctissimis votis veneremini, ut hanc vobis mentem animumque ingeneret, ut vitiorum semper hostes sitis infestissimi, virtutum verò Custodes vigilantissimi.

P R E C E S.

Hoc ut sanctè & religiosè à nobis præstari possit, *Te*, *ter Opt. Max. in Cælis Deum purissimis manibus animisque in auxilium vocamus. Tu, O Magne Potensque Deus, ita ingenii nostri organa in omnes hasce Virtutes exercendas rege ac dirige, ut*

Reipu-

Reipublicæ semper usui ac honori esse possimus. Et monstra illa vitiorum, quæ, proxima vice, ad terrorem stuporemque audientium, in Theatrum produximus longissime à nobis propellere. Cæterum patriæ universæ, Patriæque Patribus omnia felicia, omnia prospera apprecamur: ut sub illorum ductu Ecclesia, Libertas, Civitas nostra perpetuò subsistat, vigeat, perennet! & seminaria illa sapientiæ, quas scholas & Academias vocamus, diu in flore & honore suo feliciter luxurient atque efflorescant!

DIXI.

ORATIO LXI.

IN LAUDEM ELOQUENTIÆ,

Habita à

GELLIO. WIBRANDO. à JONGESTAL.

Fris:

MAgna, *Nobilissimi, Amplissimi D. D. Auditores*, ingeniorum est varietas, magna indolis morumque hominis dissimilitudo; multiplici specie ludente in humanis animis naturâ. Itaque Deus Opt: Maximus studiorum varietate singulos homines discrevit; ut neque pictura pluribus coloribus & lineamentis rerum habitus discriminare potuerit. Nam, in tam patente liberalium artium campo, vix aliquis, vel pauci, ad eandem spartam & studia incumbunt. Diversis ingeniis in diversum quoque scopum ac aciem intentis. Invenias, cœlesti quasi flamma, incalescentes, qui divinis Thelogiæ mysteriis imbui

buisse cupiunt, & ad populum de sacro suggestu verba facere. In eo solum voluptatem ponentes, ut, velut juratum in hostem procedentes, in hominum perstringenda peccata animosè ferantur. Alios invenias, qui ad sacram Jurisprudentiam, illam humanæ societatis ac pacis tuendæ magistram, totis animis se adjungunt. Qui aliorum litibus ac injuriis disceptandis, intenti, legum volumina perdiscunt, gravique voce ac Eloquentiâ miseros clientes, eorumque causas protegunt ac defendunt. Non passi improborum iniquitatem, & malas artes in bene constitutâ Rep: dominari. Sunt multi qui curandæ hominum valetudini, tanquam alteri Æsculapii & Machaones, studiosissimè operam impendunt. Homines ad communem, certè, usum ac necessitatem feliciter nati & conservati. Nonnulli ita Philosphicis meditationibus & arcanis naturæ rerum examinandis sunt dediti, omnem in eo ingenii vim & industriam collocantes, ut cœlum terrasque subtili quadam mentis agitatione pervadant; nihil intactum penè relinquentes, quod non jugi & assiduâ cogitatione sui ingenii contemplentur. O laudabiles vitæ humanæ actiones! Quibus omnis semper ætas honestè incubuit. O vere dignos æterna laude & Annalibus homines! qui aliquo egregio opere intenti, hoc unum agunt, ut nominis sibi gloriam quàm maxime longam efficiant.

Sed hoc unum *H. H. D. D. Audd*: nunquam satis admirari possum, qui fiat, ut in tanta studiorum ubertate ac frequentia, tam pauci reperiantur, qui, solummodo cæteris artibus studiose defixi, unam Eloquentiam, quæ fons & radix est sapientiæ, tam parvo honore ac amore prosequuntur. Non videntes recto animi oculo, quantum ad conservationē generis humani adjumenti & præsidium hæc facultas divina in se habeat.

Quare

Quare visum fuit nostro *Praeceptori*, post tam infinitas materias, quæ, hoc loco, intra proximos annos, sunt pertractatæ, nunc in eo potissimum studio occupatos nos esse, ut bene dicendi facultatem juventuti commendaremus. Non, ut ab aliis disciplinis, quæ sui usum habent, quam maximum, plane abstineremus Sed ut optime nobis consulentes, ante omnia, perdiscendis eloquentiæ præceptis dies noctesque impenderemus: Sine quibus nullæ unquam artes feliciter exerceri possunt. Quæ studia, si cum divinâ historiarum cognitione sint conjuncta, profecto! ipsum sapientiæ domicilium invademus.

Ego igitur, hoc loco, *A. H.* contra seculi nostri pravitatem, jure ab injuriâ optime dicendi facultatem, eloquentiam, defendere mihi proposui. *Collega meus*, majore, forsan, facundia ac viribus, honorem & dignitatem adstruet veterum & recentiorum historiarum notitiæ. Certâ spe & exspectatione hoc ausi nobis polliceri, quod æquissimum, ad hoc argumentum, Auditorem, hac horâ, simus habituri.

Nulla, meo judicio, inter omnes artes, quas humana industria invenit, est præstantior, magisque ad omnia negotia, quæ domi forisque à mortalibus exercentur, necessaria, quam hæc disciplinarum omnium Domina ac magistra, Eloquentia. Cujus tam admirabiles sunt effectus; tamque divini & excellentes ingenii conatus, ut non immeritò extra nos rapi debeamus, quando vel minimam istius artis dignitatem apud animos nostros rectâ judicii lance perpenderimus. Quare hæc ipsa adeo apud omnes gentes & nationes æstimata semper fuit, ut sine illâ vix ullam doctrinarum partem in pretio ac æstimatione habuerint. Reliquis disciplinis illam adeo utilem ac necessa-

necessariam esse judicantes, ut si ab hac luce & authoritate non suum splendorem mutuentur, cæteræ omnes artes facile in contemptum adducantur, & potissimum sui decus ac bonitatem amittant.

Quæ, profectò! mortuæ mihi esse videntur, ac sine toris ac lacertis, quemadmodum putidum aliquod cadaver magnis avibus & canibus objectum. At si accedat ad alias animi functiones sapientiæ illa conciliatrix, Eloquentia, jam demum ipsæ facultates vivere & spirare divini istius ætheris auram videntur. Quid enim pulchrius esse potest, quàm orationem suam variare ac destinguere tot verborum scientiarumque luminibus, quibus auditoris animum in quamcunque partem permovere possis? Quid dulcius? Quid amœnius, quàm si paginæ tuæ, veluti nectaris quodam succo delibutæ, & sermones tui quasi loquendi phalaris ornati ac instructi? Quid denique dignius? Quid excellentius, quàm virum gravem, quando de summis maximisque rebus in foro, in Tribunalibus sit dicturus, in omni loco esse paratum, de quacunque re, teste Tullio, *apte, prudenter, copiosè, explicate, illuminate, & rebus & verbis numerose posse dicere?* Quare igitur valde male mihi facere illi videntur, qui cum habeant sæpe res maximi momenti ac ponderis, illa jejuno ac tenui sermone efferant, destitui omni venere ac puriore dicendi formulâ: quâ auditorum animos, veluti sesamo ac papavere, conspergere deberent. Inutiles prorsus ad persuadendum, quia nulla adsunt vincula & nervi Oratorii, quibus constringere ac detinere aliquem possint. Prorsus magna acturi, in magnis & præclaris rebus, si quando dictio ipsorum effloresceret aliquâ florum ac leporum in verbis elegantiâ.

Nunc risui penè omnibus & despectui, quia flac-

flaccescit, ipsorum oratio, nullo verborum colore, nullâ varietate formæ ac figuræ excitata ac illustrata. Madida enim & natantia verba sunt, quibus nihil expresseris, præter inutilem & plebejum opinionum succum. Et, ut Venusinus ait Poeta:

Si dicentis erunt fortunis ab sona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

Non igitur mirum divinæ Eloquentiæ à maximis, viris, maximas semper laudes & applausus esse datos. Apud Athenienses, *Demosthenes, Pericles, Pato, Lycurgus, Thucidides*, amplissimis honoribus sunt affecti. Apud Romanos, *M. Tullius Cicero, Cato Censorius, Scipio Africanus, Hortensius, Crassus, Sulpicius*, & innumeri alii; quorum tanta in dicendo fuit vis, ut Regum principumque gratiam ac favorem jure meritoque obtinuerint. Historici de *Thucydide* narrant, quod Atticæ linguæ lepos illum ab exilio in patriam revocaverit. De *Demosthene* quod adeo Eloquentiæ laudibus excelluerit, ut totam Græciam pro arbitrio suo vel ad pacem vel ad bellum commoverit. De *Menenio Agrippâ*, quod ille pop. Romanum, Vejos fugientem, bene dicendi suadâ in urbe Roma retinuerit. quas si ego eloquentiæ vires in hoc Theatrum pro merito ac admiratione sui producere conarer, dies mihi deficerent.

Quare non satis ego horum studiorum osores atque inimicos meritâ indignatione prosequi debeo. Ac jure juventutem nostram accusare, quod tantæ majestatis doctrinam non majore in pretio habeat. Quam omnis ætas ac memoria præstantissimorum hominum justâ semper laude depredicavit. Quæ adeo in omni parte Reip: est utilis ac necessaria, ut, si aliquò terrarum in exilium illa esset relegata non nisi summo cum triumpho esset inde

inde r vocanda. Alias artes, ut in principio diximus, multi homines summa cum industria exercent; solam Eloquentiam, quæ omnibus scientiis pro solido est fundamento, tanquam inanem & supervacuam rejiciunt. Nescitis, O lepidi homunciones, nullam ex omnibus artibus, existere, quæ sine eloquentiæ ornamentis unquam veram suam laudem atque æstimationem sit cosequuta? Nemo, ausim dicere, in aliquâ parte doctrinarum summa cum veneratione inclaruit, nisi primum optimis literis, & dicendi peritia fuerit imbutus. De *Calvino* apud Theologos, de *Cujacio* apud J. Consultos, de *Fernelio* apud Medicos, hoc apud omnes eruditos testimonium jam dudum invaluit: Quod nunquam summi illi viri ad tantam laudem & gloriam sui nominis pervenissent, nisi suam quisque facultatem bene dicendi artificio in illam celsitudinem produxisset. Quod adeo verum est, ut cum doctissimis authoribus jure id ausim asseverare, quod nemo unquam vere clarus & generosus ingenio exstiterit, qui non à purioribus Nymphis & optimè dicendi facultate summas sibi suppetias & auxilia comparaverit.

Jure meritoque igitur sapientissimi reges & principes hanc illustrium virorum memoriam sempiternis encomiis & monumentis honerarunt. Scientes, nullam ab eruditione immortalitatem esse certiorem, quam imprimis illam, quæ ab Oratoribus, quæ à poëtis & historicis humano generi in usum ac necessitatem est nata. Quod cum non ignorarent Græci, solidam ex auro statuam *Gorgiæ Leontino* erexerunt. Nec Romani, qui *M. Tullio Ciceroni*, non ob armorum peritiam, aut avorum imagines; sed ob dicendi scribendique copiam ad urbis suæ fasces promoverunt. Quam materiam & maturum honorem

elo-

eloquentibus viris semper concessum, cum nemo vestrum *H H. Audd:* ignoret, totiesque idem argumentum ex hisce rostris cum viva voce, tum scriptis in publico sit celebratum, feliciter, spero, ad finem meæ orationis deproperabo.

Vos igitur *Charissimi Commilitones*, ad quos potissimum spectat hæc mea oratio, antequam dicere, hoc loco, desinam; Vos, inquam, postremum hic alloquor, moneoque quantum in me est, ut divinæ eloquentiæ studia nunquam de manu deponatis, quæ quàm sint utilia, quàm necessaria, quàm omnibus modis præclare æstimanda, puto, ex authoritate clarissimorum hominum abunde satis cognovistis. Unum vobis è Romanis scriptorem maximum, Cornelium Tacitum propono, *qui nihil tutius esse*, ait, *quàm eam exercere artem qua semper armatus, præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, adferre possis.* Ad quam artem tam excellentem tamque divinam si accesserit historiarum & annalium, à tot retro annis, egregia cognitio, certè, è tripode & Oraculo dictum tibi puta, *Adolescens*, omnium maximarum rerum gloriam atque præstantiam jure assecutus esse videberis.

DIXI.

ORA-

ORATIO. LXII.

DE HISTORIARUM LAUDE

Habita a

JULIO vander MOERE.

LÆtor ex animo, mi Collega, quod nondum ex toto extinctos esse videam, in palladio nostro pulvere, homines quosdam egregios, qui favente supremo Numine, divina Eloquentiæ studia adhuc integra ac indelibata conservant. qui summa ope & assiduâ curâ, in id incumbunt, ut, priusquam ad ardua & difficilia studiorum præcipitia se componant, sapiente consilio à benedicendi artibus initium faciunt. Nam ubi deest Oratorius ille vigor, & rerum verborumque in sermone nitor ac splendor, frustra est ad arcana disciplinarum & solidam eruditionem se conferre. Meritoque metuendum, ne liberalioris literaturæ flos ac honos planè in tenebris marcescat. Rudis indigestaque moles, iterum cum Latio hoc sereno plus quam turpiter confundatur.

Quæ sola est causa, quod tam pauci verè literati viri, hoc seculo reperiantur. Ad alias enim facultates, illotis, ut dicitur, manibus, multi immaturè progrediuntur. Cum primum opera & industria fuisset collocanda in ingenuis artibus probè solerterque perdiscendis. Hinc illæ tunc lacrymæ, quod, pro feliciore studiorum messe, sæpe infelix lolium & steriles dominentur avenæ. Et ad cautes, ad scopulos allidamus, facto ingeniorum laborumque nostrorum tristissimo naufragio.

fragio. Quomodo enim in summis disciplinarum misteriis ac recessibus egregiè quis emineat, si, contemptis sapientiæ primis gradibus, statim ad inaccessa sublimium rerum arcana & adyta ingredi cupiat, absque ullo duce ac ductore? Igitur danda frequens est opera, ne quid intactum relinquatur, illarum artium, quæ potissimum superiori argumento ac studijs inserviunt.

Tecum sentio, *mi Collega*, qui cum nobili Eloquentiæ studio, conjungendam esse dixisti excellentem Historiarum cognitionem. Quæ duæ res maxime si à studiosissimo Adolescente in sapientiæ curriculo observentur, tunc demum rectâ & Regiâ via ad editi honoris templum incedere videbimur; nec quidquam tam difficile, tamque remotum erit, quod non facili opera & conata assequemur.

In quâ sententia H: A: cum & nos quoque æternum persistere decrevimus, cum tot illustribus ab omni ævo viris, qui facem literatis prætulerunt, dabo operam ego, ut, hoc loco ostendam, quam clarum & perspicuum sit cum ingenuis Eloquentiæ studiis necessariam ac utilissimam historiarum cognitionem conjungere. Etiam atque etiam rogo *A. H*, ut eâdem benevolentia, attentia, benignitate me prosequamini, qua collegam meum prosecuti estis.

Historiarum cognitio ingenuo & literato viro adeo est utilis & necessaria in omni suo opere ac proposito, ut sine illâ vix unquam in majore argumento feliciter versari possit. Hæc enim in tenebris ambulantibus lucem & lampada accendit, mentiumque caliginem, quæ à natura nobis adhæret, planè dispellit ac dissipat: in omni genere studiorum vivâ iterum imagine & exemplis genuinæ rationis in medium productis. Ibo, qua possum brevitate per ordines diversorum hominum,

num,

num, qui in Reipublicæ negotiis domi forisque sunt occupati; ubi, præter operas familiares & artium ingenuarum cultus & lucubrationem, principum virorum curæ & actiones se nobis offerunt. Quorum in consiliis adeò veteris ævi factorumque ratio requiritur, ut vix principatu suo cum laude atque gloriâ defungi possint, si non à face & lumine illo historico fides & veritas accedat. Quibus subditos suos Regnique custodiam, tanquam salutaribus remediis, moderetur. Tota enim illorum felicitas, sive in toga, sive in bello versentur, hisce potissimum fundamentis ac columnis initur; ut omnium ante se, temporum habita ratione & examine, inde maximorum operum similitudinem ac imitationem, perdiscant: Sine historia enim & contemplatione rerum præteritarum, omnes homines tanquam in Cimmeriis perpetuo tenebris hæremus; nunquam meliore edocti consilio, ad res nostras publicè aut privatim feliciter instituendas. Sine Historiarum fide nemo Religionem, nemo sacra ipsa, quæ cum salute nostra sunt conjuncta, satis unquam fideliter apprehenderet. Qui de maximis, inquam, rebus, quæ ad cœlestia animasque nostras spectant, nullam certitudinem haberemus. Sine hac, omnes qui nati sumus pueri essemus. Rudes omnino & ignari tot utilium rerum quas jam per divinam gratiam & Historiam interpretem, ipsa meridiana luce clarius intuemur. In novum quasi orbem formamque delati, à quo tempore lux illa Historica caliginosas nostras mentes illustravit.

A Regum principumque aulis & communi illa imperandi regendique utilitate, ad proxima magnatum studia & vitam me converto, ubi, quàm necessaria sit veterum annalium scriptorum memoria, quis unquam aut calamo aut voce exprimere sibi confidat? nemo ad legationes obeundas,

das, ad publica munia pro patrio bono suscipienda, satis utilis esse potest, si non & benedicendi facultate, & antiquitatum egregiâ scientiâ sit imbutus. Nemo res magni momenti in Senatu prudentissimorum hominum ad manus sumet, & magnificè de illis aget, nisi istis ingenii ornamentis bene fideliterque instructus & institutus, quare se talibus disciplinis aliquis in Ecclesia, in Foro, in Tribunalibus non mediocriter exercitatus, nescio, profectò, quomodo tam ardui argumenti provinciam ac spartam suscipere in se ausit, nam semper usu venit, ad præteritorum temporum memoriam respicere; & illustrium virorum dicta, sententias, facta, cum nostris actionibus & consiliis comparare, ut aliorum edocti, prudentia, & vestigiis, tanto melius de rebus nostris possimus judicare. Quotus quisque enim inter summos Magistratus, inter magnæ solertiæ & ingenii politicos viros vivere & versari debet, quomodo is ad disceptanda in comitiis negotia, ad componendas lites in curia, satis aptus & idoneus erit, si non veteris ævi scientia & exemplis singularem sibi prudentiam collegerit? igitur omni mea ratione & Oratione id teneræ juventutis animis auribusque insculptum velim, ut hæc maximarum scientiarum adminicula semper in pretio habeat.

Tanta enim est præstantia, tantaque dignitas divinæ historiarum cognitionis, ut si ex vero judicemus, nullas fateamur artes, magis unquam homini ingenuo convenire. Qui sine illa rerum gestarum memoria parum idonei sumus, ut ad amplissima in Republica negotia obeunda, cum aliqua utilitate admoveamur. Instar Oraculi habetur Vir Historiarũ cognitione excellens, à cujus ore, tanquam ab ipso Apolline, omnia ista haurimus ad virtutem exempla, quæ ad ullum negotiũ usui ac necessaria esse possunt. Qui velut promp-

P tuaria

tuaria quædam cella, ex vivo canali sui pectoris cuncta nobis aperit, quæ pristinis temporibus, à maximis viris ad præclare vivendum nobis sunt relicta. Quod imprimis, in tot Historiarum veteris ævi monumentis apparet, quæ ab ipsis mundi initiis cuncta illa ad posteros transmiserunt, quibus tanto eruditiores esse possumus. Si enim libet res Egyptiorum antiquissimas, Persarum opulentissimas, Romanorum, quæ omnium maximæ esse judicantur, contemplari, Historia nobis ad oculum istas proponit. Si virtutum, Si vitiorum campum, de quo præterito semestri, verba hoc loco fecimus placeat ingredi, videbimus in omni materia inexhaustam exemplorum copiam, quibus, honestis animis, vel ad virtutem accendamur, vel à vitiorum improbitate longissimè refugiamus. Occurrent nobis ab hac parte, *Scipiones*, *Alexandri*, *Marcelli*, aliique infiniti Reges ac Principes, qui FORTITUDINIS, qui MODESTIÆ, qui PIETATIS, facem nobis præferent: ab alia parte, *Domitiani*, *Caligulæ*, *Tiberij*, quorum facta & memoriam propter fœdam ipsorum tyrannidem, meritò detestari debemus. Græca & Romana Historia, Deus Bone! quam infinitam seriem tot diversissimarum rerum, nobis subministrat. Quam ubique locorum, tot gentium & populorum admiranda videmus, legimus! ut, unde potissimum incipere hic debeam, & quò desinere, penitus ignorem. Voluissem, hoc tempore, H: A: brevem aliquam quasi Synopsin juventutis nostræ oculis subjicere. Unde disceret, quantam jucunditatem, quantam in omni vitâ sapientiam & utilitatem assidua Historiarum lectio pariat. Sed, abuti patientia vestra viderer, auriumque benevola attentione. Produxissent se in medium à Romanis, *Cæsar* & *Pompejus*, *Cicero*, *Antonius*, *Cato*, *Catilina*, *Jugurtha*, aliique ab illo seculo

Heroes,

Heroës, *Bruti*, *Collatini*, *Pisones*, *Fabij*, vidissetis vellentem pontem *Coclitem*, urentem manum *Mucium*, vastantem Italiam *Annibalem*, vindicantem ferro pudorem suum *Lucretiam*. In Græcâ Historia, de *Phocione*, de *Epaminunda*, de *Milthiade*, cæterisque illius ævi Principibus, sermonem instituissemus. Missis quasi de manu hisce omnibus, quæ ætas antiqua nobis reliquit, ad recentem Historiarum fidem & fructum me compono.

Quantam habeat in se utilitatem, nostri temporis custos memoria fidelis, neminem ex Adolescentibus nostris ignorare puto, quæ tanta est, tantaque æstimanda, supra omnes mortalitatis nostræ ineptias, ut solem ego judicem de mundo tolli, si quis fidos annalium scriptores de medio auferat. Prima Belgicæ libertatis auspicia, nemo ad unguem teneret, & bella à Principe hoc populo cum Hispaniarum Rege tanta laude in 101 annos suscepta, nisi teste Historiâ, vera cum fide hæc nobis essent perscripta. Nemo illustrium *Auriacorum*, *&* *Nassoviorum* virtutes è posteris crederet. Nemo tantas res terrâ marique ad stuporem, & admirationem gestas vel animo suo conciperet. Denique urbs ipsa nostra, *Alcmaria*, quæ tantâ felicitate olim contra potentissimos hostes invictam se præstitit, sua virtute & viribus non suam immortalitatem unquam consecuta fuisset: si non viri docti pennâ sua nunquam metuente solvi, hanc præclaram illius fortitudinem æternis literarum monumentis consignasset.

Quamobrem, si præclaris ingeniis sua virtus & vena, temporum injuriis, intercluditur, ô quam funestam, quam miserabilem aliquando Rempublicam habebimus! quam omnia repente jacebunt in tenebris, quæ nunc sua veneratione ac majestate in honore habentur. Actum esset de humano genere, & prisca Vandalorum barbaries omnium

P 2 gen-

gentium & nationum animos, tanquam communi aliquo diluvio, involveret. Ideoque miserrimæ illæ olim Respublicæ; quæ, cum gestarum rerum memoria claræ æternæque extitissent, nullos sua laude atque merito præcones Historicos habuerunt. Multaque suis favillis, pro dolor, nunc alte obruta, quia in literis præstantissimorum hominum, qui illa ætate vixerunt, nulla earum rerum vestigia reperiuntur. Multorum fluminum ortus, qui à condito mundo non extiterunt, ignorantur, montium, convallium, nemorum, civitatum multarum rudera & initia ignota, quia nulla ad illam rem scribendi authoritas invenitur. Disputatur de *Verona*, hîc in proximo olim sitæ, antiquitate. Nescitur, quare mediis in collibus arenarum, ad vicinam Egmondam, arborum stipites vi ventorum disjecti, versus solam meridiem se inclinent. In dubio, an omnia continenti terræ adhæserint, quæ nunc in interiore mari, magnus Pater Oceanus interluit. Ut præteream cuncta illa terrarum, quæ in universo mundo tàm miserabili casu aut interierunt, aut sine aliquo monumento primæ suæ originis exstant ac supersunt. Concludo cum Poëta Lyrico.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Igitur H: A: summa nobis religio esse debet, ne præclaræ virtutes, & parentum nostrorum familiæ illustres, quas temporum felicitas egregiis laudibus nobilitavit, oblivioso quodam silentio, suis quasi cineribus sepultæ, apud posteros ignorentur. Et hæc ipsa *Civitas*, quæ semper ingeniis, naturæ quodam beneficio, apud omnes nationes populosque egregie hactenus inclaruit; sui paulatim claritu-

claritudinem, ob literarum inopiam, amittat. Ita enim fiet, ut liberi nostri clarissimorum hominum fidas lucubrationes ultro agnoscent, quando in ipsorum scriptis & annalibus suorum majorum imagines gloriosè legent, & admirabuntur. Quod tunc demum ex vero auguror futurum, quando ingenuarum artium cultura & Eloquentia cum divinarum Historiarum intellectu ac cognitione conjungetur.

PRECES SACRÆ.

Omnipotens, Æterne DEVS, Venerabile Numen,
Virtutis mensura tuæ, fac ne omnia rursus
In chaos antiquum vergant! Non fæda triumphet
Barbaries, Phœbique ruat facundia Rostris,
Et Linguæ Latialis honor! Te vindice, Musæ
Attollant sublime caput! Virtutibus orna
Pieridum, Solymæque Lares! Sacrumque Tribunal
Erige: ut in Batavis, Sociâ cum Pallade, Apollo
Floreat illustris! pulchrasque Alcmaria Musas
Excipiat, tutoque Deas in sceptra reponat!
Et Belgæ, quorum Herculeos jam fama Columnas
Personat, æternum Meritis, Virtute, Fideque
Emineant! Ipsa & Victrix ALCMARIA; Cujus
Surgit ab Hesperiis sua laus & gloria terris,
Extra Anni solisque vias sibi quærat Honores.
Mœniaque hac intra, quæ nunquam terruit Hostis,
Aurea LIBERTAS vigeat! melioribus usque
Auspiciis redeant VIRTVS, PRVDENTIA, Veræ
RELLIGIONIS amor, studium PIETATIS &
ÆQUI.

DIXI

Duæ Orationes antecedentes habitæ Alcmariæ Examine autumnali. CIƆ. IƆCLXX.

ORATIO LXIII.

De ROMULO & NUMA POMPILIO.

Habita à

REMBERTO TEN HAM

Nobili Groningano.

DE Romano imperio dicturi H H. Audd: summâ admiratione afficimur, quibus auspiciis in unam gentem tam multæ, tamque diversæ virtutes, quasi divinâ quadam felicitate, incidere potuerint. Quales vix sparsas invenias apud cunctas nationes & populos, per universum terrarum orbem. Nulla enim est virtus, nullaque magnarum rerum existimatio, quæ non apud Romanos mirâ quadam consensione quam maximè semper excelluerit. Sive pacis sive belli tempora spectemus, ubique locorum ac gentium hujus populi singularis prudentia, admirabilis fortitudo, & in omni negotio summa dexteritas veram laudem ac celebritatem promeruit. Ut vere dixerit Romanus ille sapiens: *Ad quod constituendum imperium, virtus & Fortuna contendisse videntur.* Nam prima initia, tenerosque ortus, & humilem despectam Romuli casam si consideremus, quid est, quod non extra animi nostri vim ac possessionem rapiamur? Aut quis crederet, ab infami hoc Asylo, à summâ rerum inopiâ, à sordidâ & pudenda paupertate ad hunc gloriosæ majestatis apicem perveniri unquam potuisse? A conditâ statim

a *Laus Romani Imperii.*

urbe,

urbe, omne id, quod animo illorum vel sapientissimo consilio propositum fuit, semper in prosperos successus & eventus rerum felicissimos excurrit; cælo astrisque, velut conjurantibus, ad principis imperii populi immortalitatem propagandam. Quod ipsum ex scelerato patrui Amulii facto non obscurè licet cognoscere. Hic cum gemellos, Romulum, & Remum in profluentem abjecisset, non tamen pro odio, quod in illos susceperat, extinguere hosce potuit. Quippe *Tiberinus amnem repressit*, relictisque catulis, *f* Lupa, vagitum secuta ubera infantibus admovit. Egregiè in Fastis hoc dicente *Poeta lib. III.*

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino?
Et picum expositis sæpè tulisse cibum?
Blanda quies furtim victis subrepsit ocellis,
Et cadit à mento languida facta manus.
Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita,
Et sua divinâ furta fefellit ope.
Somnus abit, jacet ipsa gravis, jam scilicet intra
Viscera Romanæ conditor urbis erat.
Intereà crescente Remo, crescente Quirino,
Cælesti tumidus pondere venter erat.

Virtutes illius gentis, hoc loco, sæpe ostendimus, visique in ipsis visceribus ac penetralibus substitisse. Ut, post tot illustres istius ævi sciptores, nos etiam facta hæc & exempla intueremur. Magnitudinem quoque, & potentiam illius terra & mari, cælo denique adæquatam, crebris sermonibus in theatrum produximus. Divitias, Opes, vectigalia, Tributa illorum admirati sumus. Cum quibus nulli reges principesque, nostro hoc sæculo, sunt comparandi. Adeo ut quæ in sola hujus imperii infantia contigerint, quando *circum ip-*

f Rhea Sylvia vitiatur à Mart.

ſam matrem ſuam luctaretur, omnium ætatum hæc facta & labores meritò quis exiſtimet.

Sed antequam ad ipſius *adoleſcentiæ* maturitatem nos conferamus, obiter in *ſeptem Regum* memoriam, ac annales divertemus, illorumque factis compendioſe commemoratis, ad corroboratioris ævi res geſtas nos conferemus.

[a] REX ROMULUS ſtatim, à primo lacte materno, à matris Lupæ ferocia & ingenio, primus imperii conditor, ubi ad vindictam turpiſſimi flagitii patrui ſui, jam ætate maturus, ſuplicium de illo cepit. Non paſſus illum in vivis permanére, qui legitimos hæredes paternis bonis Imperiique poſſeſſione privaverat. Ita expiata ſceleris iſtius immanitate profuſo Amulii ſanguine, regni ſui fines, quâ potuit diligentiâ, amplificare propoſuit. Sed cum videret omnes in proximo gentes à coalitione Romana abhorrere, ſingulari dolo ac ſtratagemate ad hoc uſus, *ludos Neptuno ſolemnes inſtituit.* Quò cum infinita finitimorum manus confluxiſſet, Volſcorum, Etruſcorum, Faliſcorum, & Fidenatium, ille quas in matrimonium virgines impetrare non potuit, manu rapiebat. *Matronæque, quæ ad ſpectaculum venerant, prædæ fuere.*

[b] Jam ſteterant acies ferro, mortique paratæ,
Jam lituus pugnæ ſigna daturus erat.
Cum raptæ veniunt inter patreſque viroſque,
Inque ſinu natos pignora chara tenent.
Ut medium campi ſciſſis tetigere capillis,
In terram poſito procubuere genu.
Et quaſi ſentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva ſuos.
Qui poterat, clamabat avum: tunc denique viſum,
Et qui vix poterat, poſſe coactus erat.

a *Romulus* b *Raptus Sabin: virginum.*
Ovid. lib. 1. Faſt.

Tela

Tela viris animique cadunt, gladiiſque remotis,
Dant ſoceri generis, accipiuntque manus.
Laudataſque tenent natas, ſcutoque nepotem
Fert avus, hic ſcuti dulcior uſus erat.

Sic imperii ſocietate feliciter cum Tatio Sabinorum rege initio, factum eſt, ut & fortuna populi Romani quam maximè incrementum fecerit. Regiſque majeſtate tantis ſucceſſibus egregiè confirmatâ, ad ordinandam Rempublicam ſummis viribus eſt allaboratum. Hanc pop. Romani felicitatem quâ, ſine aliquo penè malorum incurſu, utebatur, quid mirum, ſi magna invidiæ bellorumque tempeſtas brevi exceperit? Pulſi fugatique Veientes; *Cæninenſium captum ac dirutum eſt oppidum, Feretrio Jovi ſpolia opima de rege Acrone manibus ſuis rex reportavit.* Mox quoque templum Statoris, in grati animi indicium, quod ſtare Romanos in acie Dii Superi feciſſent, illorum meritis in ſempiternam memoriam conſecravit. Omnibusque ſtudiis & laboribus id demum gloriosè perfectum, ut legibus & diſciplinâ novum hoc imperium quam optimè adminiſtraretur. *Leges enim ſtabilimentum ſunt Reipublicæ, vinculum ſocietatis humanæ*, parumque in iis præſidii cum ſit & virium, ad regiam dignitatem augendam, duodecim faſces & ſecures à lictoribus prælatæ. Trecenti regii capitis cuſtodes & Satellites electi, Centum virorum ſenatus conſtitutus, populus in tres claſſes diviſus. Sed quia certi & decreti rerum humanarum ſunt termini: Sic quoque Romulus hic noſter tantis rebus pace belloque confectis tandem mortalitatis legem implevit; &, vidente Julio Proculo, auguſtiore jam forma, ſi fas eſt credere, vivus in cælum eſt tranſlatus. Quæ Apotheoſis, certè, digna eſt, ut è faſtis Poëta ſuis hanc nobis verbis deſcribat:

a *Est locus antiqui Capreæ dixere paludem,*
Forte tuis illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit, & removent subeuntia nubila solem,
Et gravis atritis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc mißis abrumpitur ignibus æther,
Fit fuga, rex patriis astra petebat equis.
Pulcher & humano major trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via.
Et dixisse simul: prohibe lugere Quirites,
Ne violent lacrymis numina nostra suis.
Thura ferant, placetque novum pia turba Quirinum.
Et patrias artes militiamque colant.
Jußit, & in tenues oculis evanuit auras.

b Regem bellis armiſque aſperrimum inclitâ relligione vir, NUMA POMPILIUS, excepit: quem, ſola pietatis causâ, Curibus agentem, ad regiæ dignitatis honorem evexerunt. Singulari ad ipſos Chriſtianos exemplo, qui neminem ad ardua Reip: munia promovere debērent, niſi virtute, fide, pietate aliis prælucerent. Ad clavum enim admotis talibus viris, quibus honeſtæ artes & cultus divinus eſt ingratus, quid inde, amabo, exſpectandum præter ſolas miſerias, præter peſtem & perniciem humani generis? c Melius hoc noverat Pompilius, qui ſacra, ceremonias, qui Pontificum & Saliorum collegia; qui duodecim anni menſes, qui faſtos dies deſcripſit. Qui *Janum geminum*, qui *Veſtales Virgines* divinis honoribus affici mandavit. Ut, ſi divinæ potentiæ bene atque conſtanter fuiſſent famulati, paulatim dubias Martis incerti vices, milvinoſque & aquilinos ungues odiſſent. Quæ ut ſarta tectaque apud ferreum

a *Apotheoſis Romuli Faſt: L: 2* b *Numa Pompilius.* c *Relligio ſtabilienda.*

& bel-

& bellicosum populum haberentur, tacitos cum Deâ Egeriâ congressus simulabat. Cujus monitu accepta se sacra instituere dicebat. Duæ enim maximæ res sunt H: A: quæ civitates amplificant, & regum gentiumque imperia ab humili initio ad excellentem opum potentiæque magnitudinem deducunt, nempe, *Armorum potestas & sacrorum Relligio.* Vis enim armorum, pietate destituta, Gigantæa est oppugnandi cæli ferocia; Pietasque sine armis civitatem hostili injuriæ obnoxiam facit. Armis olim ab humili principio *Syriaca in Oriente dominationis origo* inclaruit: quam *Ninus Beli filius* militari virtute claram excellentemque reddidit. Armis *Scytharum* nomen, quod valde obscurum fuit, illustre & nobilissimum est factum. Armis *Amasones, Argivi, Spartani* ad summæ potentiæ culmen se extulerunt. Et quis neget, eâdem semitâ & arenâ nos à despectis initiis Batavos, extra anni solisque vias jam dudum, favente supremo Numine, imperium promovisse? Accedente inprimis ad egregiam armorum tractationem, sub *Nassoviis & Auriacis*, divinæ majestatis cultu & relligone indelibata. Quibus sacris sancte & immaculatè semper habitis, quid mirum si non in multa sæcula ad seram usque posteritatem Belgarum imperium felicissimis successibus duret ac perennet? Pergamus modò *Judare sub clypeis Ancilibus*, nec latum unguem recedamus à pristina majorum virtute. Non dubium, quin usitatâ ac consueta nobis felicitate, & victoriis orbem terrarum in summam nostri admirationem concitabimus: RELLIGO enim & PIETAS, ARMORUM viribus consociata, mirabiles & nobis & posteris nostris dabit successus.

DIXI.

ORATIO LXIV.

DE

TULLO HOSTILIO. ANCO MARCIO. TARQUINIO PRISCO.

Habita à

GUILIELMO *ab* EGMONDT à NIENBURCH

Nob. Batt.

NUmam Pompilium, verè militaris ille pullus, Tullus sequitur Hostilius. Cui, propter singularem animi virtutem, ultrò Regnum est delatum. Egregio iterum ad posteritatem exemplo, cui hoc imprimis curæ & cordi esse debet, ut tales viros, præ aliis, ad gubernacula Reip: admoveamus, quorum industria & virtutibus imperii dignitas altissimas agere radices possit: ne injuriarum peste ac tempestate impulsa subito in perniciem suam prolabatur. Illò igitur toto animo viribusque annixus fuit, ut quantum Romani in immortalium Deorum cultu & religione profecissent, tantum quoque suis artibus & disciplinâ militari efficeret ad bene firmandam patriæ suæ salutem & felicitatem. Nam bellorum difficili tempore, si armorum præsidio princeps bene optimeque sit instructus, immane quantum! agit in hostile jugulum ensis districtus. Quam tunc rectius de finibus disputat armata potestas, & ad nutum paratus exercitus? hæc salutaria ad bonum

num Publicum præcepta non frustra sapientissimus Rex didicerat à Romulo. Igitur mirum in modum exercitâ juventute, statim in *Albanos, gravem & diu principem populum* belli totius molem convertit. Unde factum est ut memoranda illa inter trigeminos *Horatios & Curiatios* pugna omnium ad huc aures summâ admiratione percellat. Nisi triste illud solum intervenisset, quod tantæ victoriæ autor, & triumphator, propter occisam ferro sororem, fœdè sub jugum missis fuerit. Cum hac animi sui fortitudine singulari hoc inter laudes suas potissimum Rex Tullus Hostilius habuit, quod doctâ & dolosâ simulatione, quando res poscebat, in hostem uteretur. Ubi jam inclinare socios ad hostem videret, tollit animos quasi ipse mandasset. Spes inde Romanis, metus hostibus. Pœna verò, quam statuit in ruptorem fœderis *Metium Fuffetium*, pro merito valde fuit laudabilis: *Hunc inter duos currus religatum pernicibus equis Tullus distrahi jussit.* Noverat enim ducis perfidiam exercitus præsentissimum esse venenum. Non hoc loco, dicam de fœderibus ab ipso ritè institutis, de amore in patriam singulari, de indicendorum bellorum religione, ac constantia admirabili. Quibus virtutibus Rex ille ostendere voluit quâ fide, qua pietate etiam erga hostes uti debeamus.

Hinc proximus gradus ad a *Ancum Marcium* datur, qui Numæ Pompilii nepos fuit. Pari quoque ingenio & virtute. Sacra enim publica ut à Numa instituta erant, proponi in publico jubet, noluitque regni sui majestatem sine Numinum præsidio intutam relinquere. Cum sciret Remp: semper dubiam incertamque fluctuare, & multis incursibus malorum objectam esse, si non Deorum immortalium tutelâ, ut illi loquebantur, illa bene defensa esset. Igitur à Tullii Hostilii moribus,

a. *Ancus Marcius.*

bus, & vitæ genere, quam potuit, longissime recessit. Qui cultum Deorum planè abjecerat, religionem ludibrio habuerat, templis, arisque, quibus imperii custodia subsistere debet, vacationem indixerat; augurum responsa irriserat. Qui nihil magis apud animum suum cogitabat, quam illud præcipuum, quod res Romana religione & auctâ & confirmata crederetur. Post aras & sacella hoc præcipue operam dedit, ut in usum, totius mundi opes Romam eliceret. Ut per commeatus maritimos, per opportuna navigiis loca, perigrinas undiquaque merces adveheret. Cujus rei gratia & beneficio, Ostiam, in ipso maris fluminisque confinio, coloniam posuit. Quemadmodum hodie fieri quoque videmus apud opulentissimas & florentissimas civitates Europæ universæ, ut ex omnibus terris novos habitatores, propositis ad hoc præmiis, ad se pelliceant. Idem hic Rex, ut nominis sui memoriam quam maxime longam, iterque ad ipsos superos sibi faceret, plurima in publico opera extruxit. *Mœnia urbis muro amplexus est; interfluentem urbi Tiberim ponte sublicio commisit.* Ut non immerito propter tam multas & præclaras maximorũ operum molitiones *Ædificatoris* nomen promeruerit, omnibus numeris semper intendens, ut belli paciq; rebus nunquam interiturum sibi apud posteros nomen compararet. Et quod amplius, *Albam ipsam, quamvis parentem æmulam tamen diruit*: cum prius omnes opes urbis ipsumque populum Romam transtulisset. Prorsus ut consanguinea civitas non periisse, sed in suum corpus rediisse videretur.

a Tempus est H: A: ut post Regem AncumMarcium, de *Tarquinio Prisco* orationem exordiamur. Hic licet transmarinæ originis, Regnum ultrò petens, feliciter illud accepit, qui ob admi-

a *Taquinius priscus.* randam

randam ingenii induſtriam atque elegantiam, bonis artibus famam ſibi pulcherrimam acquiſivit. Adeo ut de illo diceretur, quia Corintho oriundus, quod *Græcum ingenium Italicis artibus miſcuiſſet*, ſuo exemplo orbi terrarum oſtendens, quanto in honore jure habendi ſint illi, qui ſapientiæ ſtudia etiam cum ipſo Regum principumque ſolio conjungi debere, non ſine juſtâ ratione judicarunt. Ut non immeritò illi quoque vapulent, multumque de illuſtri ſuo nomine amittant, qui civitate ſuâ philoſophis interdicunt. Vt, veterum Tyrannorum more, literas Literatorumque nomen ad ipſos barbarorum fines relegandum eſſe ſtatuant. Inter maximas ingenii tui laudes, *Tarquini priſce*, id ipſum ſera reponet poſteritas, quod tam præclare tamque divine de ſapientiæ ſtudiis teſtimonium perhibueris. Cui tanta inerat commendatio orationis, ut nemo tibi dicendo potuerit reſiſtere. Dignus qui hoc ſolo argumento capiti coronam acceperis. Ut nec ipſa propterea generis gentiſque tuæ ignobilitas vel minimum obſtare tibi debeat. Qui ſingulari tua virtute, licet infeſtam tibi ad honorem viam videres, in ſummum populi Romani favorem te inſinuaſti. Fateor, initium principatus valde periculoſum fuiſſe, cum in novo populo novo homini omnia ſuſpecta & infida viderentur, aliique ad Anci Marcii filios imperium traherent; multi tranſmarini ſanguinis originem vitio darent; omnes iniquum eſſe rati, quod bene merentibus civibus ſua præmia & honores eſſent denegati. Neque intra iſtos limites regius iſte ardor, amorque continere ſe potuit: ad ſacram auguratus diſciplinam animum quoque contulit. Quod inprimis docet nobilis illa de *Attyo Nævo* hiſtoria. Hic enim cum numerum centuriarum augeri prohiberet, Rex illum, in experimentum rogavit,

vit, *fieri ne posset, quod ipse mente conceperat, ille rem expertus augurio posse, respondit.* Atque hoc, inquit, *agitabam, an cotem illam secare novacula possem. Potes, ergo, &, secuit*, unde facer apud Romanos auguratus. Sed unde potissimum exordiar Regis Res gestas & annales recensere? profectò indubio mihi est animus. Primum expeditionem paravit in *Latinos*, qui ipsum turpi injuria lacessiverant, Romanoque imperio funus & tenebras minitabantur, quod bellum tam feliciter confecit, ut brevi tempore quam plurimas civitates sub suam potèstatem redegerit. Deinde adortus *Sabinos*, quos magna pro parte profligavit, fugientesque prosequutus, multos illorum interficiebat ut ipsa arma sua coacti sint projicere, *Collatiamque* urbem clarissimam hosti in manus tradere. Ut rerum suarum successibus prospere uteretur, nec suorum animi relanguescerent, longissimas vias incredibili celeritate confecit, & *duodecim populos Tusciæ* frequentibus armis subegit, *Collatinos, Crustumios, Latinos, Hetruscos, Sabinos*, &, quorum nomina hoc loco enumerare magnæ historiæ esset pensum & officium. Quibus victoriis rerumque secundarum progressus, eo claritatis evectus, ut primum inter omnes Reges *aurato curru quatuor equis triumphare, togas pictas, tunicas palmatas omniaque insignia quibus imperii dignitas magis emineret, curiosissime invenerit.* Hujus gloriæ omem & præludium in Tarquinio dedit, ni fallor, omen cæleste Sedebat Rex in curru juxta uxorem, & de aucto brevi tempore Romanæ urbis imperio, de civium virtute de Regum strenuitate & victoriis sermonem habebant. Jamque ad Janiculum Romanæ Hetruscæque ditionis confinium delatis, ecce è vicina arbore *aquila advolat plaudens alis & clangens, quasi non ante visos hospites salutaret*, Rex & Regina Tanaquil omen

omen inde capturi aquilam oculis prosequuntur; quæ *supra carpentum se librans tandem se leniter demittit, capitique pilium aufert & in altum cum præda se attollens mox illum capiti reponit*. Tum illa novitate rei attonita, quid hoc portenderet, suspenso secum animo cogitabat. Tandemque sacrarum rerum perita Tanaquil, sublatis in cælum manibus *accipio*, inquit, *omen, Jupiter, prosperæ peregrinationis*, effusaque in complexum Tarquinii magno animo concipere spem maximam illum jubet. Non frustra se ex Hetruscâ disciplinâ augurandi scientiam hausisse; ingrederetur modò Romam, *non ut advena ut perigrinus, sed ut Romani nominis hæres*: *quem* absque dubio, tanti ingenii majestas opesque ultro expectarent. Quæ, velut fato ipso vaticinante, Regi Tarquinio, ut audivistis H: A: feliciter evenerunt.

DIXI.

ORATIO. LXV.

De

SERVIO TULLIO. TARQUINIO SUPERBO.

Habita à

SIMONE DEYM

Hagiensi.

FUerunt in Tarquinio Prisco, A. A. H. H. egregiæ excellentesque dotes animi. Quare ille ad Imperium Romanum est promotus. Sed *a* quomodo Servius Tullius, è Servâ natus, ad illam

a Servius Tullius.

illam majestatem pervenerit, capere vix animo meo possum. Nisi, quod Tanaquilis astu & artibus, quæ, ob eximiam indolem, liberaliter ipsum educaverat, post Tarquinii Prisci necem, ad amplissimos honores, regnique dignitatem sit productus. Inerant quoque isti rerum principio, quasi fatidici quidam ignes & flammæ, quæ præludere summo huic honori videbantur. Nam, *Puero dormienti caput arsisse ferunt multorum in conspectu.* Quem cum familiarium aliqui restinguere vellent, à Reginâ retinebantur. Majusque eò hoc est prodigium, quod sedato jam tumultu, & puero sponte somno soluto, mox simul flamma, sine ullo mali vestigio, innoxia inde abierit. Solet enim fatale quid esse, bonique ominis indicium, si in prodigiis ignis, apud veteres, urendo nihil nocuisset. Quare majore affectu Servium fuit complexa Tanaquil, & aperte ad Maritum loquebatur: *Videsne tu Puerum hunc, quem tam humili cultu educamus, lumen aliquando columenque futurum regni nostri rebus afflictis?* Ibat in sententiam sceleratæ Conjugis Maritus Tarquinius, ejusque in augurando scientiam jam ante in se ipso expertus, statimque, datâ operâ, ut, ob animi sui magnitudinem, quâ inter æquales excellebat, cum generosissimis Juvenibus ex pari educaretur. *a* Sed, ferre hanc contumeliam æquis animis non potuerunt Anci Marcii filii, se Paternis opibus, Patrioque regno expulsis, regnare Romæ advenam: Se imperii possessione exclusis. Et in illâ civitate, quam Romulus, Deo prognatus, tunc ante tam feliciter tenuerat. Cum regni honoris insignibus Servium, è Serva natum, imperium possidere. *Ferro igitur hanc contumeliam arcere statuunt.* Hortatur igitur qua potest fide & precibus Servium Tanaquil, ut visa circum caput flamma nominis claritatem ipsi proponat. Magno

a *Vindicta justa.*

fit

ſit animo, quem corporis dignitas jam dudum ante, ac per naturam ipſam, ad imperatoriam Majeſtatem efformaverat. Quare nihil intermittendum eſſe, quo minus occaſionem tam optatam, tamque inſperatam amitteret. Uteretur modo Reginæ conſilio, & ſubſtitutus in locum Regis, quaſi ad tempus, ſenatum cogeret. Animique inclinatione provectus è libello teſtaretur, ut honorem eum Patres Conſcripti illi continuare vellent. Pergeret interea acerrimo ſtudio, uti veteres amicos muneribus expleret, deinde novos acquireret; poſtremo quæcumque poſſet, largiundo parare, ne cunctaretur. Sed haud poteſt eodem pede, quando ſemel mala conſilia proceſſere, fortuna tenaciter ſubſiſtere. Movet injuria Anci filios, qui ubi aperto Marte proficere parum poſſent, ad doctos dolos, & nobile ſtratagema ſe compoſuerunt. a *Duo ex Paſtoribus*, inquit Livius, *delecti fortiſſimi ad facinus, qui in veſtibulo Regiæ, quam potuere tumultuoſiſſime, rixæ ſpecie, in ſe omnes apparitores Regios convertunt.* Cum jam clamor ad aures perveniſſet, uterque ad Regem pergunt. Habitis ultro citroque verbis, alteri à Rege impoſitum ſilentium, alter elatam ſecurim in caput Regis dejecit, relictoque in vulnere telo, ambo ſe foras ejiciunt. Quod egregium facinus, cum jam perperratum eſſet, ſtatim totâ civitate divulgatur, Regem è medio eſſe ſublatum. Concurritur undique magno excitato tumultu. Quidam Marciis Anci filiis toto ſtudio adhærent; Quidam Regiam dominationem tolli, libertatem reſtitui volebant. Adeo ut ad ſeditionem tota jam res fuerit perducta. *Cum jam Regina ſuprà fœminam auſa facinus, recepto in interiorem domum regio corpore, vivere Regem ad populum clamabat*, bono eſſe animo, vulnus non alte adactum eſſe. Obtemperent modo quietis

a *Stratagema* animis

animis Genero suo, cujus jam fidem virtutemque ex illustribus tot factis probassent. O malorum facinorum machinatrix Fæmina! ô fraus inaudita! Incredibilis, quæ *altâ regnat in aulâ*. Sic tandem cum jam expirasset Tarquinius, celatâ morte, Servius opes suas firmavit. Maximoque mox præsidio munitus, primus injussu populi, voluntate Patrum regnavit. *Regnum, quod dolo partum sic egit industriâ, ut jure adeptus hoc videretur.* Bella illi fuere cum *Veientibus & Hetruscis*, in quibus virtus & fortuna ipsius clarissime eluxit. Deletisque magnis hostium exercitibus, haud dubius Rex in civitatem Romanam reversus. Sed nimis in longum excurreret Oratio mea, si cætera, quæ à Servio Rege in regnum Romanum collata sunt, hoc loco commemorarem. Ille, præter bella, foris cum finitimis gesta, domi etiam Remp: multis ornamentis condecoravit; populum in censum retulit; in classes digessit; Curiis atque Collegiis distribuit. Unde *Servianæ Constitutiones* nulli non inter eruditos egregie innotuerunt. Prius quam tamen, telam, quam exorsus sum, pergam pertexere, unum illud de b Servii Regis Filiâ Tulliâ, propter immanitatem facinoris attentis auditorum animis auribusque subjiciam. Hæc Uxor fuit Regis Tarquinii, postea Superbi nomine. De quo, Livius, ait: *quod nunquam majus tragici sceleris exemplum orbi terrarum Romana regia reliquerit.* Hæc cum intellexisset Patrem interfectum, vehiculo properè se ferri jussit, ut interfectori gratularetur. *Inhibuit frænos is, qui jumenta agebat, jacentemque Dominæ Servium trucidatum ostendit.* Illa nihil mota aut morata, ut Virum Regem salutaret, truculentâ facie, violento spiritu, voce terribili, ore minis & cruentis imperiis retecto, ut super cruentum cadaver equos ageret. O supra Medeas & Thyestas, supra Tyrannos omnes faci-

b *Tulliæ impietas.*

nus

nus ipsis furiis, ac manibus infernalibus devovendum. Quod, cum animo pene deficiam in tanti sceleris memoriâ ac recensione, maximi Poetæ verbis in scena repræsentare malo, quam meis.

c *Filia carpento Patrios initura Penates,*
Ibat per medias alta feroxque vias,
Corpus ut aspexit, lacrimis auriga profusis,
Restitit, hunc tali corripit illa sono:
Vadis? an exspectas precium pietatis amarum?
Duc, inquam, invitas ipsa perora rotas.
Certa fides facti est. Dictus sceleratus ab illâ
Vicus, & æterna res ea pressa nota est.

d Satis de Servio Tullio. Nunc, H. H. A. A. ad ultimum Regem Romanum Tarquinium Superbum pertranseo. *Qui regnum avitum quod à Servio tenebatur, rapere maluit, quam exspectare. Emissisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quam acquisierat.* Vere ex more & ingenio Tyrannorum, quibus grave & dificile est, legitimam imperii successionem assumere: donec aut maturâ morte aliorum, aut liberâ populi electione ad fasces & sceptra vocentur. Nam non possunt æquis animis, oculisque illos intueri, quorum in locum aliquando succedent. De quibus verissimum, quod Politicus dixit: *quorum mortem exspectamus, eorum vitam odimus* Non est festinandum, ô Tyranne, ad profundendum innocui viri sanguinem;ad dura & aspera in subditos examina. An nescis? *quod invisa imperia nemo tenuerit diu?* Quicunque enim tranquillum civitatis statum extollit, & rumpit obsequia, mox populi furor ipsi incumbit, & sæpenumero spe suâ decidit, qui quassatis & attritis Reip: viribus, nullius penates mæroris expertes esse finit. Talis tu fuisti, Tarquini Rex, qui non modo in aliquod vilia, & Servilia capita diram & cruentam

c *Lib. 6. Fast.* d *Tarquinius Superbus.* tuam

tuam dominationem exercuisti; sed in ipsum Senatum, in Regni Proceres, in Principum virorum vitam & fortunas cædibus & superbiâ es grassatus. Quæ duo vitia omnium scelerũ maxima quis animo unquam æquo perfe.re posset? quare nemini mortalium mirum videri id debet, quod te ipsum Diis hominibusque invisum feceris. Quod si animi lenitatem, modestiamque exercuisses, nunquam in odium & despectum apud subditos tuos venisses. Starent, stetissentque fortasse, in hunc diem ardua & alta ista Capitolia, quæ nunc propter Tyrannorum odia, & acerbitatem humo sunt adæquatata. Regumque illud imperium, quod ab humili tugurio & casa ad tantam potentiam se erexerat, facile in multo majus robur excrevisset. Quod bene tunc noverat Poeta Claudianus: *Peragit tranquilla potestas, Quod violenta nequit: mandataque fortius urget Imperiosa quies.* Modestia enim, præ cæteris omnibus, Principi est assumenda, quia docet ea homines submitti, & ab arrogantia, qui scopulus est virtutum, quam longissime profugere.

Pudore & justitiâ omnis civilis societas conservatur. Et ut Tacitus ait: *Princeps invidiam & arrogantiam fugiat, ne aut facilitas illi authoritatem, aut severitas modestiam imminuat.* Quare ipse Tiberius fingendis virtutibus subdolus, nomen Patris Patriæ, à populo sæpe ingestum repudiavit. Tibi vero, Tarquini Superbe, Patres Princepesque imperii, stulti, stolidi, blenni, & bardi habebantur. Solus ipse, pleno pectore, omnia sapiebas. Verba tua prolegibus haberi volebas, vocem pro oraculo. Ad hæc cæco furore, summaque effervescebas crudelitate. Quare terribilis cunctis & invisus exstitisti. Constat orbi terrarnm quam impiè, quam scelerate te gesseris, cum per filium Sextum Tarquinium, decussis

papa-

papaverum capitibus Gabios sub potestatem tuam redegeris.

a *Illic Tarquinius mandata latentia nati*
Accipit, & virgâ lilia summa metit.
Nuncius ut rediit, decussaque lilia dixit,
Filius, agnosco jussa Parentis, ait:
Nec mora, Principibus cæsis ex urbe Gabinâ,
Traduntur Ducibus mænia nuda suis.

Quam improbe necem *Hardonio* sis machinatus, qui cum pro imperio palam interfici non posset; oblato falso crimine insontem oppresseris, adeo, ut, quid quid armis belloque præclare unquam à te gestum sit, nullam omnino claritatem aut gloriam mereatur. Etsi validissima in Latio oppida invaseris, Ardeam, Oriculum, Suessam Pometiam, & de manubiis captarum urbium Diis manibus templa erexeris. Etsi permixtis Latinis, & Romanis, militum cohortes compleveris, firmandæ potestatis, prohibendæque rebellionis artem inveneris: nullà propterea laude es dignus, ô Tarquini. Vapulat imperii tui majestas, paulatimque cito gradu ad ruinam tuæ dominatotionis contendis. Quod verò in templi, quod Jovi dicaveras, inauguratione restitere Juventus & Terminus, non immortalitatis tuæ causâ; sed populi Romani felicitate ac fortunâ est factum. Quibus id auguria Numinum tot que aves addicentes & secundæ de cælo pollicebantur. Magna fuit Deorum immortalium benignitas H. H. A. A. quam in principis populi nomen famamque propagandam ostenderunt. Sed cum eò tandem Regum Libido, scelerumque immanitas processisset, ut nihil sacrum, nihil sanctum amplius haberent, nec ipsam Lucretiam, Bruti filiam, Collatini uxorem, illud inviolabile pudicitiæ exemplum nefario, ac immani stupro polluere desinerent, omnium mox gentium populorumque animi in

a *Scelera Tarquinii Lib.2. Fast.*

mi in Regum hanc Tyrannidem exarserunt. Nihilque adversum infestumque magis fuit, quam vel solam nominis Regii memoriam atque appellationem invitis iratisque auribus offerre. Date mihi veniam H. H. A. A. ut antequam de rostris hisce descendem, scelerati Regis stuprum, quo Lucretiam violavit, ex Fastis Ovidianis obiter hic in fine attexam.

a *Hostis ut hospes init penetralia Collatini,*
Comiter excipitur, sanguine junctus erat.
Quantum animis erroris inest, parat inscia rerum
Infelix epulas hostibus illa suis.
Functus erat dapibus, poscunt sua tempora somnum,
Nox erat, & tota lumina nulla domo.
Surgit, & auratum vagina liberat ensem,
Et venit in thalamos nupta pudica tuos.
Utque torum pressit, ferrum, Lucretia, mecum est,
Natus ait Regis, Tarquiniusque vocor.
Illa nihil, neque enim vocem viresque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Quid faciat? pugnet? vincetur femina pugnans.
Clamet? at in dextra, qui vetat, ensis erat.
Effugiat? positis urgentur pectora palmis:
Tunc primum externa pectora tacta manu.
Instat amans hostis, precibus, pretioque minisque,
Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.
Nil agis. eripiam, dixit, pro crimine, vitam:
Falsus adulteris testis adulter ero.
Interimam famulum, cum quo deprensa fereris,
Succubuit famæ victa Puella metu.
Quid Victor gaudes? hæc te victoria perdet:

a *Lib. 2. Fast.*

Heu

Heu quanto regnis nox ſtetit una tuis,
Jamque erat orta dies, paſſis ſedet illa capillis,
Vt ſolet ad nati Mater itura rogum.
Grandævumque Patrem fido cum Conjuge caſtris
Evocat, & poſita venit, uterque mora:
Vtque vident habitum, quæ luctus cauſa requirunt:
Cui paret exequias, quove ſit icta modo.
Illa diu reticet, puditundaque celat amictu
Ora, fluunt lacrymæ more perennis aquæ.
Hinc Pater, hinc Conjux lacrymas ſolantur, & orant,
Indicet, & cæco flentque paventque metu.
Ter conata loqui, ter deſtitit, auſaque quarto
Non oculos ideo ſuſtulit illa ſuos.
Quæque poteſt, narrat, reſtabant ultima, flevit,
Et matronales erubuere genæ.
Dant veniam facto Genitor, Conjuxque coacto,
Quam, dixit, veniam vos datis ipſa nego.
Nec mora. cælato fixit ſua pectora ferro,
Et cadit in Patrios ſanguinolenta pedes.

Tranſiit igitur in aliam formam Reſp: Romana, *Bruto Collatinoque* ducibus*: quibus ultionem ſui moriens matrona mandaverat.* Nos, ſi Deo opt. Max. viſum hoc fuerit, ab hac *ſeptem Regum infantia*, ſub quibus Roma felicitatis ſuæ incunabula habere incepit, ipſam imperii *adoleſcentiam virilemque ætatem* progrediemur. Nos interea H: H: A: A: id operam obnixe demus, ut maximorum Regum; Principumque virorum edocti exemplis, egregias animi ipſorum virtutes, non vitia & errores in vitâ hac noſtrâ imitemur. Non à *Romulo* diſcamus ſceleribus Aſyla aperire, per vim rapere in matrimonium Virgines, fraternâ cæde manus commaculare; Sed à *Numa Pompilio*, inclytâ

relligione viro id perpetuo feliciterq; hauriamus, ut, absit tamen veterum superstitio, toti in cultu divino, cælestibusque rebus per omne tempus occupati simus. Remp: sanctitate, pietate, fide administremus. Arcana nostra nisi pro aris & focis ad propulsandam à nobis injuram, strenue ad manus capiamus. Præclara ingenia, artesque bonas summâ in veneratione habuit *Tullus Hostilius*, qui proditorum perfidiæ pœnas statuit, optimos quosque præmiis honoravit. Quæ virtutes, audiat ipsa Justitia, utinam! nobis Christianis semper in usu & oculis. Vrbem Romam, ex singulari in Patriam amore plurimis beneficiis affecit *Ancus Martius*. Per cujus mores & vestigia, si Proceres nostri piè constanterque incedant, O quam beatam, quam fortunatam Remp: habebimus. Absint vero, absint crudeles isti *Phalarides*, *Albani*, *Tarquinii*. quorum crudelitas & Tyrannis non nisi bonorum Civium cruorem & Sanguinem quotidie sitit acerrimè. Quorum justissima est punitio, ut, Rep: in meliorem fortunam restitutâ, illi summorum scelerum Machinatores, Reges iniquissimi, æternis exiliis suppliciisque mactentur.

P R E C E S.

Tu, ô Æterne, Omnipotens, Misericors, in cælis Deus, fac, ut tristissimo hoc mundi sæculo, à divina tua manu opem & auxilia imploremus & contra bellorum, hæc nova incendia, quæ ab omni parte pestem & perniciem nobis minantur, tuo ductu auspicatissimo fortiter ac feliciter subsistamus! ut non sanctissima Relligio; non pulcherrima Libertas, tot Majorum sanguine parta ac parata, in fatalem aliquando periodum impingat. Sed illustre Batavorum nomen decusque in omnium temporum perpetuitatem duret, floreat, perennet! Vrbs quoque hæc nostra,

ſtra, INCLYTA ALCMARIA, *quæ communis omnium eſt Parens, ſub divini Numinis umbra & umbone ſemper ſecura, beata, clara, æternaque ſubſiſtat!*

DIXI.

EPIGRAMMA

In laudem

DOCTRINÆ & SAPIENTIÆ.

Tollite de ſacris Prudentum Oracula Roſtris,
Et ſileat medio Lingua Diſerta foro:
Paulatim eſuriens migrabit in atria Clio,
Amittentque ſuum Templa Forumque decus.
Et Chaos antiquum; rudis indigeſtaque moles,
Involvet tenebris cuncta Elementa ſuis.
Haud paſſi Patriæ Patres ea ſæcla reverti,
Et fugere Ingenuas ex Helicone Deas:
Opponunt iſti vitio, toto aggere, montem,
Et ſolitas Lauros eſſe in honore jubent.
Dii, Patriæ Indigetes, vos, O clariſſima mundi
Lumina, ſic Clario ritè litate Deo.
Almeriæ Muſæ ſequimur mandata *Potentum*,
Eſt quibus, has artes non didiciſſe, pudor.

SCHOLA ALCMARIANA.

Tres antecedentes Orationes ſunt habitæ in publico Gymnaſio Alcmariano CIↃ. IↃ CLXXI. XXV. *Martii.*

FASCICULUS EPIGRAMMATUM

Posteriorum,

Quæ in THALIA ALCMA-RIANA non habentur.

AD

ILLUSTRISSIMUM

PRINCIPEM

GUILIELMUM AVRIACVM,

CUM

Celsissimorum DD. Ordinum

HOLLANDIÆ & WESTFRISIÆ

Auspiciis, Summis Honoribus & Consiliis Fœderati Belgii Assessor dignaretur.

cIↄ. Iↄc. lxx. *Prid. Kal. Junii.*

E Tenebris tandem in Lucem, GVILIELME, revertis,
Et, Patriæ Patres inter, Pars magna, reluces,
Fatali monstrante viam divinitus Astro.
Hactenus obstiterat Famæ, meritisque Tuorum
Invidia, & nondum cursus maturior ævi,
Impletusque dies, & Par Prudentia rebus.
At nunc, Auspiciis lætis, calcare nocentem
Incipis Invidiam, & supra Livoris iniqui
Nubila provectus, solo Virtutis amore
Ad Fasces & Sceptra venis. Nunc, more Parentum,
Concilio, Templisque Deum Te jungis, & inter
Augustos Patriæ Proceres, qui primus Honori
Est Titulus, cum Laude sedes in Partibus istis.
Inde ipsos apices prensurus, & ampla Tuorum
Munera, Consiliisque tuis Respublica sumet

Incrementa fui. Nunc illo in Pulvere fudans
Sub Clypeis; Humerosque parans, tenerosque lacertos
Imperiis: ubi, pro Patriâ, Patriæque Salute
Multa tuis difces folers involvere Curis
Arcana, & verfare animo tot pondera rerum,
In Commune Bonum. Difces ubi, Maxime PRINCEPS,
Defendi quibus Auxiliis, quibus Artibus olim
Libertas poffit. Stans & radicibus altis
Relligio, in Populos, prifcâ pietate, doceri
Difcis ubi, juxta normam, Præceptaque magni
Numinis, & Patrum Confulta, & provida rerum
Argumenta, Togæ Studio, Martique vacare;
Vivendum quo more foro, quo more periclis
Bellorum. Quid utrumque ferat, fub Judice, Tempus.
Hæc eft Scena tuæ, PRINCEPS, & arena Juventæ,
Hic Rhodus, hic faltus. Donec, maturior annis,
Majorum Illuftres Titulos, Trabeafque refumes
Clarior, &, tantis pulchrè Regumque Ducumque
Innixus Sceptris, Caput inter nubila tolles.
Crefce, DEVM SOBOLES, noftri in Miracula fæcli,
Et *Proavos Atavosque* tuos Virtutibus æquans,
Stemmate de Tanto, Generofus *Surculus* exi
In Majus. Cujus tandem, fub vertice læto,
AVRIACI furgant non una in Stirpe Nepotes,
NASSOVIIque Duces. Vt rurfum Belgica toto
Clarefcat Mundo, & Famam tot Gentibus olim
Ignotis actam memorem, fub Nomine pulchro,
Æternos iterum in Faftos, Tabulafque refignet.
Crefce, precor, *Macte, Ingenio, Virtute, Fideque*,
Poft tot Majorum monumenta, atque Inclyta facta,
In Batavos Vius, & junctas Fœdere Terras.

Vt sub præsidiis istis, sub Tegmine Fagi
AVRIACÆ, tutâ Cives in Pace quiescant.
Atque iterum, longè, Porrecto limite, Belga,
Extra anni Solisque vias, sua Brachia lato
Porrigat Oceano. Majoraque viribus audens,
Afflatusque Deo propius, Gemino incubet Orbi,
SCIPIADASque suos etiam hoc de Nomine
dicat.
Nec tantum Tamesis, Vicini litore Famam
Terminet; auc Ligeris tantùm se Finibus arctis
Includat: Quorum Reges, & Sceptra tenemus
Sanguine ab Hoc Vno jam dudum affinia nobis;
Sed, quà Sol veniens à primo Cardine Mundi,
Et, quò Sol sero rursum se Vespere condit,
Illò NASSOVIDVM Virtus, à Gadibus usque
Auroram & Gangem, vivis se sublevet alis.
Tu, PATER OMNIPOTENS, Batavis hoc
PRINCIPE, firma
Imperium. Et *Patriæ Patrum* defende Salutem,
Conatusque pios, jam dudum Atlantibus istis,
Assertos toties Vitæ Capitisque periclo.
Fac, tandem & Nubes, Belgas quæ involverat
atra,
In Solem, purumque diem, vultusque serenos
Transeat, & totam Cœlo se purget aperto.
ATRIACÆque Domus *Splendor*, Terrâque Ma-
rique
Diffusus, Magni Spatium egrediatur Olympi!

In Obitum

Nobilissimi & Excellentissimi Viri,

D. VALERII FRANC. à CAMMINGA,
Illustris Insulæ AMELANDIÆ DOMINI &c.

Ad Filium unicum
Magnæ spei & exspectationis Adolescentem,

FRANCISCUM DUCONEM à CAMMINGA,

Paternæ Virtutis ac fortunarum Heredem,
Discipulum Eminentissimum.

PRó dolor! Antiquo Frisorum à sanguine Regum
Majestas, CAMMINGA, cadit: Primusque POTENTVM,
Divinâ Virtute Senex, vi mortis acerbæ
Tollitur, & summo PATRIAM in mœrore relinquit.
Exemploque suo, quam sit Sors lubrica rerum;
Quam Mundi sit inanis Honor; quam frivola cuncta,
Et facilè inclinent FASCES & SCEPTRA Regentum
In casum lapsumque, docet. Felicia nobis
In terris Monita, & Divum Prognostica! Tales
Si nos, in Vivis, OBITVS, & fata notemus:
In quibus Ingenui prostant vestigia RECTI,
Et veræ PIETATIS amor Sacra ipsa Tonantis
Simplicitate rudi, Priscæ Virtutis Imago.

Omnia

Omnia in hoc uno concurrere ATLANTE videmus,
Quæ tantum pro parte aliis. Qui solus & unus
Possedit, geminus quicquid Sol viderat usquam
Pulchrum Homini, & cælo tribuit Natura creatrix.
Cui non, quod Vulgo, placuit cum fœnore, Census,
Improbus; aut raptæ, per vim, sine nomine justo,
Divitiæ. Sed, sola fuit tranquilla Potestas
In pretio, Vitæque labor non irritus actæ,
Ad præcepta Dei Qui summâ in laude ferebat
Ingenua excultos animos à Palladis arte,
Phœbæsque sacris. Non hos, quos turpior usus,
Nobilitate novâ Titulus commendat inermis.
Omnia despiciens præter Virtutis honorem,
Et quas Ingeniis addit SAPIENTIA Dotes.
Tu, Fili GENEROSE, memor sis illius actus
Extremi. PATREMQVE refer Virtutibus iisdem
Ex toto, non parte tui. Deus, Optimus Author,
De meliore luto Tibi nam præcordia finxit.
Vt, quantum Auspiciis Patriis AMELANDIA perdit,
Auspiciis tantum ipsa tuis AMELANDIA crescat!
Macte animis! Tibi quos pulchrè Deus indidit ignes
Ex alto, Patriæ hos sacris Penetralibus infer.
Et flammâ meliore calens, VIRTVTE PATERNA
Aggredere, ô, majus Famæ, FRANCISCE, Theatrum,
Sedulitate tuâ. Et, quæ primo in flore Juventæ
Pollicitus nobis, tandem, vergentibus annis,
Omine Felici summa ad fastigia tolle,

Sic fiet, Domus ista, suis modò pressa tenebris,
Et lacrymas inter tristes, planctusque suorum
Nunc luget, viduata, Diem, melioribus Astris
Viderit exortum Cœlis. Quo pulchrior inde
Crescet Honos, CAMMINGA, tuus. Famaque Nepotum
Sanguinis Augusti seriem inter nubila condes.

Alcmariæ CIↃ. IↃ. LXVIII. *mense Decemb.*

In

Tristissimas Exequias

INCOMPARABILIS VIRI,

D. JACOBI vander MOERE,

TOPARCHÆ.

In

HEREN-CARSPEL.

Ecclesiæ Alcmarianæ secundum Senatoris &c.
Ann. CIↃ. IↃ. CLXIX, mense Feb.

SIc iterum tristes caput abscondere Camœnæ,
Et Patriæ doluere Patres sua damna, vicesque,
Quas patitur Fortuna Togæ. Quando INCLYTVS, Eheu!
ALMERIÆ, è medio, SPLENDOR subducitur VRBI,
VIR solio humano major. Comes ire FORESTO
Dignus, & in Cœli justa plus parte locari,
Illustres inter, Cognatæ Nomina Gentis,

TEY-

TEYLINGOS. Pulchro Proavum toi sanguine claros
HEROAS, Quos terra tegit. DOLOR ipse Doloris
Materiam negat, & Vati non Versibus æquis
Exequias celebrare sinit. Mors vulnere major
Ipsa stupet, viresque suas miratur & ipsa
Non humiles quod sæpè casas prosternat, & urnas
Plebei capitis; sed Majestate tremendos
Discutiat Fasces. Primoque in flore Juventam,
Atque ipsos apices, & summa Cacumina rerum.
MVSA, tuos casus, hoc tristi à Funere, quis non
Prosequitur jure exanimis? Totumque Helicona
Intremuisse videt? Sacratæ Palladis Arces
Ingemere, atque imo penitus subsidere fundo?
QVO Batavis VNO erepto, SAPIENTIA Rostris
Exulat. Et PIETAS atra se in nube recondit,
RELLIGIOQVE dolet. Momento turbinis uno,
Et viles animas, & summa Papavera sternit
Trux Atropos. Nullique sinit dare lintea retrò
Terrigenum. Cuncti sequimur Mironia volentes,
Nolentesque mori. Mors libera Jura tuetur,
Nec prodest tot Sceptra Ducum, tot Regna, tot Vrbes,
Tot Reges vidisse foris; tot Jugera terræ
Possedisse domi; Pactolo incumbere toti,
Tot callere artes, tot Linguis esse disertum,
Atque omni Populo Ingenii miracla dedisse.
Mors ubi detonuit semel horrida, protinus omne,
Quod sublime fuit, cœlumque attingere visum,
In præceps ruit. Et quàm fiunt hæc frivola cuncta,
Quæ sudant, sub Sole, Homines, à Lege Tonantis
Discimus, atque uno vel Judice, Morte, docemur.

Tu, GENEROSA DOMUS, noli dispendia TANTI
Plus nimio lugere VIRI. DEUS Ipsus amorem
Pollicitus Cœlo VIDUIS, à morte relictis,
Fatorum semper sortem miseratus iniquam.
Frænandus ratione Animus; Visque illa doloris
Exemplis æquanda piis. Placidèque ferendum est,
Quod semel Authori placuit vitæque, necisque.
Exsuperant illo plures hoc sanguine JULI,
ASCANIIQUE novi, qui PATRIS Imagine Clari,
Et Laudum his Titulis haud Inferiora sequuti,
AFFLICTÆ referent iterum Solatia MATRI.

IN

Tristissimas Exequias

Amplissimi, Prudentissimi, Doctissimi VIRI,

D. BARTH: STEENHUSEN,

BOELES J. U. D.

Et Illustris Reipublicæ ALCMARIANÆ

SENATORIS. &c.

In Omni Liberalium Doctrinarum Genere

VIRI EXIMII.

Anno CIↃ. IↃCLXIX. XX. *Octob.*

PLorat adhuc sua Damna SION, sub Numinis irâ,

Et

Et poſuit nondum ſe gravis iſte Dolor.
Ecce, manus Divina tuos, O CURIA, Faſces
Tangit, & in Procerum mors ſubit atra Domos.
Æquâ Lege vibrans Falcem per ſumma, per ima;
Non parcens Juveni, non gelido illa Seni.
Sceptra Ducum, vileſque caſas uno agmine claudens,
Et paribus rapiens Crœſum Inopemque rogis,
Sic præter propter vitam, in convalle malorum,
Ducimus, & nobis ultima Cura, MORI, eſt.
Semper in alterius defixi Funera & Vrnas,
Ceù Lacheſis nobis nunquam inimica foret.
Tu ſapiens, STEEN-HVSE, magis cæleſtibus Aſtris,
Quo mundi hic vergat, terrigenumque labor.
Tu major terris ſubjectis, pulchrius orbe,
Ingenium Cælo jungere ſuetus eras.
Sub pedibus calcans nubes & frivola rerum:
Quæ tanti incertum pendere Vulgus amat.
Qui verè nunc ASTRA vides & SIDERA coram,
Totque orbis picti corpora, totque faces:
Invivis Objecta Tibi, Sudorque Laborque.
PRINCIPIBVS ſemper MVSA probata Viris.
Non hæc ignaro diſcens ſub Judice morum;
Singula ſed propriis ordine fixa locis,
Ipſo Authore DEO, qui tot Miracula cælo
Indidit, ac populis conſpicienda dedit.
Arcturum, pluviaſque Hyadas, gelidoſque Triones,
Tot cognata ſibi Nomina, & Aſtra Poli.
Et circum duplices Axes, errantia ſigna:
Hóc magnum cœli Cunctipotentis opus.
Hac motus Virtute Animi, SIC INCLYTE, Soli,
Soli Devincis Te PIETATE DEO.

A, quibus in Patriam, tot Dotibus Aurea messis
Jam pridem toto ceperat ire sinu.
Sed nunc illa Manus, quæ Majestate verendâ,
In medio potuit Frena tenere Foro,
Prô Dolor! illa Manus, pulchra hæc & candida Dextra,
Ipsis sub Rostris tincta Cruore jacet.
Divinæque silet quoque nunc Facundia Linguæ,
Quâ solet, Isæo par gravitate, loqui
Consessu PATRUM in medio. Vel, quando vocatus
PUPILLI ad Causam ritè PATRONUS erat.
Heu! nimium infælix ô Clara ALCMARIA. Claros
Cùm jam tot perdas PALLADIS Arte Viros.
Nec Tibi sint FABII Veteres, Sanctique CATONES,
MAJORUMQ; Cohors, SIMPLICITATE rudis:
Quorum operâ, quando ventum RUBICONIS ad Amnem,
In Mediis Undis Tutior esse soles.
OMNIPOTENS! tua ne Bilis grassetur & Ira
Amplius in BATAVOS, ALMERIÆque PATRES,
Sed redeant, præsaga Boni, spectacula Mane,
Unde iterum incipiat Blandior ire Dies.

In Tristissimum Obitum

Reverendi, Clariss. Doctissimi Viri,

D. JOHANNIS RECCII. J. U. D.

Eccl. Alcm. Past. Synodi Noort-Holl. Deputati, & Gymn. Alcm.

CURATORIS.

PRo dolor! ALCMARIÆ eripitur sic RECCIUS URBI,
Vir, rarâ, in terris, qui Pietate fuit.
Qui sæclo huic, claræ præluxit lampadis instar:
Doctorum Phœnix RECCIUS ille Virûm.
RECCIUS, Antiquæ verè Virtutis imago,
Nunc Magnæ Matri corpora reddit, Humo.
Remigiisque suis, alarum verbere, liber
Evolat, & Mundi frivola calcat ovans;
Et populi quidquid falsus promittit hiatus,
Insanique fames ambitiosa fori.
Omnibus his major, super ipsa & sidera vectus,
Æternum in Cælis vivere totus amat.
Isaci dum Pia turba dolet tam funus acerbum,
Saucia quæ tanti reddita morte Viri.
CURRUS EQUESQUE tuus, fatis ereptus iniquis,
Nunc opere in medio fræna remittit iners.
RECCIUS, Eloquiis, divino & munere fandi,
Qui toties domuit ferrea corda suis,
Et RECTI monstravit iter, quo, Numine dextro,
Ex mundi his tenebris, itur ad astra poli.
Hic nunc, *Christiadum populo* in mærore relicto,
Ad nos tam docto desinit ore loqui.
Qui solitus, tanquam Cælesti fulmine linguæ,
Sacra salutiferi verba tonare Dei.
Attoniti, tristesque omnes has stamus ad Urnas,
Et.

Et patimur Manes quisquis & inde suos.
Nec facilè hanc cladem casusque *Ecclesia* ponet:
Quæ nimis à tanti Vulnere fracta Viri.
Hæc sunt *Autumni* lacrymantis funera prima,
Et, puto, majoris prævia signa rogi
Quod nunc adversus nobis denunciat æther;
Et, præsaga mali, Vindicis ira Dei.
Omnia Naturæ quando præpostera currunt
Legibus, & mundi machina tota tremit.
His quas adjiciet mox *proxima Bruma* cupressos,
Haud oculo prudens viderit ordo Patrum.
Semita lata patet, qua nunc fatalis Erynnis
Terrigenum multos ad sua regna vocat.
OMNIPOTENS, tua ne semper candescat in ira
Dextera, nec *sacras* febribus ure *domos*.
Vt non tota tui pereat reverentia Verbi,
Et Pietas Templis exulet, atque fides.
Fac, nobis meliora fluant Præsagia Cælo,
Et se Morborum sistat anhela sitis.
Sic Tibi, *Magne Deus*, castos adolebimus ignes,
Et Batavi dabimus brachia pura polo.
Ardentesque omnes in Publica Vota, Precesque.
Solvemus Patriis debita Thura focis.

Ipso Die piissimi excessus X. Octobris
CIϽ. IϽ. CLXIX.

Nobi-

Nobilißimis, Ampliss. Prudentißimis
VIRIS,

D. THOMÆ ab EGMONDT à NIENBVRCH
Cos. & Senat. Alcm.

D. JOANNI à NYENBVRCH.
Cos. & Senat. Alcm.

D. ARNOLDO BORNIO,
Eccl. Alcm. past. pr.

Illustris Gymn. Alcmariani
CVRATORIBVS.

Illustres Virtute Viri, Dominique potentes,
 Materia finxit quos meliore Deus,
Et seros nobis Fortuna reservat in annos,
 Posteritasque sibi è millibus una legit,
Quid dignum vestris Meritis & Nomine, JANI,
 Ad FESTVM, Vates ex Helicone feret?
Vt Patriæ & Musis; ut MÆCÆNATIBVS Annus
 Proximus ex voto prosperiore fluat.
Non illi vires, ut quondam, fingere versus,
 Et coram Tantis scribere digna viris.
Abstulit Ingenii florem nunc segnior ætas.
 Et facta est illi tota Thalia minor.
Nec lucem patitur, nec pennas ferre per auras,
 Jam nimium cœlo triste tonante, potest.
Prisca tenebrarum redierunt sæcula nobis,
 Et, plus quàm ferri tempora Phœbus habet.
Quando Majestas omnis sublata Minervæ.
 In pauci, in musas qui tenuere fidem.
Invidia calcante sacras hinc, inde, Camœnas,

Et

Et quicquid speciem sedulitatis habet.
Viderat hanc JANVS pestem, infelicibus Astris,
Horrendum media de Styge ferre pedem.
Et super indoluit, caput atro tectus an ictu,
Almeriaque vices, & sua Fata dolens.
Nec tamen hæc turbent, Dixit, solennia nobis
Gaudia livor iners, Ater & ille dies,
Debentur pia vota mihi, debentur honores,
Victimaque in Templis annua, Thura, meis.
Nec fas officium vetus irreverenter habere,
Et non præsenti solvere Vota Deo.
Ergò tuis, JANE, Auspiciis, ne, fortè, recuses.
Conabor Phœbo carmine digna loqui.
Ad Vares & sacra Deum toto ore revertor,
Et Mecænates ad mea plectra voco
Magne Potensque Deus! Cujus sub Numine mundus
Et nutu cæli machina tota tremit,
Da, nos in Batavis Felicia sæcla revisant,
Annorumque dies pulchrius ire jube.
Ne semper Li uis & fulmine perstrepat æther,
Ceu certent Furiis cuncta elementa suis.
Da nitidos cælo soles & aperta serena,
Vt Claudat Jani CLVSIVS ipse fores.
Nec rursum Rex ille minax, LVDOVICVS, ad arma
Intendat rigidas, terribilesque manus.
Da, Populos Gentesque omnes Concordia jungat,
Principibusque suis flet benè fidus amor
Et. quando hæc nobis Feliciter omnia paria
Sunt foris, & rigidus Mars super arma sedet,
Des etiam tranquilla domi. Patriæque salutem
Fac sartam & tectam rellegione Fori.
Vt cives cum Cive gerant Certamina laudum.
Et stimulet cunctos pulcher Honoris amor.

Am-

Ambitioque ſibi nec fallax fræna relaxet,
Exulet ut Virtus ſedibus alma ſuis.
Fac reduces etiam Muſæ Capitolia ſcandant,
Et ſolitam feriat doctus Apollo chelyn.
Emineatque ſuis victrix Sapientia Roſtris,
Et priſcæ redeat ſplendor Honoſque Togæ.
Hoc te, MAGNE DEUS, ſub prima crepuſcula Phœbi,
Hoc te per lacrymas oro genaſque Meas.
Et Procerum ALMERIÆ ſtudiis reſpondeat æther,
Inque illâ felix Urbe SENATUS agat.
Finitimos omnes ſolo qui vertice ſupra eſt,
Et geminos mundi provocat una Polos.
Seu, Gradive, tuis Armis, ſeu Palladis Arte,
Egregiis Animi nobilitata bonis.
Illuſtres virtute viri, ſacra TRIGA Sororum,
Hic Pilyos optem Vos ſuperare dies.
Palladioſque unà mecum fulcire labores,
Ne detrimenti quid SCHOLA noſtra ferat.
Sic JANI Lux alma Deo Lux Aurea Phæbo,
Naſcetur multis Aucta potenſque bonis.
Et Batavo incipient magni procedere menſes,
Digna Sibyllinis Tempora ſcripta ſacris.
AURIACÆQUE Domus, totum di[illegible] per Orbem
Majeſtas, Ipſa ſe quoque major erit.
Et Rediviva iterum, ſub Mecænatibus iſtis,
Ingeniis PALLAS præmia juſta dabit.

Cal. Jan. CIↃ. IↃCLXXI.

Reve-

Reverendus, Clarissimus

VIR

D. ARNOLDVS BORNIVS

post magnos & miserabiles morbos

REDIVIVUS.

Sic, penè è vivis nobis ereptus ad Orcum
BORNIUS, in vitam jam Redivivus adest.
Salvè Pieridum, felix Vir, reddite Turbæ;
Isacidum salve Gloria prima Chori.
Herculis ærumnæ, morbis ingentibus ægro,
Agminibus totis incubuere Tibi.
Qui non, semianimis, Scyllâ luctatus in unâ,
Nec spolium fati simplicis unus erat.
Sed totos in Te montes sævire malorum
Sensisti, ac Mortis vincula dura pati.
Ut jam chara Tibi viduati pignora lecti
Intremerant ipso frigidiora gelu.
Tuque tuæ expendens vitæ momenta, diesque.
Ultima signares Verba fidemque notis.
Ceperat hic talos, à summo vertice, ad imos
Ire malum, ac cordis jam penetrare Larem.
Ut vix sufficerent Sensus ad singula rerum,
Officium somno jam dirimente suum.
Qui varia insomnem ludebat imagine mentem,
Subjecitque oculis spectra tremenda tuis
In Cælum, nubes ultra, nunc raptus, & ipso
Visus cum CHRISTO Mystica Verba loqui.
Mox manes, refero horrescens, descendere ad imos,
Et pœnas illic suppliciumque pati.
Nec satis hoc monstri. Vis hæc infanda sub alta
Ilia se misit, visceraque ipsa subit:

Vnde

Vnde Animi sensim cepit languescere Virtus,
Corporis & nervis roboris esse minus.
Cui se conglomerant Tusses, Vomitusque maligni,
Postque Hydras domitas, Hydra renata nova est.
Omnibus his Furiis, Borni, eluctatus, in auras
Vitales nobis ex Acheronte redis.
Omnipotens, fatis contraria fa'a rependens,
Pulchrior hinc cæptis annuat usque suis.
Et, post tot morbos, post tanta pericula rerum
Te faciat Vita prosperiore frui.

Alcmariæ

CIↃ. IↃCLXX. IV. *Cal. Feb.*

Nobilißimo & Amplißimo
Viro,

D. JOHANNI à NYENBURCH

Illust. & Præpp. Ordd. HOLL. &
WEST FR.

PRÆSIDI

Cos. Senat. Scholarcha Alcmariano.

In summis Patriæ curis, solioque supremi
Concilii Batavum, prospera multa precor,
NIENBURGI GENEROSE, Tibi ut Fastigia Honorum,
Quæ Virtute tenes, sospitet usque DEUS.
Inque tuam stirpem illustrem Lux transeat ista,
Ac tanto hæc possit Clarior esse Domus:
Quæ Libertatem, quæ Iura, & sacra SIONIS
Asseruit

Asseruit, Censu, & sanguine fortis Avum.
Macte animis, NEOBVRGE! Tuis Virtutibus esto
Et factis nulli Nobilitate minor.
Tolle Decus Proavum in majus. Spesque illa Nepotum
In Batavis, tandem, sit sine fine, potens.
Sic Ego, sic Iano, Cælesti Numine, Teste;
Æternum, è Terris, Oro rogoque Deum,

Cal. Jan. cIↄ. Iↄcⅼxix.

Ad

Illustrem & Nobilissimum

Virum.

D. THOMAM ab EGMOND

à NIENBURCH.

Reip. Alcm. Cos. Senat. Scholarcham &c.

Summis Patriæ Honoribus, in XL,
& amplius Annos, Gloriosè defunctum.

EMeritus tandem, Fasces & Lampada tradis,
MECÆNAS, Aliis. Visque Quiete frui.
Subducisq; libens animos gravioribus actis,
Quæ deceant firmâ non nisi mole Viros.
Consilio sapiens. Et, longi Temporis usu,
Tu Doctus Patriis utilis esse Bonis.
Jamque Domi versans Curas & pondera Rerum,
Et fluxas Mundi prætereuntis Opes.
Hæc est Cura Senum. Tuta hæc est Cymba salutis:
Quò, post tot dubios, mens avet ire, notos.

Nos

Nos sequimur Te, Magne Virum, mox passibus æquis,
Et quassa est multis nostra Carina malis.
Ut non sit fesso Nautæ sua Vela molestum
Contrahere, ac Pelagi ritè cavere minas,
Amplectique sacras, rate deficiente, columnas,
Atlantem Patriæ ne grave mergat onus.
Interea Vitæ quod, forsan, restat, & ævi,
Hoc Tibi, Mecænas, vorterit usque BENE!
Et, Qui nunc rursum FELICITER incipit ANNVS,
Hic quoque propitio Numine Prosper eat.

Kal. Jan. CIↃ. IↃCLXIX.

ILLVSTRI VIRO,

D. JACOBO vander MOERE,

Toparchæ in Heren Caspel, &c.

UT, Vir magne, Tibi Felix respondeat Æther,
Et supra votum proximus ANNVS eat,
Ac pariter mecum videas nova Sidera nasci,
Quæ tenebras istas, Barbariemque fugent.
Quæ nunc Almeriam involvunt caligine crassâ,
Libera nec Musas regna tenere sinunt,
Tu potes, Alme Deus, lapsis succurrere rebus,
Et facere, ut puri sint sine nube dies.
Et, qui nunc turbant infestis partibus Orbem,
Illos de solio, atque Orbe movere suo.

CIↃ. IↃCLXIX. *Kal. Jan.*

In

In

Trium Lustrorum Amores & Conjugium,

Reverendi, Clarissimi & Doctissimi Viri,

D. ARNOLDI BORNI,

Eccl. Alcm. Pastoris Vigilantissimi. Ibidem illustris Gymnasii Curatoris.

&

Pudicissimæ, Eminentissimæque Virginis,

AGATHÆ WELHOECK.

MOverat invidiam vicinis TROJA Pelasgis,
Propter opes, uni quas Sors indulserat Vrbi
Et latè Imperii, producto limite, fines.
Quare in Bella ruunt pariter Virtute, Doloque
Cecropidæ infensi: possint ut funditus Arcem
Exæquare solo, ferroque exscindere Gentem
Pergameam. Tantis, eheu! sed viribus impar,
Post DVO LVSTRA, Potens ILION subsedit in ignes.
Et tandem Bello fessis Victoria Græcis
Cesserat, in veteris jam tunc fastidia Sæcli.
Hæc facies, si parva licet componere magnis,
Et Fortuna tui Thalami est, Doctissime BORNI.
Qui, plus quàm Trojæ sudans sub Mœnibus, ultra
Frigora tot Brumæ, glacialiaque Astra, fuisti
Clarus Acidaliæ, per tot discrimina, Miles.
Non Animi fractus, duris sub pellibus istis,
Viri-

Viribus; aut Haſtam ſpe non felicis Amoris
Turpiter abjiciens. Tu contra audentior ibas
In clivum, rectiſque oculis, & fronte ſerenâ
Speraſti Superos omnes in Vota faventes;
Arbitrioque Poli, cauſá meliore, Triumphum.
Nec grave, nec Tibi triſte fuit, RACHAËLIS ad inſtar,
Servitio Domini tam longa in tempora ducto,
Poſt TRIA LUSTRA, tamen rapere in tua candida AGATHAM
BRACHIA, & hinc dulces etiam ſperare Nepotes,
BORNIADASQUE novos. Quorum Natalibus Æther
Annuat, & multos CHRISTO lucretur in uſum.
Qui, memores HARUM RERUM, Sortiſque Parentum,
Perpetuis referant Tabulis BENE FACTA Tonantis.
Tu, DEUS ALME, faces ſancis qui ritè Jugales,
Connubiiſque ſacris penſas qui incommoda vitæ
Mortalis, Tœdas iſtas & fœdera ſanci
In longùm. Batavoſque doce, confidere Cœli
Auſpiciis; nunquam & falli, quod Lege revinxit
OMNIPOTENS. Quòque ille pius plus fervor Amantûm
Adverſi tulit, hoc etiam plus æſtuet ille,
Fomite inexſtincto, DIVINI Fervor AMORIS!

Reverendo & Doctissimo Viro,
D. JOANNI REKKIO. JC.
& Eccl. Alcm. P. Pr. Scholarchæ,
Et Synodi Noort-Holl. Præsidi.

NOn tibi fucatis, REKKI, Poppysmata verbis,
Sacro sub Jani sidere, ferre, meum est.
Ex animo voveo, DEVS ut Tibi prospera donet
Multa domi, donet prospera multa foris.
Vt valeas, stesque incolumis, ceu saxea Rupes,
Contra Erebi scopulos, Tartareasque minas.
Et recto vultu, strictisque in crimina Mundi
Vnguibus, Isacidum Tu tueare gregem.
Neuhusius partes etiam sibi venditat istas,
Et cum tot Monstris fortia bella gerit.
Omnipotens DEVS in Cælis hos prosperet actus,
Et fidas nobis porrigat usque Manus.
Vt, qui nunc instat decursu, Proximus Annus,
REKKIADÆ felix, NEVHVSIOQVE fluat!

Cal. Jan. CIƆ. IƆCLXIX.

Amplissimo, Prudentissimoque Viro,
D. BARTHOLDO STEEN-HVSIO. JC.
Illust. Alcm. Civit. Senatori, & Potentium
DD. Ordd. Westfrisiæ Deputato.

QVod Patriæ patres inter Tibi summa potestas,
STEEN-HVSI, gaudet totus Apollo meus.

Gra-

Gratulor hos meritò, quos Sors Tibi debet, Honores:
Sub Quo PIERIDUM Gloria major erit.
Quæ pene exhausta est vulgo, Livore, sinistro
Judice, & ad paucos intemerata venit.
Tu, veteres Artes in pristina regna reponens,
Auspicio Musas nobiliore beas.

cIↃ. IↃcLXIX. Cal. Feb.

Appropinquante Morte

Illustris Viri,

D. JACOBI vander MOERE,

Domini in Herencaspel, &c.

SIc iterum atratus Caveâ Pullarius exit,
Et Batavo tristem nunciat ire diem
Vir tantus quando Furiis febrilibus ardens,
Extremum sibi jam sentit adesse diem,
Et me, partem animæ, rapit inter brachia, *dicens:*
Vltima, NEUHUSI, me vocat hora, vides.
Parva mora est, animam magno committo Tonanti.
Jam me sollicitat non nisi cura Dei
Tu, *Vir Care,* meum, quantum potes, assere Nomen,
Alter in Ascanios & Pater esto meos.
Inprimisque Tibi Meus Hic se credit *Julus*,
Unica nunc MATRI spesque decusque suæ,
Dii tribuant dignas grates, si Manibus istis
Pollicitam solvas, præstiterisque fidem.
Dixerat & paullò moriens post, vita recessit,
Fatorum & testis facta Thalia mea est.

VI. id. Feb. cIↃ. IↃcLXIX.

IN

AUSPICIUM

NOVI HONORIS ET DOCTORATVS

EXCELLENTISSIMI JUVENIS,

GVILIELMI BOSCH.

ALCMARIANI,

A°. CIↃ. IↃCLXIX. V. Kal. Jun.

SIc juvat excelsi transcendere culmen Olympi,
Et Procerum plausus demeruisse sibi.
Auspiciisque novis, posito fundamine rerum,
Se Patriæ Civem ritè dedisse suæ.
Qui primùm, Juvenis, formatus Apolline nostro,
Virtutum es felix visus inire viam.
Et, post, in majus vestigia ferre theatrum,
Non uno factus clarus Honore Togæ.
Flos virtusque Virûm, BOSCHI! Quàm gratulor ista
ALMERIÆ Studiis Præmia parta tuis!
Qui, Charites omnes inter Pulcherrimus Vnus,
Eloquii vivum promis ab ore decus,
Erranteisque iterum Musas in regna reduces,
Vnum tot miseris, præsidiumque reis.
SCHAGENII, Vestrum licet agnovisse Nepotem:
Cui pudor est Vobis inferiora sequi.
Auguror hoc Vates: Huic quando firmior ætas,
Hic ingens etiam Surculus Arbor erit.
Da BONA SIGNA, Deus! Felixque hæc prospe-ret Æther,
Fatidica & Verum Voce loquatur Avis!

STRENA

Reverendo, Clarißimoque Viro,

D. ARNOLDO BORNIO

Eccl. Alcm. Paſt. primo.

QUem nunc à tergo vates proſcribimus Annum,
Vatibus hic plenus luctibus Annus erat,
Quo penè ad fauces Orci pervenimus Ambo,
Et noſtri, à fatis, contremuere Lares.
Lætior ut nobis redeat, poſt nubila, Titan,
O BORNI, Omnipotens faxit ab axe Deus!
Vt, poſito rurſum mortis terrore, metuque,
Gaudia concipiat priſtina noſter amor.
Et, pro tot lacrymis, pro tot ſingultibus, eheu!
Tot recinant laudes Carmina noſtra DEI.
Tu, BORNI, Iſacidum populum formare docendo
Nos Muſis animos erudiendo rudes.
Et, cum SOLE novo, Bellorum murmura ceſſent,
Nec litui circum tempora noſtra ſonent.
Sed PAX & PIETAS ſibi mutua baſia jungant,
Unanimeſque animi diſſita Sceptra ligent.
Vt felix totum Concordia ſoſpitet orbem,
Et nova Saturni tempora quiſquis agat.

Kal. Ian. CIↃ. IↃCLXX.

In Conſulatum

Ampliſſimi, Prudentiſſimi Viri,

D. JOANNIS STEENHVSII, Theodori,

ante xxx annos Diſcipuli ſtudioſiſſimi.

SIc Tibi, STEENHUSI, faſces Reſpublica credit,

Et vult Auſpiciis clarior eſſe tuis.
Gratulor Almeriæ felicia vota Senatus,
Dum cedit ex votis alea jacta meis.
Qui quondam finxi Juvenem Te pollice Rector,
Et præcepta Tibi vivere ritè dedi.
Nunc mihi ſcripturus leges, mandataque CONSUL.
Et, benè poſt cultam Pallada, RECTOR eris.
Tu regere imperio cives, populoſque rebelles;
Nos regere Aonidum mitia corda chori.
Omnipotens Pater, in Cælis, illuſtria ſervet
Nomina STEENHUSIÆ Gentis, & acta probet.
THYLINGIQUE tui, BRUVIIQVE in ſæcula vivant,
De noſtrâ ſemper LVMINA PRIMA Schola.
Alcmariæ xxv. *Decemb.*
cIↃ. IↃ CLXIX.

STRENA,
Clariſſimo Collegæ
D. JANO FOECKLERO L. A. M.
Pro
STRENA accepta:

Res ſacra eſt, Cælo teſtes arceſſere Muſas,
Et Pietate ſua digna fideque loqui.
Neve aliud linguâ promptum, quam pectore clauſum
Dicere. Quod veræ eſt Relligionis opus.
Sic agito, ad JANI natalia, quiſquis Amicum,
In Pilyos optas vivere poſſe dies.
Noſtra Thalia ſuis paret, quas condidit ipſa,
Legibus, & culpâ prorſus abeſſe ſtudet.
Simplicitate ſuâ conſtans & robore ſemper
Idem

Idem animis, idem pectore & ore sonans.
Cur sanctè, FOECLERE, precor, non unius Anni
Auspicium felix sit Tibi, sitque, Tuis;
Sed plures vivas Hyemes, & Tempora vitæ
Lætior, ac toties Tu nova Musta bibas.

Kal. Jan. CIↃ. IↃ CLXIX.

AD EUNDEM.

PRæteritus nobis illuxit tristior Annus,
Et labes animis Corporibusque fuit.
Vixque pedem Stygiis salvi subduximus undis,
Insidias homini morte struente suas.
Cum tot de medio nostrum cecidere Quirites,
Cannarum ut facies hæc miseranda foret.
Quam nunc ingredimur, nobis felicior ille,
FOECLERE, eveniat, faxit ab axe DEVS!
Vt validis mecum possis superesse lacertis,
Et grave Sisyphii ferre laboris Onus
Sic sapiet nostrâ sub Pallade cultior ætas,
Pieridumque olim Gloria major erit.

Kal. Jan. CIↃ. IↃ. CLXX.

Nobilissimo, Amplissimoque Viro,

THOMÆ ab EGMOND à NYENBURCH Cos. &

Senatori Alcm.

NEscio, Mecænas, an sit satis utile nobis,
Ferri his temporibus, vivere velle diu.
Et tot monstra Hominum, cognatâ à Stirpe gigantum,
Prô dolor! ante oculos ferre patique suos.
Quos non ullâ Fides bruto distinguit asello,
Nec Pietas studiis afficit ipsa suis.
An non sit melius, tacitas nos ire sub umbras,
Et vitæ hunc cursum sistere, & Astra sequi.
Nam frustra est, duram Lachesin tentare precando,
Et velle in fragili hac degere carne diu:
Ni possim meliore animos sub pollice nostro
Ducere, & in mores erudiisse pios.
Nec Tibi, MECÆNAS, sunt vitæ hæc stamina tanti,
Cum mundum in peius degenerare vides.
Et, pro Justitiâ, in terras, pro Virgine sacrâ,
Tot scelerum faciem, & turpe redire nefas.
Hoc unum optò tuis Vates, o JANE, Kalendis,
Pulchrior ut nobis luxerit orbe dies.
Et MECÆNATI redeant meliore metallo
Tempora, & in Musas gratior umbra meas.

Kal. Jan. cIↃ. IↃCLXX.

Nobi-

Nobilissimo, Amplissimoque Viro,

D. JOHANNI vander NYENBURCH

Illust, & Præpp. Holl. & Westfr. Ordinum. Deputato. Cos. & Senat. Alcm.

Quid precer, ad JANI Festum, sacrasque Kalendas,
In Batavis Procerum Gloria prima, Tibi?
Non mihi sunt Census, habuit quos Tullus & Ancus,
Vnde tuas aras hostia pinguis alat.
Sunt versus nobis tantum, breviorque potestas.
Et solum in dotem Verba chelynque damus
Qualis Mæonius quondam, qui paupere cultu,
In Generum & natas carmina sola dabat.
Hæc Tibi, Mecænas, placeant si munera, possum
Munere jam magnus, dives & esse meo.
Omnia sacra tuis supplex submitto Camænis.
Et tota, ex meritis, nostra Thalia tua est.
Quæ nunc, ad JANI reditus, Lucemque serenam,
Exoptat Laribus prospera cuncta tuis.
Nobilium ut series hinc, inde in stemmata multa
Transeat. in majus crescat & ista Domus.
Atque hac nascantur de stirpe & sanguine NATI,
Qui PATRIS illustrent Nomen, Avumque Decus.

Cal. Ian. cIↃ. IↃCLXX.

Reverendo, Clarissimo, Doctissimoque

Viro,

D. ARNOLDO BORNIO.

Eccl. Alcm. past. pr. Cum Gymnasii nostri

CVRATOR Eligeretur.

NVnc tibi se Almeriæ credit tutela Minervæ,
Et gaudet prisco Phœbus Honore suo.
Qui, juxta Solimæ curas & sacra, SCHOLARVM
Nunc etiam in curam ritè capessis onus.
Deliciasque vocans veterum Monumenta Quiritum,
Pieridum, ex merito, nomina clara colis.
Doctrinamque facis tanti, Vir doctior ipse,
Vt tibi nil majus Vatibus esse queat.
Ut fungos fucosque putes, & inertia terræ
Pondera, quos nullâ tinxerit arte Verus
O BORNI, ad Famæ titulos has necte Coronas,
Accedatque tuis Laurus & ista sacris.
Et teneram à radice suâ nec despice Pubem;
Vnde novos Cives serior umbra dabit.
Et tandem, nobis hac vitâ & Lumine cassis,
Maturos fructus Templa Forumque tegent.
Magne Virum! Musæ Te Dictatore triumphant,
Et quod sit sospes Nobilis ista TRIAS.

cIↄ. Iↄclxx.

Ad

Ad

STRENAM,

ABRAHAMO CNOLLIO, Affini,

Responsio extemporanea.

QVod mihi fortem animum *Cnolli*, vitamque precaris,
A curis vacuos, & sine nube dies,
Rem facis ex voto Musarum, & Apollinis usu,
Atque istâ agnosco te quoque parte pium.
Scilicet, invalidus miles, non utilis armis,
Nec bene sub clypeo, & casside tutus agit.
Ad bene formandam putem deposcitur Atlas
Totus, & Alcides non satis unus erit.
Fortem animum viresque novas, cum Sole Novato,
Neuhusii reprecor sacra Thalia tibi.
Ut mecum possis decurrere primus in æquor,
Et nulli ingenuo cedere Marte Togæ.
Cætera fortunet longum Deus Ætheris alti,
Et tecum Conjux sospite sospes agat.

Kal. Ian. 1670.

AD EVNDEM

RESPONSIO.

QVæ mihi, quæ Musis optas Felicia, CNOLLI
Sæcula; quæ Batavo, Pieridumque choris,
Illa tuis, animo puro Conatibus optat

Affinis, fido junctus amore Tibi.
Vive Tuâ multos charâ cum CONJUGE Soles,
Et Pilyos supera, Nestoreosque dies,
Multijugusque Labor tuus, & constantia rerum
Egregia Ingenii det documenta tui.
Nec quicquam inceptos tardet, sub Pallade, cursus,
Auspiciis noceat nec mala Scæna tuis.
Sed, cum Livor iners, VIRTUTI obstacula ponet,
Has tantò contra fortior ito minas.
Sic pulchrè victor Fatorum, Animique rebellis,
Ipse Tibi Fato & Numine major eris.
Ac toties cælo soles ac sidera cernes,
Donec sis Vitæ Tu satur ipse tuæ,

Kal. Jan. 1671.

Ad

Clarissimum Virum

D. REINERUM NEVHUSIUM
Illustris Gymn. Alcm. Rect.

MAgne Vir, in Batavis Pietas quo pulchior audit,
Antiquæque redit simplicitatis amor.
Et Musæ fulsere magis. Phæbusque lacertos,
Et sua plus solitâ brachia mole movet.
Quo duce formata est jam pridem mobilis ætas,
Et magis in sacram Pallada crevit amor.
Quo sapimus cuncti Falsum distinguere Vero,
Adnatumque animis emaculare nefas.
Dii tribuant pariter vobis pro Munere, grates,
Quos nostrûm nemo solvere jure potest.

Side-

Sideraque in cælis sacros testantia motus,
Prospera NEUHUSIO dent bona multa meo.
Et Tu, JANE Bifrons, Rerum qui flectis habenas,
Omnia fac Illi prosperiora fluant.
Incolumemque Virum Musis Hunc semper habeto,
Ut Sum ALMERIÆ ritè perennet Honor.

JULIUS vander MOERE,
Cal. Jan. CIƆ. IƆ. CLXXI.

Ad Strenam

Nobilissimi Juvenis,

JULII vander MOERE, *Toparchæ, in Herencarspel.*

Discipuli & Convictoris præstantissimi.

FLos Juvenum, Phæbique Decus, mea magna voluptas,
Et verè Illustris PATRIS imago tui,
Accipe, quæ, Jani Festo redeunte, precamur,
Pro Te, proque Tuæ Nobilitate Domus:
Omnipotens DEUS, è cælo tuâ Vota secundet,
Quæmodò pro nostrâ Vota Salute facis.
Resque tuas omnes Venturo prosperet Anno,
Quas versas Animi sedulitate tui.
Vivat, & ad Vires MATER Tibi chara revertens
Præbeat ASCANIIS Otia longa suis.
Majorumque magis Meritis, & Honoribus aucta,
Clareat à serâ posteritate magis!

Ex tempore
Cal. Ian. CIƆ. IƆCLXXI.

ÆTERNÆ MEMORIÆ

Invictissimi Herois.

GVILIELMI vander SAEN,

GOVDANI,

Hic recubat, Lector, Famâ super æthera notus
SANIVS. Hoc tanti dignus honore rogi:
Qui, dum barbariem nostris avertere tentat
Finibus, Heu! Scythico Victor ab Hoste cadit.
Jam Libertatem mediis defenderat undis,
Et Patriæ obtulerat pignora chara sui.
Illustres Animæ! Quas mors tam pulchra coronat,
Et Quorum meritis AMSTELA Justa facit.

CIↃ. IↃCLXIX. *Non. Iuli.*

FINIS.

INDEX.

A.

B.

G. Gau-

G.

H.

I.

L. Le-

INDEX.

L.

M.

N.

O.

P.

Pœnæ

Superbi

ERRATA

ERRATA EVIDENTIORA.

pag: 31. lin. 29. lege *pænis.*
ibid. pro memoriem l. *memorem.*
p. 34. pro ἡνώχους l. ἡνιώχους.
p. 46. pro Numidos l. *as.*
p. 49. lin. 21. pro imo, l. *uno.*
p. 90. pro Siron l. *Siren.*
p. 110. lin. 22. l. *manu tangant.*
p. 115. lin. 6. l. pro illum, *illud.*
p. 122. lin. 22. l. *prælia signis.*
p. 123. lin. 17. l. *sedet, & luxuries.*
p. 124. lin. 23. l. *mentem,* lin. 27. *vires.*
p. 125. lin. 11. l. *jactat.* lin. 21. l. *decus.*
p. 127. lin. 2. l. *prælia.*
p. 128. lin. 31. l. *Charis.*
p. 131. lin. 12. l. *Heu!*
ibid. lin. 22. l. *non.*
p. 132. lin. penult. l. *gradiens.*
p. 133. lin. 5. l. *despicere.*
Ibid. lin. 20. l. *mutarat.*
Ibid. lin. ult. l. *subi.*
p. 134. lin. 11. l. pro est, *&.*
p. 135. l. 1. l. te *premit.*
p. 139. l. in carmino 6. lege pro malis, *maculis.*
p. 164. lin. 17. lege *varios.*
p. 175. lin. 5. l. *acies.* lin. 10. l. *Ovantes.*
p. 177. lin. 17. lege *nutant.*
p. 179. lin. 1. *flava Ceres.* ibid. lin. penult. l. *venâ.* p. 185.

p. 185. lin. penul. adde *summo*.
p. 234. lin. 6. l. *pax & seria*.
p. 247. lin. 5. l. *infirmi quoque*.
p. 252. lin. 8. l. *stricturus*.
pag. 253. lin. 6. l. *tristia*.
pag. 257. lin. 20. l. ; pro :.
pag. 257. lin. 23. l. *multitia*.
ibid. lin. 27. l. *redimicula*.

Cætera benevolus Lector sponte corriget.

